M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBRI TRES.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBRI TRES

RECENSUIT VARIETATE LECTIONIS ET ANNOTATIONE
INSTRUXIT

IOHANNES BAKIUS.

LUGDUNI-BATAVORUM
APUD S. & I. LUCHTMANSIOS
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCXLII.

EX TYPOGRAPHEO I. G. LA LAU.

CAROLO TIMOTHEO ZUMPTIO

S. P. D.

IOHANNES BAKIUS.

Quamquam multa sunt, Zumpti, vir praestantissime, quibus tu et alios superas, et me, duo tamen mihi tecum communicata arbitror, sed quae iudicio magis, quam aut ingenii aut doctrinae laude censentur. Nam et recte facere putamus, summa cura si Tulliana volumina expolire conamur, et, etiamsi tua tibi iure placet ratio, meae me tum minus poenitet si quam proxime ad te accedam, praestantem uterque nostrum iudicat eam esse, quam Madvigius in compluribus libris editis explicuit. Hanc nisi agnovissem studiorum iudiciique consensionem, nec praeterea suavitatem tuam et in omni sermone ac disputatione humanitatem praesens sensissem, quum ante aliquot annos Lugdunum no-

strum inviseres, non auderem hoc ad te volumen mittere. Quod alloquendi institutum diu ignoratum a Graecis, in diversa vitae literarumque conditione atque opinione nisi primi invenerunt, plurimum certe usurpaverunt Romani, coniunctum, ut mihi quidem videri solet, cum ea morum temperatione, quae doctorum quoque inter ipsos societatem mutuamque benevolentiam conciliat, superbam certe et solitariam arrogantiam excludit. Quo magis dolendum est postea saepe, quod veritati et humanitati deberetur, vanitati et ambitioni tributum esse. Tu hanc epistolam ex quo animo profectam interpretaturus sis, aliorum fortasse nihil, mea tam interest, ut perquam moleste ferrem nisi simplicem me et rectum et veri amantem duceres: ego te, si quae in me reprehendes et castigabis, prudenter facturum esse confido et libere, si sine odio ac sine acerbitate facies, benevolentiae tuae tribuam.

Ea res autem quemcumque eventum habeat, hoc certe probari tibi puto, operae pretium facere qui ingenii vires in explicandis castigandisque Tullianis voluminibus periclitantur. Quis dubitat? inquis. Qui palam quidem et serio dixerit inutilem ac sterilem eam operam esse, aliis potius gravioribus scilicet et illustrioribus destinandam, nunc non memini: sed tamen multos esse non ignoras, qui aut omnino prae Graecis Latinas literas contemnant, (id quod iure nuper Bernhardyus, in praefatione ad

Brutum, aegre tulit) aut, si quid ex hac disciplina excipiunt, Salustio et Livio et Tacito delectentur, Ciceronis loquacitatem videlicet inanem et structas periodos vix devorare se dicant. Non intelligo nunc nonullorum ridiculam superbiam, qui in quemcumque se angulum et recessum harum literarum coniecerint, hoc tamquam imperii et principatus domicilium esse somniant, aut finem ipsum et extremum, quod qui occupaverint reliqua omnia vix adspectu digna spernere posse arbitrantur. Sed ferendus audiendusque dissensus est, si docte ista et prudenter disputantur; laudandumque horum temporum ingenium, quibus deponitur hereditaria aut superstitiosa veterum monumentorum admiratio, suscipiturque liberum de singulis iudicium: cuius sententiae te quoque auctorem habeo in eleganti censura, qua Madvigianam editionem Ciceronis De Finibus commendasti. Ex istis autem reprehensoribus omittamus eos, qui Latinas omnino fastidiunt literas; quorum tamen et apud alios fortasse, et certe in Brittannia ita crescit numerus et auctoritas, ut metus sit ne ipsa eruditio istic Latine plane dediscat. Ciceronem qui spernunt, non ipsos quidem dedoceri posse puto: — mira enim calliditas est qua suam quisque in hoc genere vel sententiam, vel opinionem, vel levitatem adeo circumsepire solet: — sed aliorum fortasse causa utiliter demonstrabitur, ea conferri inter se, quae contendi, nisi

summa iniuria, non possunt, aut quid cuique scribendi generi concedi oporteat, minus vere aestimari. Nam si dicunt isti, plus se historiis delectari quam aut orationibus, aut epistolis, aut dialogis similibusque ad docendum compositis scriptionibus, quis aegre feret? Modo iidem Herodotum et Thucydidem Platoni et Demostheni anteponant. Utatur suo quisque sensu et modo; non normam hanc esse postulet, ad quam diversorum scriptorum exigantur virtutes, minime omnium si ipse natura aut voluntate alienus est ab illo genere de quo agitur. Sed haec disceptatio si facilem exitum habet, aliquanto pertinacius urgent alii, qui non ita de argumento aut genere scribendi, sed de orationis forma sollicitos se esse profitentur. In Livio, sed magis etiam in Salustio et in Tacito, admirantur brevitatem cum insigni, ut appellant, dignitate, tum verborum pondus, sententiarum gravitatem et acumen, totamque compositionem forte quid et virile habere, ipsaque adeo asperitate animi magnitudinem prodere et altitudinem, itaque quum nativum Romanum servari characterem, tum hac ipsa veritate et simplicitate commendari iis, qui animo ingenioque praestantissima, quae intueantur, quaerunt exempla. Iidem in Cicerone offendunt, quod sententiarum vis inutili copia verborum et cumulatione flaccescat, argumentatio tracta sit, totaque compositio non tantum artificiosa structura

verborum laboret, sed sono etiam et numero aures potius implere quam animum percellere quaerat; omnino toto genere comtam esse Tullianam orationem et luxuriantem, sensusque ipsos ultra, quam deceat, politos et attenuatos, non igitur naturali vigore, sed studiose quaesitis ornamentorum tamquam fulcris incedere, magnam partem ex prava Graecorum imitatione profectam, ingenioque vere Romano indignam.

Haec si vere disputarentur, quid esset quo et alii multi, et nos ipsi excusaremus laborem et industriam, quum nihil aliud agere videremur, nisi ut prava et corrupta cogitandi dicendique exempla commendaremus et propagaremus, e quibus satis esset didicisse centuriarum in vetere re publica numerum similiaque quae ad prisca civitatis instituta cognoscenda referantur? Nec vereor ne fingere haec videar: sunt in omnium ore: et nonnumquam tanto acutior quis et sibi et aliis videtur, quanto liberius audaciusque in Ciceronem invehitur. Sed si exaggerata oratio ipsorum in primis iudicio in vitio ponenda est, idcirco minus damnanda erit exaggerata opinio? Perdifficile, verbi causa, et lubricum est iudicare in hoc genere quid Romanum sit, quid minus. Si concedatur totum e Graecis pendere Ciceronem, negabimusne ex uno Thucydide aptum esse Salustium? Incertum igitur relinquitur uter scriptor normam praestet Romani characteris; nec

facile quisquam se ex hac controversia expediat, nisi si multo plura eiusdem aetatis monumenta proferantur e quorum collatione lineamenta et vultum ipsum istius moris conficiamus. Praeterea sic putabam quaeri oportere in hoc verae elegantiae studio, non quam Romane, sed quam bene quisque scripsisset. In primis autem in eo falli mihi videntur, quod in Cicerone aut Salustianum aut Cornelianum genus scribendi requirunt. Quidni enim iniqua videbitur contentio, si historiae iis opponuntur scriptionibus quas Cicero reliquit? Dubium etiam est, si ipse historiae scriptionem suscepisset, in quam partem inclinaturus fuisset, in illam severam ac duram aut certe sobriam rationem, an in floridum aliud et laetum genus quod qui ex Isocratis schola prodierunt secutos esse constat. Nihil certum pronunciari potest inde, quod, ut in exordio libri primi De Legibus dicitur, unum maxime oratorium hoc opus esse ei videbatur: nam tum ex illa disputatione, quam in II^{do} De Oratore Cap. 12. sq. consignavit, conficitur rhetoricum certe scribendi genus ei in historia displicuisse, tum ex iudicio, quod postea de Demochare pronunciavit, maximeque ex nobilissimo loco, quum de Caesaris commentariis iudicat (Brut. 83 et 75) recte sensisse eum apparet quid vitandum esset in historia, quod aliis fortasse generibus orationis concederetur.

Sed alia quoque de causa iniqua haec, ne dicam

imperita contentio est. Tulliana omnia ex eorum genere sunt, quae a praesenti ad praesentem vel dicuntur vel scribuntur, vel etiam dici finguntur, quaeque ideo et facilitatem ac lenius quoddam flumen verborum postulant, recondita certe et studiose contracta respuunt. Contra historiae scriptio multo minus praesentem aliorum voluptatem, quam tardam et diuturnam commentationem deliberationemque spectat, id quod Thucydides suis ipse verbis consilium secutum se esse profitetur: neque tum aut subito suscipiebatur, aut exiguo tempore profligabatur. Nec dubito quin ex utraque re, et ex illa posteritatis cogitatione, et ex lenta et sedata operis confectione nisi excusanda, certe explicanda sint illa quae summis laudibus efferri solent in Thucydide aliisque, peracutum in sententiis, sed subobscurum, durum et compressum et tamquam densum in verborum compositione: quae si non nisi a magnis ingeniis proficisci possunt, sintne tamen ipsa per se laudanda nec ne, dubitare licet.

Quidquamne praeterea est ex florentissima Latinarum literarum aetate, quod quis iure cum Cicerone conferat? Non facile inveniri posse arbitror. Orationes certe, nisi fictas in historia, nullas habemus: epistolas perpaucas tantum aliorum ad Ciceronem; nam Senecam et Plinium hinc excludamus licet, opinor: dialogi exemplum nullum habeo praeter Cornelianum, De causis corruptae

eloquentiae. Sed hic ipse si Tacitum auctorem habet, argumento esse potest, quam is studiose consideraverit quid singula scribendi genera deceret, non communicandum cum alio. Neque hoc sane ignorabat Cicero. Quid enim tam dissimile quam dialogi et orationes, aut quid tam diversum quam ab utrisque epistolae? Sed diu nimis haereo in hoc ipso, ut intelligatur perperam fieri, si, in diversissimis scribendi argumentis, ab alio postulatur quod alius secutus sit. Igitur alia sint necesse est, quae Tullianae rationis reprehensoribus displiceant. Me ipsum quid non tam offendat, quam ita advertat, ut nollem aliis ad imitandum proponi, explicui in primo volumine Scholicorum Hypomnematum: aliis quid molestum videatur, divinandum est quodam modo, quoniam non memini de industria et perspicue a quoquam expositum esse; sed multorum tamen eas audivi voces, ut eorum, quamvis aliud agerent, non latere posset sententia.

Revocari cuncta posse videntur ad duo crimina, quorum alterum artificium, alterum mentem ut ita dicam orationis attingit. Obiicitur enim nimius et quaesitus ornatus, quum in sententiis earumque formis, tum in verborum et genere et copia et compositione. Nolim defendere hoc omnino: nam, quum Isocrateam in primis disciplinam sectetur, fieri videmus ut nonnumquam indulgeat isti argu-

tiarum studio, splendori maxime verborum et structae ad numerum quemdam orationi. Et tamen quam recte de hac re sentiret ipse, intelligitur ex iis, quae Crassum dicentem facit (Orat. III, 26): BENE *et* PRAECLARE *quamvis nobis saepe dicatur:* BELLE *et* FESTIVE *nimium saepe nolo:* quae de oratore dicta, quis non ad reliqua quoque scribendi genera transferenda esse censeat? Numquamne igitur sobrius et pressus et parcus est, et intra communem dictionem consistens? Qui negant, eos ignorare Ciceronem dico. Tum illa ipsa, quibus tam peccare videtur nonnullis, fieri potest ut aut loco, aut frequentia molesta sint; non erunt, si paucissima excerpas, per se reprehendenda, sed excellentis ingenii et eximiae cuiusdam facultatis indicia habenda sunt; nec certe qui ingeniosi non sint, metus est ne in eadem peccata incurrant. Sed pleniorem quoque orationem, sententiarumque formam mollem et rotundam exagitare solent. Scilicet in omni illo genere novi quid attulerat Romanis, id quod Graecarum literarum studio et imitatione spectavisse se profitetur in principio Officiorum. Itaque confitebantur hoc peritissimi illis temporibus iudices, ut Caesar, qui eum *principem et inventorem copiae* appellavit, ut Varro, qui eum *divitias orationis* habere dicebat (ad Div. IV, 4, 1), eamdemque ipse appellat *loquacitatem ex erudita Graecorum copia* (Legg. I, 2.)

Eiusque exemplo et auctoritate commoti complures tum exstiterunt, qui in eadem laude elaborarent, iisdemque etiam cum Cicerone exercitationibus uterentur. Si quaeritur visne facta fuerit ita Latini sermonis ingenio, mitigataque priorum auctoritate interierit, aut certe corrupta fuerit vera et nativa et antiqua orationis venustas, dandum aliquid esse opinor Romanis ipsis, quorum approbatione et plausu illa volumina excipiebantur: nostris hominibus, si iisdem minus delectantur, concedendum est, non item, si minus Romana ea esse contendunt. Et sermonem quidem ipsum Latinum, quod dicendi bene scribendique fundamentum habetur, purum et integrum servavit: artificium si quod accessit, longe plerumque eiusmodi esse videbitur, quale non nisi ab eo proficisci potuerit, qui quid rectum et vere pulchrum esset absolutissima imagine animo intueretur. Non satis est hoc, inquiunt, ad totius cuiusdam voluminis commendationem; cuius praestantia non singularum partium perfectione et gratia, sed iusto illarum virtutum usu cernitur et temperatione. Quis neget? Sed si compluribus locis ingenio abusus est Cicero, si praeter modum nonnumquam admirationem excitare et tamquam effundere inveniendi dicendique divitias deprehenditur, idcircone minus ea ipsa per se diligenda sunt? Sint igitur illa animi potius peccata quam ingenii, in eo notanda qui aliis multum,

sibi ipse plurimum placebat, sibique conscius erat quam praeclaram artem adhuc ignoratam Romae genuisset, quamque praeclaris eam monumentis illustravisset. Itaque toties sibi de vera laude detraxit Cicero, quoties vanitati et inani ambitioni indulsit.

Alterum quod fastidire nonnullos audivi, minus in ipsius orationis artificio et argutiis quaeritur, quam in eo colore, qui omnes Tullianos libros pervadit, nimiae cuiusdam vel humanitatis, vel diligentiae, qua perpolita sint omnia, quod non tantum immanitas sentiendi rudiorque animus exuatur, sed ingenua etiam veritas et simplicitas et vernacula moderatio corrumpantur. Atque hoc nomine tum aliis postponendum Ciceronem arbitrantur, tum maxime Graecorum optimis quibusque, in quorum monumentis regnare apertum quoddam ingenium et liberum, quod nulla observantia, nulla ambitio, non prava religio attenuaverit aut emolliverit cum naturalis roboris ac venustatis interitu. Igitur ostendunt nobis multas partes orationum, exordia dialogorum, sed prae reliquis epistolas ad Diversos quae appellantur, in quibus non dictio tantum, sed ipsa sensa mentis studiose dolata et asciata sint, fere ad nostri aevi cautionem et superstitionem et tamquam gratiae aucupium; tantumque inter Demosthenem verbi causa aut Platonem et Tullium interesse, quantum inter Apollinem Belvederensem

*

—

et quodvis hodierni moris et hominis signum, in quo naturae species non occultetur, sed plane depravetur amictu. Haec qui dicunt, causam obtinere sibi videntur, victoriaque exsultant quam acumine et veri sensu reportavisse putant. Nec, si vera dicerent, multum praesidii nobis relinqueretur, quo defenderemus continuum et ingens studium in Tulliani ingenii monumentis positum deincepsque ponendum. Quid ergo respondebimus? Nihil dicere et falli adversarios? an iure delinquere Ciceronem? Hi enim duo modi criminis defendendi a veteribus magistris ponebantur.

Primum largiendum esse censeo aliquantum interesse inter Graecorum optimum quemque et Ciceronem. Difficile sane iudicium est de epistolis, quoniam plane ex eodem genere quod cum Tullianis conferatur, nihil quidquam de Graecis superest, nec fortasse fuit umquam. Paratior collatio esse videtur dialogorum, quorum quippe praeclarissimam in Platone auctoritatem habemus. Sed quis umquam, de veteribus quidem, illam in summa simplicitate festivitatem est assecutus? Eloquentiae principatum nemo non, postposito Cicerone, tribuet Demostheni. Nec tamen pleraque eorum, quae animadverti solent, eam causam attingunt quam agimus. Non quaeritur de artificio quodam aut de ingenii praestantia, sed de colore orationis, quem diversum esse fatemur in Cicerone ab eo, qui

in Demosthene aliisque cernitur. Quod igitur Tullio obiicitur, id defendi non potest, nisi explicetur.

Semper eloquentiae forma, in quibus civitatibus illa virtus dominabatur, imaginem expressit ingenii et eruditionis quibus ipsa hominum societas censebatur, tum in primis eorum, quorum causa explicabatur. Atheniensium quae conditio, quae disciplina et privatae rei et publicae esset, novimus. Generis nullum valebat discrimen, opum ac divitiarum exiguum: omnia in multitudinis arbitrio posita, summa ima miscentis, nec quicquam discernentis, nisi quod aut suae libidini, aut nonnumquam rei publicae expediret: quumque summi in civitate honores infimi cuiusque ambitioni et audaciae paterent, unus erat omnium et inter omnes sermo, una oratio, quaeque dicerentur non ad paucorum quorumdam, sed ad multitudinis eruditionem sensumque accommodabantur. Hinc in summo etiam orationis artificio agrestis propemodum eloquendi libertas et fortis et saepe immanis, quum nullus locus esset verecundiae aut officio, sed iuris aut commodi sive vera sive falsa interpretatione disceptarentur cuncta. Neque alia erat oratio in iudiciis aut in concione, alia in senatu: ubique eadem dominabatur severitas sine gravitate, eademque libertas nullis illa audientium dignitatis temperata observantia. Possunt haec demonstrari; quo loco non difficile esset explicare quas loquendi formas igno-

rent plane Attici propter constantem illum aequalitatis morem: sed totae essent orationes percurrendae si quis istius quasi vultus lineamenta colligere vellet, quem verbis depingere desperandum est. Romae pleraque multum diversa erant: in qua civitate neque eruditio, neque sermo, neque existimatio eadem erat omnium. Nullis discordiis nullisque seditionibus impediri potuerat, quin maximae res domi bellique per principis ordinis socios gererentur, et imperia, legationes, pacis foedera, iurisdictio, innumerabilia alia in horum potestate essent. Hinc, quum perpetuus Senatus principatus esset eorumdemque hominum, prudentia quaedam senatoria creverat, quae multum superaret multitudinis levitatem et imperitiam: sed oratio quoque simul nascebatur, nisi studio literisque, certe consuetudine et exemplo praestantissimi cuiusque confirmata, aliquantum illa diversa a communi infantia. Quae opinio ordinis et magistratuum observantiam auctoritatemque confirmaret in vulgus, declarat consuetudo verborum, quum, ut alia multa praeteream, et *splendor* et *honestas* in equitibus Romanis, et *dignitas* et *amplitudo* proprie in senatorio ordine et in magistratibus ponerentur. Ne *boni* quidem et *optimates* appellati fuissent certa et perpetua consuetudine, nisi praeter sententiam de re publica, conditione quoque et momento reliquae multitudini praestare existimati essent. Tum nihil magis alie-

—

num erat ab illa aequalitate sermonis et opinionis qua Athenienses utebantur, quam quod certis hominum conditionibus quasi tituli imponebantur, non ex cuiusque virtute, sed propter locum quem in civitate teneret, ut vel *vir clarissimus*, vel *vir fortissimus* diceretur: in quibus quis non cogitat seculorum quae post secuta sunt ingentem abusum et veritatis depravationem? Sed afferebat haec rerum hominumque existimatio, ut alia quoque oratio deberi putaretur principi in civitate ordini, cum dignitatis et officii significatione, itaque aliam esse dignam *elegantis conventus auribus* (Brut. 62), aliam quae turbulentis concionibus conveniret (Brut. § 333, de Gracchis); quod discrimen manifestum est neque in artis perfectione, neque omnino in eloquentiae munere quaerendum esse, sed in verecundiae moderationisque vel observatione vel neglectu. Accedebat quod in Romana civitate multo maiores paucorum quorumdam, subinde etiam singulorum, opes et potentiae exsisterent, quam quantae Athenis tolerari potuerunt: quae rerum conditio consuetudinem efficere debuit moderandae orationis, ut plurimum gratiae et auctoritati relinqueretur. Quid dicam de rationibus quas iidem cum exterarum civitatum principibus contrahebant, deque ipso gravissimarum disceptationum usu? Neque enim communi prudentia maxima negotia contenta erant, sed orationis quoque haud vulgarem postulabant facilitatem et

humanitatem et obsequium: quod quale sit recentior nos historia abunde docet. Sed non constitit ille mos intra curiam aut subsellia: dominabatur in privato quoque sermone, tum in iis quae ab iisdem hominibus scripto consignarentur. Itaque confirmatus esse mihi videtur is sermonis color, quo non tantum vetus illud incomtum et austerum, quod olim proprium fuerat Romanorum, emolliretur, sed non sine aliquo venustatis et libertatis detrimento dignitas quaedam oriretur et officiosa ubertas et ambitiosus delectus, cuius contrarium erat verbi causa in Mario, quem Salustius (Cap. 63. Iug.), fortasse cum tacita multorum et Ciceronis reprehensione, dicit *stipendiis faciundis, non Graeca facundia neque urbanis munditiis sese exercuisse.*

Tenemus, nisi fallor, crimen ipsum quod Ciceroni obiicitur, si modo in tanta verborum inopia satis declarasse videor. Quaeritur autem, quod genus orationis Graeci, non iudicio omiserunt, sed propter diversam temporum societatisque conditionem ignorarunt, id ipso illo discrimine damnandum sit, an suas habeat elegantiae, moderationis ac dignitatis commendationes, servatis praesertim iis, sine quibus nulla bene dicendi laus constare potest? Devoravisset fortasse Tullianas actiones Atheniensium concio, si Demosthenis aetate audire potuisset: idcircone Romae minus probandum erat dicendi

genus, quod erat aptum et conveniens rebus et personis et temporibus? Igitur in hoc intueri, quibusque tamquam radicibus politior haec oratio nitatur indagare, tum ad perpetuam normam recti et veri et honesti exigere conabitur is, qui Ciceronis voluminа hoc consilio persequitur, ut quae ipse continet illarum virtutum semina eliciantur et ad efficiendi facultatem confirmentur.

Sed habet tamen Cicero propria quaedam non tam in laude ponenda, quod ingenio et ambitione redundabat, ut pompae nonnumquam quam aciei aptior videretur. Atque hoc erat illud quod nobis, qui hodie vel dicimus vel scribimus, non temere imitandum esse contendebam in illa disputatione, quam in primo volumine Scholicorum Hypomnematum edidi. Nec muto sententiam, quamquam reprehensus a Bernhardyo, viro acutissimi ingenii, multaeque eruditionis. Is enim (ad Brut. 82. init.) agens de Licinio Calvo, quum dixisset huius rationes non satis perspici ex iis quae tradita de eo essent, me »minime partes meas implevisse" dicit, »nec protulisse, quae dignitatem eloquentiae Tul»lianae possent elevare." Quas ille partes a me impleri voluerit, non satis intelligo: quid ipse spectaverim et recte memini, et satis, credo, aperte tum significavi. Calvi rationes, ut appellat Bernhardyus, quoniam non ex ipsius actionibus perspicere dabatur, colligendae erant ex aliorum de eius

eloquentia iudiciis: itaque ipse quoque concedit in Ciceronis de Calvo iudicium, positum in illa ad Trebonium epistola. Neque alia conferre potuit Ellendtius (Prolegom. ad Brutum p. cxx. sq.), cuius librum, nescio qua culpa mea, nuper demum nactus sum. Sed tamen non exquisito, puto, acumine opus erat ad divinandum quid magnopere in Cicerone reprehenderet et Calvus, et alii multi. Non protuli, quae dignitatem eloquentiae Tullianae possent elevare. Dii boni! quis umquam sanus hoc facere in animum inducet? Ne poterit quidem si velit; quoniam non argumentis aut testimoniis quae proferantur haec crimina nituntur, sed ex cuiusque sensu proficiscuntur. Explicabam tum quid mihi videretur, et tamquam verens ne novas res moliri viderer excitavi quoque eorum opiniones, qui Ciceronis aetati coniuncti fuerunt; tum huic non, ut illi, Lysiam, sed ipsum Demosthenem opposui. Nec profecto hic summus orator tantum, quantum traditur, actioni tribuisset, si bene dicendi artem praecipue Isocrateis argutiis et illo *μυροθηκίῳ* contineri putavisset. Sed neque ista ipsa non exquisitam acuminis subtilitatem nec acerrimos ingenii motus requirunt, et si eorumdem abusu peccasse dicendus est Cicero, excusandus erit illo Enniano, in alia re ab ipso usurpato, *facilius flammam ore in ardente opprimi*, *quam bona dicta teneri.*

Sed ut redeamus unde digressi sumus, ubertatis

eius et emollitae rotundaeque orationis artificium tanto minus erit in vitio ponendum, quod acrior sensus decori, aut certe officii et humanitatis latior interpretatio, in mutatis hominum rationibus inter ipsos, paullatim induxerat hunc dicendi morem usumque. Conceditur, opinor, in aliis scribendi generibus, in primis quae imitatione absolvuntur, ut extraneum quis colorem vultumque adsciscat: in vitae actione quae versatur oratio non instituta tantum patria, sed mores et disciplinam quoque referre oportet. Quare si vitium illud habendum sit in Cicerone, temporum est, non hominis: sin ipsa per se non contemnenda facultas est, operae pretium erit quam apte, quamque eleganter et graviter ea usus sit videre et attendere; tum multo certe aequius de Cicerone iudicabimus, si cum eo conferimus illa tempora, quibus dicendi facultas per impotentem Caesarum dominatum ad turpissimam adulationem lapsa erat, quam si eius volumina exigimus ad Atheniensium ferociores sensus.

Fieri potest, Zumpti, vir praestantissime, ut non planum satis fecerim quid et quale esset id quod in Cicerone defenderem; nec recusabo si mihi potius vitio verteris, quam inopiae eius sermonis quo utor. Sed tamen quocumque alio uti maluissem, non uno vocabulo defungi potuissem et certo; tam difficile est rem, quae non nisi subtilitate cogitationis percipitur, ita notare verbo, ut eam statim

agnoscant omnes, tantoque facilius ignoscendum est Ciceroni, sicubi, quo melius intelligatur, cumulatione verborum utitur. Non agitur de artificio quodam rhetorico, sed de ea forma orationis quae arctissime cum ipsa sentiendi forma et cum animi conditione coniuncta est. Haec si alia fuerunt in ea civitate, in qua omnia ad multitudinis arbitrium componebantur, odiosaeque erant paucorum praepotentes opes, alia in eo imperio, quod diuturna principis ordinis auctoritate creverat, et in quo non gerendarum tantum rerum prudentia, sed orationis quoque moderatio et verecundia tralatitia consuetudine exculta erat ad gravitatem et ad dignitatem, iniquum certe est altero sic delectari ut alterum contemnas, nec in utroque genere eas agnoscere virtutes quae propriae sint aetatis et civilis conditionis. Utilius est agnoscere utriusque generis laudes certis finibus circumscribi. Itaque celebrata illa Atticorum eloquentia si perpetuo uteretur illa *παῤῥησίᾳ*, unde *μιαρωτάτου* et *θηρίου* et *καταράτου* appellationes conceduntur, adspectu esset truci et immani, spiritus fortasse eosdem admiraremur, veram facundiam desideraremus: rursus Ciceronis oratio si cogitatur aliquanto plus etiam mansuetudini et officio tribuere, abiecta fiat necesse est ad inanem loquacitatem aut ad turpissimam servitutem, contra si temperata est ad argutissimum decori sensum, neque aut veritatem

—

tollit aut dignitatem, suis et praeclaris nitet dotibus.

Attigi quaestionem nec levem, nec, ut puto, otiosam. Sentis enim, certo scio, mecum, Zumpti praestantissime, nullam partem eius, quam profitemur, disciplinae stare posse, nisi ex ea gravissima deliberatio communis et praesentis eruditionis nectatur; tamdiu igitur huic studio Ciceronis interpretandi et emendandi non defuturum honorem, quamdiu intelligetur et non extremam humanitatis laudem in oratione polienda excolendaque consistere, et permultum ad huius facultatis exercitationem pertinere si animadvertere assuescas quam tenuibus radicum fibris illa virtus nitatur. Quae qui largiuntur, nec tamen requiri putant virorum doctorum studium in veterum monumentis ingenii perpurgandis positum, quod satis tolerabilia sint exempla quibus nunc utamur, hos dedoceat qui velit, a me ut fiat tu profecto nunc non postulas. Neque illam ipsam quaestionem aggressus essem, nisi tecum sentirem, metuendum esse ne iuventus, quam dedocuissemus vetera exempla superstitiose venerari, ac potius intentissimo studio ut singulorum virtutes vitiaque indagarent impulissemus, ad eorumdem contemtum prolaberetur; a quo levitatis et vanitatis initio qui exitus essent exspectandi, persequi non attinet. Equidem pergam, ut institui, ut, quantum mihi aliarum scriptionum consilia tem-

poris reliquerint, conferam ad Ciceronem ex Codicibus Bibliothecae nostrae emendandum. Quae studia quantam considerandi et inveniendi voluptatem afferant, te non latet; mihi tanto maiorem inde orituram scias, si cognovero doctis viris et intelligentibus meum laborem probari, in quibus quos prae ceteris intelligam, initio huius epistolae posui, neque alios excludam, simulatque videro qui cum illis conferri possint. Videbor tibi sic aliquantum ex Tulliana verecundia suscepisse: contra clausula utar aperte et antiquo more, Vale.

Scripsi Lugduni-Batavorum d. XXVIII
m. Aprilis a. MDCCCXLII.

PROLEGOMENA.

Quid in hac editione operis Tulliani De Legibus efficere studuerim, paucis in ipso principio explicandum videtur tanto magis, quod fore suspicor qui vel omnino plura, vel a me certe postulari posse existiment. Video enim hanc doctissimorum virorum esse sententiam, non facile huic recensendi veteris scriptoris officio satisfieri hodie posse, nisi ab eo, qui omnia praesidia eius negotii, sive Codicum MStorum, sive vetustarum editionum, excusserit, itaque non tantum omnem illam turbam variarum lectionum in promtu et praesentem habeat, sed earum etiam fontes et propagationem et veluti historiam indicare ac persequi possit. Et habebam sane, ne de aliorum in aliis scriptoribus posita opera dicam, Ciceronis expoliendi ornandique praeclarissimos auctores duo, quos intuerer, Zumptium et Madvigium; quorum quis non et rationem laudet, et admiretur industriam, et delectetur sollertia? Quas ego laudes in aliis tanto effusius praedicare soleo, quanto longiore intervallo me a tanta

excellentia abesse sentio. Itaque quod illis et suscipere facile, et profiteri honestum erat, ea a se edi, quae priorum in eodem opere inventis et excogitatis veluti cumulum adderent, quibusque multorum laudes quasi complerentur, multum aberat ut a me praestari posse sperarem, quocum optime agi viderem, si in secundis aut tertiis consistere liceret. Neque tamen nihil operae pretium me facturum sentiebam, si pauca quaedam, sed egregia emendandi praesidia, praesertim nondum ab aliis explorata, diligentissime usurparem, collatisque iis, quae proxime superiores editores collegissent, orationis Tullianae formam, iudicio adhibito, primum ad eam formam reducere conarer, quam fuisse credibile esset in illo MSto, unde nostri Codices fluxerunt, tum eo confidentius de corruptelarum genere et medicina, rationibus idoneis subductis, pronunciarem: postremo eorum tantum eam, quae vulgo interpretatio appellari solet, attingerem, in quibus aut omissa perperam, aut minus recte ab aliis administrata mihi videretur. Sed singulorum ratio accuratius reddenda est.

I.

Satis, credo, iam intellectum est ex iis quae dixi, vehementer mihi probari ea, quae Madvigius in Praefatione ad editionem librorum De Finibus p. XLI. sqq., prudenter distincteque disputavit de usu Codicum. Sed multum abest ut illa severa exploratione Codicum et tamquam censu difficultates iudicandi et sententiae ferendae omnes superentur. Duo enim occurrunt, quae fieri non potest quin conturbent rationem eam,

quam quis sibi informaverit ex diversa Codicum praestantia et aetate, quaeque ne morosissimus quidem legitimae recensionis vindex facile negabit: primum, vel in ipso, qui fingatur, archetypo multa aut menda esse solere, aut ex ingenio correcta; tum, in pessimis etiam libris subinde aut veram servari lectionem, aut eam exhiberi corruptelam, quae proxime ducat ad emendationem. Quod tamen non sic a me dici intelligi volo, quasi nullum plane auctoritatis inter diversos Codices discrimen sit; sed in permultis, non in omnibus, diiudicandis discernendisque praecipuum praesidium positum esse in ea arte, quam ne cogitando quidem a critica segregare licet, quamquam a multis vel minus gravis habetur, vel etiam spernitur et excluditur ex hoc omni iudicandi genere, quod *critices* nomine ut suo et proprio gloriatur. Ea autem ars nulla alia est nisi *interpretandi:* eaque sic mihi quidem videri solet coniuncta et penitus confusa cum altero illo munere recensendi, ut sine utriusque interitu divelli inter se non possint. Contra qui sentiunt, ii fortasse (nam plane expositam hanc sententiam nusquam reperio; colligo tantum ex iis, quae fieri video,) sed hos, credo, illud enarrandi, ut appellant, officium non nisi ad ea referri existimare, quorum expedita sit scriptura, non ambigua; aut, si forte lubeat, tribui posse idem aliis, quae criticus scilicet constituerit ex Codicum collatione, sed velut honorariam operam, non necessariam. Sed quum omnis interpretatio proficiscatur oportet ex intelligentia scriptoris, quem interpreteris, nihilque ei aliud, in quo tamquam materia versetur, subiectum sit praeter verba scriptoris et orationem, quibus hic, quae tradat

aut sentiat enunciaverit; quumque oratio primum universe ipsius linguae et sermonis indolem referat, tum peculiarem subinde formam induat vel ex cuiusque scriptoris consuetudine, vel ex argumenti, quod tractatur, diversitate aliisque opportunitatibus, earumque omnium rerum intelligentia tam nitatur germana interpretatio, quam ipsius argumenti cognitione et prudenti existimatione; consequitur et, qui interpretetur, adhibito iudicio defendere verba aut orationem quam tractat, et, qui de verbis orationeque iudicium ferat, nisi interpretandi officio diligentissime satisfaciat, prave iudicare. Quae si ita sunt, apparet multo latius patere critici, qui vocatur, munus, quam ut contineatur intra Codicum varietates diiudicandas, ipsosque qui, hoc titulo spreto, altero illo munere gloriantur, imprudentes saepe ulterius progredi. Itaque, ut uno exemplo defungar, pronunciaverant Critici de loco huius operis De Legibus II, 4, 9, (*vim habere ad recte facta vocandi*) contra omnium librorum constantem auctoritatem, inserendam esse negandi partic. *non* ante *habere;* hoc quippe postulari a iusta sententiae interpretatione: ego, quum Codices defendo, nihil aliud nisi ad ipsam provoco interpretationem, i. e. ad veram intelligentiam argumentationis, eamque secutus, reclamantibus quamvis omnibus criticis, expellendam censuissem particulam, si Codices exhiberent. Non tam ineptus sum, ut nihil ad nos pertinere putem librorum vetustorum auctoritatem: hoc dico, non simplex esse hoc, quoquo nomine appelletur, quod vero interpreti propositum est, sed duplici indagatione contineri, tum ut ex pluribus libris eorumque discrepantiis efficiat quid in eo libro

scriptum fuisse probabile sit, ex quo nostri fere Codices fluxerint, itaque eam, quam Wyttenbachius in Praefatione ad Plutarchum *legitimam* appellat, constituat lectionem, etiamsi corruptam iudicat; tum ut ex interiori interpretandi scientia divinet, quae *vera* lectio fuerit, id est ea, quam necessario ab ipso scriptore profectam existimet.

De hac quoque critices parte, quum in coniectura verae lectionis ingenium periclitamur, nihil habeo quod addam acutae Madvigii disputationi in eadem Praefatione p. XLV. sqq. Hoc tantum animadverti velim, quum dicat »primum in coniectura necessitatem spe»ctari et evidentem mendi demonstrationem," nihil aliud dicere, nisi interpretandi arte niti eam. Nam quum omnis coniecturae necessitas oriatur ex dubitatione et suspicione, haec ipsa futilis erit, nisi efflorescat ex accurata omnium eorum scientia, quibus boni interpretis munus absolvitur. Non sine causa autem exagitatur multorum in hoc genere levitas quaedam et immodestia: quae tamen non acrius istic, quam in universo interpretandi munere persequenda erant, ut, quod Stoici in alia re defendebant, hic quoque peccata aequalia habenda sint. Verum hoc interest inter utrumque, quod prava interpretatio tota est damnanda, in coniectura fieri potest ut ipsum illud, quod quis excogitaverit legitimaeque lectioni substitui velit, falsum aut ineptum sit, dubitatio autem, cui illa debebatur, et mendi demonstratio verissima. Sed, quae probari possit coniectura, ea sane requirit eam ingenii felicitatem, quam *εὐστοχίαν* Graeci appellabant; et tamen haec ipsa intra certos fines continetur, quos praeter mentem quoque et consuetudinem

scriptoris, haec praecipue consideratio describet, quo modo fieri potuerit ut prava lectio oriretur. Et praeclare nobiscum ageretur si tota ea res ad »artis re»gulam," ut postulat Madvigius, revocari posset. Ars autem, ut Charmadae definitione utar apud Ciceronem Orat. I, 20, 92, *cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et numquam fallentibus rebus continetur:* quod tantum abest ut in hanc critices partem cadat, ut nulla facile consideratio magis anceps excogitari possit. Quis profecto est, qui primum librariorum errores ad certa genera redigat, aut eorum vel levitatem, vel imperitiam definitione et divisione comprehendat, qui olim ipsos Codices emendare voluerunt? In iis ipsis, qui iactari solent fontes errorum, longe pleraque duplicem eamque contrariam habent interpretationem et usum. Nam et interpolari saepe, et rursus omitti vocabula dicunt; iungi perperam syllabas, et disiungi, tum permulta scribendi modo et forma tam similia et paria inter se esse, ut fere constanter commutentur. Implicatiusque etiam fit iudicandi negotium, quum dicunt ex uno veteri mendo aliud necessario ortum esse debere. Atque horum omnium maxime inconstantem aut potius nullam esse rationem, certe nullam artem, tum maxime crederetur, si, quae in uno alteroque vetere scriptore factae sunt complurium Codicum collationes, eas certo quodam ordine inter se componere quis suscepisset, ita ut uno conspectu cernere liceret quot modis in eadem re errari potuerit, et fere quidvis ex quovis, ut aiunt, factum esse. Non attinet hoc exemplis demonstare: tantum dico, non artem esse harum rerum, cuius certa praecepta aut ponere, aut sequi liceat, sed

ἐμπειρίαν quamdam, ex assiduo et diligenti multorum Codicum usu comparandam. Hanc autem ita dico necessariam esse ei, qui corruptam lectionem emendare suscipiat, ut multis tamen ea modis abuti possit, fierique haud raro videamus, ut tam falsae quam verae coniecturae suffragetur diligens observatio eorum, quae librariorum errore committi solent.

Restat nihil ut firmum sit, quo de coniectura iudicium regatur, nisi quum linguae cognitio diligentissima, tum ut animo penitus comprehensam habeas scriptoris consuetudinem, accuratissimamque imaginem intuearis eius formae enunciandi, quae vel unice, vel maxime conveniat ei loco, in quo mendum tibi deprehendere videaris: nam et illam ἐμπειρίαν, de qua dixi, ipsam, velut mutum instrumentum, hac interpretandi arte regi oportet, et reliqua omnia in communi intelligentium prudentiae modestiaeque sensu posita sunt, cuius fines quamquam perrumpere nemo sanus cupiat, tamen certos describere vel sibi vel aliis quis audeat?

Quid quantumque tribuam diligenti librorum MStorum tractationi, et modo declaravi, et, ut spero, ex annotatione ad hos libros De Legibus apparebit: rectene an secus illa exercitatione usus sim, docti iudicent. Satis mihi magnam praesidiorum illorum copiam praesto fuisse, demonstrabit *Codicum MStorum Descriptio* p. 104 sqq.: quas copias tametsi insignes et magni momenti esse nemo negaverit, erunt tamen, opinor, qui reliquum omnem variantium lectionum, ut appellantur, ab aliis collectarum, apparatum diligentissime repetitum, et perpetuo usurpatum a me maluissent. Ego et laudandum hoc institutum duco, et tamen veniam impetraturum spero, si, tarditate

fortasse, cuius difficilis excusatio est, in tanta domesticarum copiarum ubertate, ingrato alienarum, per plura volumina dispersarum, colligendarum recensendarumque negotio committere me nolui. Neque profecto hoc umquam spectavi, ut mea editio instrumenti perfectione aliarum usum excluderet, quarum bona excerperem et ad meas chartas locupletandas conferrem. Quam anceps et impeditum sit institutum Ciceroniani operis rite edendi probe gnarus, neque, quod quidem constanti et diuturna intelligentium approbatione dignum sit, unius, sed multorum ingenio et industria perficiendum esse iudicans, volui unus ex multis esse, qui quibus opportunitatibus emendandi uti potuissem nondum satis ab aliis usurpatis, eas in commune conferrem, adhibito eo doctrinae modo, eaque iudicandi facultate, quam mihi vel natura tribuisset, vel aliquot annorum industria conciliavisset. Quapropter continui me intra Davisii, Ernesti, Goerenzii, Moseri et Orellii editiones, ne Oxoniensi quidem spreta, neque tamen ita ut quicquid illi vel ex Codicibus, vel ex vetustis Editionibus commemoravissent, repeterem, sed ut uterer, si quid ad meum iudicium regendum pertinere videretur. Accedebat alia cogitatio, quae me a nescio quo perfecti et absoluti operis efficiendi consilio deterreret. Nam non tantum ab aliis admonitus, sed ipse expertus noveram, quam negligenter subinde Davisius et Ernestus et Goerenzius in varietate lectionis enotanda versati essent: itaque praestare existimabam si praecipue quidem apud me valeret earum copiarum auctoritas, quas vel ipse explorare potuissem, vel ab aliis accuratissime indagatas nossem.

Hinc igitur mancam fore videbam omnem, si quam

instituere vellem, disputationem de Codicum generibus et familiis. Quid enim in eo genere, quod quidem fidem faciat, explicari potest, nisi cuiusque libri indolem penitus cognoveris? Fac omnem varietatem Codicis, ab alio collati, diligenter enotatam esse. Non satis est. Rarissime enim narrari solet quid primae, ut dicitur, manus, quid secundae fuerit; erasumne sit quid, cui aliud superinductum sit, an omnia sine litura continuo picta; literaene et vocabula bene an male iuncta sint, multaque alia, qualia ex A. B et C in varietate lectionis saepe commemoravi, quaeque minime negligenda puto, si quis vere librum manuscriptum aestimare velit.

Hos autem librorum De Legibus Codices omnes fluxisse ex uno eodemque vetusto libro et mutilo, et iam insigniter corrupto, facile intelligitur illud ex mira conspiratione in lacunis, quas omnes habent, ita ut indicium etiam perierit quicquam istis locis desiderari, hoc ex monstris lectionum, quae optimi quique et vetustissimi libri servant, quale est illud *capulli optimi* (I, 7, 21) et *symfrantides* (II, 2, 5) tum notabilis illa corruptio longioris loci (I, 17, 46.) Et tamen ea est librorum, quos habemus, inter se dissimilitudo, ut non ex uno archetypo, sed ex huius diversis apographis descripti fuisse videantur, magis hi quidem ipsorum indole, quam aetate aestimandi. Et mihi quidem sedulo has, quae suppeditabant, copias usurpanti, potior familia visa est cuius essent hi libri, A, B, E, 11. 65. et Copp. Victor. b. apud Moserum. Ex his Vossianum A fere ducem secutus sum in oratione describenda, in quo nihil mutarem, nisi quod aliunde allatum potius mihi videretur; cor-

rectiones, nisi in propriis nominibus, aut coniecturas nec alienas, nec meas umquam recipiendas duxi; quod si imprudens semel aut bis feci tamen, in annotatione me ipse castigavi. Igitur et ordinem verborum ex hoc libro edidi, et saepe quas unus habebat optimas lectiones, sed quas in aliis paullum iam degeneravisse constaret; ex quo genere est *quorum cetera* (I, 7, 22.), reliquis primum *quom*, tum *cum* exhibentibus. Ex alio fonte fluxisse puto eum, quem C notavi: nam et permulta continet diversa ab illis, et tamen carere solet iis interpolationibus et corruptelis, quae deteriores Codices invaserunt: igitur ne ipse quidem habet *quam* post *nihil aliud* (I, 8, 25), nec *forma altiori*, pro *formavit oris* (ibid. 26), nec *alteri maluerit* (ibid. 11, 34.) quas corruptelas optimi, quos primos posui, servant. Cum hoc autem multis partibus conspirant Ambr. *α.* et Burn. *δ.* Contra D recensionem continet et saepe correctam, et haud raro interpolatam: ita tamen, ut subinde correctio vera videatur, sicut *venisse et Athenis* (I, 20, 53), reliquis *venisset Athenis* servantibus: et *verum quoque sit* (II, 5, 11.) nec habet interpolatum *enim*, in verbis *hic enim orti sumus* (II, 1, 3.) Ex eodem correctorum Codicum genere duo reliqui Ambrosiani sunt, quamquam singuli subinde soli veram continent lectionem. Reliqui omnes, quorum mihi collationes praesto fuerunt, propter leviores cum potioribus libris discrepantias, minime mihi ad peculiarem quamdam familiam pertinere videntur, aliis quamquam alio modo et loco aberrantibus. Unus est Lagom. 10, negligentissime sane scriptus, sed quem tamen tum ordine verborum, tum permultis omissionibus, tum varietate

lectionis existimes ex suo et proprio fonte fluxisse, sed in primis lutulento et turbido, ut raro prodeat quod tollere velis.

Atque haec non ideo breviter a me disputata intelligi velim, quasi contemnerem illam Codicum in diversas familias distributionem: contra operae pretium mihi facturus videtur is, qui maiori industria et diligentia omnia collegerit et contulerit, tam ex veteribus editionibus, quam ex collationibus quibus recentiores editiones instructae sunt, itaque utilissimam absolverit quasi historiam describendi huius operis; in quo neque alia multa negligenda erunt, quae mihi usurpare non concedebatur, neque Editio vetus s. l. et a., ea quam descripsit, post alios, Orellius in Indice Editionum p. 308 et p. 331. Eam editionem quum in Museo Brittannico, propter temporis, quod mihi reliquum erat, brevitatem, totam conferre non possem, agnovi tamen descriptam esse religiose ex Codice mendosissimo quidem, sed vetustiori: caret enim personarum indiciis, quae in recentioribus Codicibus negligi non solent. Quae ab omnibus reliquis discederent in hoc libro, pauca enotavi ex postrema parte libri II[i]. Sic Cap. 18, 45, *nemo ista* pro *habeo i.* 19, 48, omittitur *ea* ante *adiuncta.* 21, 52, *nam cum pecunia*, omisso *sacra.* 22, 55, *tanta religio est sepulcro tamen ut.* ibid. 56, *sepulturae genus fuisse idicitur quod apud (Xenoph.) tirus.* ibid. fin. *quam fuerit vehemens.* 23, 58, *quibus hoc ante habuerint legem virtutis tam tributum est.* ibid. *et ea causa fuit.* 24, 60, *neque fuissent ne sumptuosa aspersione longe coronae nec accurrere praet.* ibid. (*laudis*) *ornamenta.* ibid. *plures influerentur.* ibid. 61, *reliqua in more sumus: ut*

inducatur si quid. ibid. 62, *atque honoratorum.* ibid. *vocabulo etiam ad cantus ad Graecos.* 25, 62, *credo in minimam* (quocum conferri potest nostra correctio in I, 9, 27. init.) 26, 65, (*nisi*) *in publicis.* ibid. 66, (*ut scitis*). 27, 69, *dic si istam rationem.* Ex libr. III^tio haec: Cap. 2, 4, *in sex libris inde ante diximus.* ibid. 5, *titanum facit e genere statuit eos:* tum semel aut bis in eodem libro huius editionis auctoritate usus sum in Annotatione, appellans Edit. veterem.

Et erunt, certo scio, quibus abusus esse videar charta, quique tam minutam et sedulam in variantibus lectionibus enotandis diligentiam inutilem esse putent, nec quicquam interpretationi profuturam. Mihi contra videtur vix quicquam in eo genere esse quod quis iure omittat; quaeque nobis ridicula et inepta corruptela videatur, ea fieri posse ut aliis vitii in recepta lectione suspicionem moveat; omninoque hoc postulari ab eo, qui libris MStis utatur, ut eorum integram copiam faciat legentibus, nec ferendum esse eum, qui quid sciri conveniat, quid ignorari liceat, suo iudicio decernat, non legentium arbitrio et prudentiae relinquat.

In Annotatione quam rationem sequi studuerim, paucis explicandum est. Spectavi universe interpretationem, non omnium rerum, sed earum, quae ab aliis editoribus aut relicta, aut non recte, meo iudicio, administrata erant. Itaque si satis magna pars Annotationis absumitur in explicandis rationibus, quibus motus tum a Davisio et antiquioribus, tum ab Ernesto, a Goerenzio, a Mosero et Creuzero, ab Orellio, a Madvigio etiam, quo nemo acutius hos

corruptissimos libros tractavit, dissentirem, id tribuendum erit instituto meo. Quo loco deprecanda mihi est eorum animadversio, qui fortasse neglectos se a me querentur, et unum alterumque in meis reperient, quae sua esse vindicabunt. Nam neque Wagneri, nec Rathii vidi editiones, nec multorum aliorum libellos, in quibus Tulliana docte et prudenter tractari audivi quidem, sed explorare omnes nec animus mihi erat, nec opportunitas.

Praecipua autem cura a me posita est in lectionis iudicio: quod ipsum quum esset, ut supra dixi, arctissime cum interpretatione coniunctum, operam dedi, ut in cuiuscumque loci criticam disceptationem incidissem, eius quoque sententiam illustrarem. Sed non poterat ab illa disceptatione segregari diligens indagatio quum Latinitatis universe, tum praecipue consuetudinis Ciceronianae: quod quamquam ab omnibus concessum, propterea tamen commemorandum duco, ut excusem frequentem exemplorum usum, usurpatamque opportunitatem, per quam aliis quoque locis aliisque scriptoribus prodesse studerem. Una tamen pars est interpretationis, quam vix attigi. Nam, quum II[i] et III[tii] libri disputatio fere tota referatur vel ad ius publicum, quo res publica Romana utebatur, vel ad ea quae Cicero ipse in eo iure innovare cupiebat, fieri non posse arbitrabar ut huic interpretationi satisfieret, nisi ab eo qui hoc uno consilio veterum monumenta perlegisset, recentiorumque inde a Sigonio usque ad Niebuhrium et recentissimos disputationes cognovisset et perpensas haberet. Tam graves enim et impeditas in hoc genere disputandi esse controversias noveram, ut harum disputatio et tempus vacuum et

animum solutum postularet; magisque me in hac sententia confirmavit Rubinii praestantissimus liber, quo continentur disquisitiones de Romanae civitatis disciplina et historia (Cassel. 1839), quemque his paucis demum diebus cognovi. Igitur huius quoque ignorantiae confessio eo pertinet, ne viri docti, ad quos mea opella pervenerit, plura a me exspectent, quam quae susceperim, quaeque abesse videant, ut ab iis petant, a quibus ipse didicisse vellem. Facilius autem sive consilium hoc probabunt, sive vitio ignoscent, qui nihil a veteris scriptoris editore postulandum censent, nisi ut sua conferat, quibus monumenti, quod agitur, intelligentia adiuvetur, neque magnopere praedicandam eorum industriam, qui, quae minus intelligant ipsi, tamen intelligere aliis videri cupiant, alienamque eruditionem induant, quo pleniorem suam efficiant disputationem. Verum ut in universa hac antiquitatis et literarum disciplina alia alium tenent et delectant, ita fit in singulis saepe scriptoribus ut a multarum ac diversissimarum rerum, quae commemorantur, studio et indagatione vel natura te, vel subsidiorum, quibus utaris, ratio, ad perpauca reiiciat et saepe tamquam in angustum locum includat: et omnino, in quibus quis elaboraverit, ea demum sua appellare poterit; quae si multa sunt et gravia, in paucis excellere dicendus erit, si pauca et leviora, non ideo contemnendus quod suos fines egredi gravatus est. Ceterum nec cuiquam edendi modum aut legem praescribimus, et nobis ut nostro instituto uti liceat concessum iri spero.

II.

Restat ut unam alteramque dubitationem attingam, quas proprias habent hi De Legibus libri, non certe cum reliquis Tullianis communes: et ne has quidem ipsas retractandas censerem, nisi quadam ex parte tum ad singulorum nonnullorum locorum rectam interpretationem, tum ad ipsius Ciceronis consilium et institutum cognoscendum pertinere hanc disputationem putarem. Nihil autem de Moseri laude detractum volo, similia docte et prudenter edisserentis in Introductione: sed aliquanto ulterius progredietur mea indagatio.

Et Hulsemanni quidem admodum inconstantes opiniones satis refutatas esse puto a Goerenzio et Mosero: quamquam neque illarum opinionum argumenta cognovi, nec quibus rationibus alius vir doctus, nescio quis, hoc opus De Legibus non Ciceroni tantum, sed illi aetati abstulerit. Igitur omissa hac concertatione, non quo contemnam adversarium, sed quod non dispicio, de iis dicam, quae plurimorum deliberationem excitarunt. Nam quum vix ullum volumen ediderit Cicero, quod non ipse aut in epistolis, aut in alia disputatione commemoraverit, hos De Legibus libros nusquam indicari constat, ne iis quidem locis, ubi eorum necessaria videretur mentio. Pertinet eo praeter Divin. II, 1, Tusc. IV, 1, 1, (A. U. 709), quo loco tam apte libros De Legibus, quam sex illos De Republica laudare potuisset: tum Brut. 5, 19, (A. U. 708), ubi nihil prodiisse a Cicerone dicitur post librorum De Republica editionem. Sed ex illo silentio, quum ne in Epistolis quidem usquam hoc scribendi aut consilium attigerit

aut spem fecerit, non tam conficiendum esse aut omnino non a Cicerone scriptos fuisse hos libros, aut postremo demum vitae tempore confectos, quam scribi coeptos, sed nec absolutos, nec editos, satis constans hodie doctorum sententia est. Quod autem Rathius putat horum librorum significationem exstare De Orat. I, 42, 190, (sic enim eius sententiam interpretor, quam non ex ipso, sed ex Mosero cognovi), nec tum credo, ante scriptos De Republica libros, serio illud de iure civili scribendi consilium agitasse, nec cuiquam, opinor, verba De Legg. I, 20, 52, (*controversiam de finibus aliquando iudicandam esse*) persuadebunt, tum iam in animo habuisse σύνταγμα De Finibus. Sed, nisi per se intelligi posset fieri aliquoties debuisse, in tam occupata vita, ut instituerentur plura quam absolverentur, ipse profitetur (Legg. I, 3) se *non tam facile interrupta contexere, quam absolvere instituta:* et fortasse alia sunt exempla librorum, quos non confectos reliquerit. Ad Quintum fr. III, 1, 4, 11, scribit (A. U. 700), *libros meos quos exspectas, inchoavi: sed conficere non possum his diebus:* sed hi quidem erant sex illi De Republica; conf. ibid. III, 5 et 6. Sed certe, quae scribit ad Att. XIV, 17, 6, demonstrant ab eo suscepta fuisse, quae non absolvisset, aut quae edi noluisset: *librum meum*, scribit, *illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi:* atqui idem consilium agitaverat iam A. U. 695, vid. ad Att. II, 6, 2. Intelligit autem Ernestus libros tres, quos versibus de temporibus suis scripserat: sed hos iam A. U. 700 absolutos fuisse, nec nisi verecundia impeditum Ciceronem quo minus ederet, constat ex ad Div. I, 9, 23. Rursus, nusquam

appellat libros Augurales quos scripserit: et tamen commemorant Charisius et Servius, neque iniuria intelligi videntur in his verbis Divin. II, 36, init., *sed de hoc loco plura in aliis*. Hos autem et alios quare omiserit in illa enumeratione voluminum a se editorum, non difficile est excogitare; id quod non cadit in hos De Legibus libros.

Confirmatur ea sententia, non fuisse editos illos libros, definito tempore, quo scriptos esse necesse sit; in qua disputatione non utar nunc Lactantii auctoritate, qui De Offic. Dei cap. 1 satis diserte significat libros De Nat. Deorum scriptos esse post illos de Legibus; sed non constat inter viros doctos. Iam Corradi suspicio (Quaestur. p. 265) in Cilicia scriptos esse, vix ulla demonstratione munita est. Chapmannus ex illo silentio, de quo modo vidimus, post libros De Divinatione et De Fato scriptos esse conficit. Moserus, multo diligentius ipsa, quae continentur his libris, explorans, primum »intelligi, dicit, ex »Lib. III, 13, 30, scriptos esse post obitum Luculli, »qui obiit Cicerone exsulante, i. e. paullo ante bel»lum inter Caesarem et Pompeium, septem fere annis »ante Ciceronis obitum:" voluit, opinor, Cicerone Ciliciam pro Consule tenente. Sed ex his Moseri verbis quis non conficiat eum hoc statuere, annum intelligendum esse post reditum ex provincia? et tamen subiicit, »omnibus probe ponderatis," annum se intelligere 701, ante quam in Ciliciam profectus esset; qui rursus decem sunt anni ante Ciceronis mortem. De hoc autem mox videbo: nam, quae dein affert Moserus, nihil pertinent ad tollendam hanc dubitationem, utrum ante an post provinciam gestam scripti

libri sint; veluti, libros De Republica, qui aliquoties commemorantur, editos esse A. 700, causam Milonianam, Clodio interfecto, actam esse A. 702 (quam subindicare videtur II, 17, 43, in primis verbis *offensione iudicii*), augurem creatum fuisse Ciceronem (II, 12, 31), A. 701, post Crassi interitum. Magis interest definire, intra quae tempora haec scriptio coërcenda sit. Et Catonis quidem ut viventis fieri mentionem (III, 18, 40), arguit tantum ante A. 708 scriptos esse. De Lucullo, dubitari potest. Orellius in Onomastico p. 352. a. »mortuus est, inquit, paullo »post A. 697," nullo addito auctore: sed certe Plutarchus Lucull. Cap. 43, ita tradit, ut brevi post Ciceronis exsilium diem obiisse dicas: igitur ut de mortuo dicta accipienda sunt illa III, 13, 30. De Marcello quoque et Appio auguribus quaeritur (III, 13, 32), quorum ut vivorum mentio fit. Atqui de C. Claudii Marcelli, quem collegam in auguratu habuit Cicero, morte nihil usquam traditur; de Appio Claudio novimus eius in Pompeianis mentionem fieri, ad Att. VIII, 1, 3. et IX, 1, 4, (A. 705), tum ante A. 709 mortuum esse, quo anno et Vatinius in eius locum cooptatus est, (ad Div. V, 10, 2), et libri De Divinatione editi sunt, in quibus utriusque, ut mortui, meminit Cicero II, 35. Sed iam Brut. 77, 267, (A. 708) Appii ut mortui fit mentio. Melius utitur Moserus Pompeii mentione; de quo (I, 3, 8. II, 3, 6. III, 9, 22. 11, 26), ita loquitur Cicero, ut de florente et rem publicam tenente. Sed fieri nullo modo potest ut ista scripta sint post reditum ex provincia, A. 705, quum fractus erat Pompeii principatus, et *in summo discrimine versabatur salus universae rei publicae* (ad Div.

XVI, 12. init.), et *funditus deleta erat res publica* (ad Att. IX, 19, 2.) a quo tempore corripuit Ciceronem diuturna illa perturbatio valetudinis, sicut figurate, non proprie, appellat Brut. 3, 12. init., per quam omnem ingenii fetum repressum queritur, nec quicquam post illos De Republica libros ediderat. Et sane, quis concedat quicquam, quod ad rei publicae disciplinam stabiliendam pertineret, aut omnino illis miserrimis temporibus et perturbatis scribi potuisse, aut, si potuisset, exclusam esse vel levissimam praesentis calamitatis et discriminis querelam? Atque illas res quam fracto animo ferret, ex Bruto intelligitur, in quo sermone hoc firmiter tenet, ut sileatur de re publica. Sed ne periculum quidem negligebat, quod adiret, si libere, quid sentiret, ederet, quamquam semel iterumque Caesaris expertus in ea re humanitatem: ideoque quum Atticus eum, post Caesaris necem, ut tale quid conscriberet hortaretur, respondit (ad Att. XIV, 17, 6), »*ego autem — minore periculo* »*existimo contra illas nefarias partes vivo tyranno* »*dici potuisse, quam mortuo.*"

Accedit, quo tempus scriptorum illorum librorum intra provincialem annum definiendum sit, quod ipse I, 3. sq. plane indicat se tum multiplici causarum forensium opera fuisse occupatum: neque haec opera ulla fuit post reditum e provincia; contra idem taedium aliquoties declaravit antea. Ad Div. VII, 1, 4, ad Marium scribit A. 699: *quod si tam facilem populum haberem, quam Aesopus habuit, libenter, mehercule, artem desinerem, tecumque et cum similibus nostri viverem. — Itaque quaero causas omnes aliquando vivendi arbitratu meo:* conf. ad Q. fr. II.

16, 1. III, 3, init. scriptae A. 700: ad Div. VII, 2. fin. scripta A. 702, quae omnia mirifice conspirant cum illa querela in sermone De Legibus.

Neque hoc negligendum est, Arpini sermonem illum vix haberi potuisse postquam e provincia decessisset. Nusquam commemoratur Ciceronem primis illis temporibus (A. 705) ibi rusticatum esse, multoque minus cum Attico et Quinto convenisse: Arpinum semel attigit, filio ut ibi togam puram daret (ad Att. IX, 19. init.), ceterum multis itineribus iactatus per Italiam, et navigandi consilia agitans: itaque complures exstant per illud omne tempus scriptae ad Atticum epistolae Lib. VII usque ad X. Contra, A. 703, quum Roma discederet in provinciam profecturus, fuit sane in Tusculano cum Attico, mox Arpini cum Quinto: ad Att. V, 1. De praecedente Anno 702 nil traditur, et fuit ille annus causae Milonianae Ciceroni in primis occupatissimus: sed, quum nullae ex illo anno neque ad Atticum, neque ad Quintum epistolae supersint, suspicari licet neque hos tum domo afuisse, et per aestatem cum Marco Arpini fuisse: nam illo anno rediisse iam Quintum a Caesare e Galliis constat.

Quod si bene, ut puto, coniecit Orellius Epist. 18. Lib. V ad Fadium huius Anni (702) esse, pulcre videntur cum illa querela de iudiciis (Legg. I, 14, 40) convenire haec ad Fadium scripta: *ea denique videtur conditio impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima poena ab hac re publica discesserit:* quibuscum conferenda sunt quae scripsit ad Lentulum, ad Div. I, 8, 4 (A. 699) et ad Quint. fr. III, 6, 4 (A. 700): ex quibus apparet quae ironia sit in Attici verbis, quum

Legg. III, 12, 29, dicit de Senatu, *tuus est totus ordo.*

Ne libri auguralis quidem Appii Claudii mentio (II, 13, 32), aliena videtur ab eodem Anno 702. Nam quae Cicero ad Appium scribit (ad Div. III, 4, 1), *quod* (me a te plurimi fieri) *egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximeque illo libro Augurali, quem ad me amantissime scriptum suavissimum misisti*, scripta sunt sane A. 703 ex itinere in provinciam, sed ad Appium, qui ipse tum in Cilicia erat, quique, ut videtur, quum Cicero augur factus esset A. 701, hunc librum ad eum miserat proximo Anno 702. (Sed corrigendum esse puto *suavissime*, siquidem nulla *suavitas* in ipso Augurali libro esse poterat, sed in iis literis, quas simul Appius miserat, sicut in ipso *multas suavitates* praedicat Cicero ibid. 1, 1: itaque epistola *suaviter scripta* dicitur ad Div. XV, 21, 5.)

Considerandum porro hoc, quod I, 5, 17, omnibus consentientibus, Serv. Sulpicius indicatur, qui *nunc summa auctoritate et scientia sustineat* ius civile. Haec igitur ante bellum civile scripta sint necesse est ideo, quod, quo anno e provincia decedens Romam rediit Cicero (705), ea iam fuit omnium rerum perturbatio, ut eo ipso anno ad Sulpicium scribens, qui tum ipse in urbe erat, (ad Div. IV, 1, 2), *urbem* diceret esse *sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide relictam direptioni et incendiis.* Mox ipsum Sulpicium urbe cessisse constat, et in exsilium abisse, in quo, A. 707, Sami se eum audivisse narrat Brutus, Brut. 42, 156: et tam de primis illis temporibus, quam de secutis valuit id, quod Cicero scribit ad eum A. 708 (ad Div. IV, 3, 4), *tuae scientiae* (iuris) *ex-*

cellenti ac singulari non multo plus quam nostrae (eloquentiae) *relictum est loci.*

Haec si probantur, scribere coepisse Ciceronem de Legibus A. 702, Pompeio III Cos., in promtu est reperire qua de causa non absolverit; si quidem praeter exspectationem et praeter spem sequens annus ei provinciae administrandae necessitatem imposuit. Quo loco non negligenda ea sunt, quae breviter quidem, sed non sine gravi significatione a Cicerone III, 8, 18. sq. dicuntur. *Nobis vero placet* (de provinciis decedere), inquit Atticus: *sed iis, qui in provinciis sunt, minime placet.* M. *At vero, Tite, si parebunt his legibus, nihil erit his urbe, nihil domo sua dulcius, nec laboriosius molestiusque provincia.* Primum ista mirifice conveniunt cum iis, quae initio itineris in provinciam scripsit Cicero ad Atticum V, 2, 3: *noli putare mihi aliam consolationem esse huius ingentis molestiae, nisi quod spero non longiorem annua fore. Hoc me ita velle multi non credunt, ex consuetudine aliorum.* Sed videntur praeterea ista adversus Caesarem pertinere, quem tum Senatus auctoritas ut discederet cogere videbatur: conf. Coelii Epistolae Lib. VIII, et ad Att. V, 2 et 4. Nec tamen ipse quicquam dicit quo perstringat alios, sed ea Attico verba tribuit.

Adversus haec, quae non temere nobis disputare videmur, cavendum, ne quis uno alteroque loco abutatur. Veluti, quod dicitur I, 3, 9, *quae scripsisti plura quam quisquam de nostris*, puto fore qui pertinere putet ad multa illa volumina, quae inde ab A. 708 de philosophia edere coepit, itaque contendat hos libros De Legibus post illa scriptos esse. Verum

satis, opinor, ex Bruto 32, 123 intelligitur, significari illam *turbam novorum voluminum*, i. e. actionum a Cicerone editarum, qua priorum oratorum industriam superaverat et nomen adeo obscuraverat. Rursus ad Varronem haec scribit (A. 708) ad Div. IX, 2. fin. *si nemo utetur opera, tamen et scribere et legere πολιτείας· et si minus in curia atque in foro, at in literis et libris, ut doctissimi veteres fecerunt, navare rem publicam et de moribus ac legibus quaerere:* ex quibus si quis demonstrare vellet nondum Leges scriptas tum fuisse, idem de Republica esset affirmandum. Multo melius, credo, cum Legum libris coniungemus ea, quae scripsit ad Atticum VII, 2, 4, (A. 704): *sed tamen prudentius, quam Lucius et Patro, qui quum omnia ad se referant, nec quicquam alterius causa fieri putent, et quum ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit; non intelligunt se de callido homine loqui, non de bono viro. Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti.* Indicantur sane libri De Republica; sed tamen descripta fere dicas ex I Legg. 14, 41, quo cum loco ipsae locutiones conveniunt. (Quod *nec* inserui ante *quicquam*, factum flagitante sensu, et Rom. auctoritate: praeterea mei arbitrii si esset, Coniunctivos *referant*, *putent*, *dicant*, mutarem in Indicativos, quae ratio nunc satis stabilita habetur.)

Sed non tantum coniectura aut computatione, quantumvis probabili, nititur hoc, libros De Legibus neque editos, neque absolutos esse a Cicerone, verum complura eius rei indicia ex ipsis, quae supersunt, fragmentis colligi possunt, unde facile intelligere licet,

quare nusquam de hoc opere, sicut de aliis, suum illud *absolvi*, aut *perpolivi*, aut *describas licet*, scripserit. Primum, quamquam non sane gravissimum, hoc est, quod insignis et molesta deprehenditur in singularum partium et sententiarum tractatione inaequalitas, aliis prudenter, apte, copiose, ornate etiam et cum doctrinae apparatu expositis, aliis uno verbo profligatis. Maxime cernitur hoc in interpretatione legum in II^do^ et III^tio^ libro. Quam diligenter, quamque nonnumquam oratorie nonnulla in his elaborata sint, non attinet indicare; in plerisque autem parca quidem, sed tamen iusta defensio proponitur. Sed quid est hoc, quod II, 14, 34, dicitur, *Iam de haruspicum religione, de expiationibus et procurationibus satis superque in ipsa lege dictum puto?* aut, quod ibid. 16, 41, *Iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est?* nisi forte dicendum est, alio loco id commodius fieri potuisse. Similia offendunt in III^tio^ libro: veluti Cap. 18. init.: *sequitur, quibus ius sit cum populo agendi, aut cum senatu: gravis, et, ut arbitror, praeclara lex.* Satisne haec sunt, e quibus vel suspicetur quis de gravitate aut praestantia eius legis, quae iura magistratuum ipsamque rei publicae disciplinam attingebat? Eademque brevitas, aut potius negligentia est Cap. 19, 43. fin., *deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibusve audiendis:* tum Cap. 20, init., *sequitur de captis pecuniis, et de ambitu leges,* nulla defensione addita. Dicemusne propterea istarum legum omissam esse interpretationem, quod ex nutu Attici et Quinti intelligeret Marcus non opus esse suaderi? Non dicemus: si quidem quae II,

10, 24, dicit Atticus, ad dialogi similitudinem excogitatum est, nec liberat eum, qui grave argumentum scribendo persequitur, iustae in singulis explicationis officio. Aequum est igitur ut statuamus, non tantum non absolvisse Ciceronem hos libros, sed multa etiam in iis, quae habemus, inchoata potius, non perfecta esse.

Sed maioris momenti est alia quaedam considerare, quae, nisi isto modo statuamus, vix excusationem haberent. Itaque negligentis nec satis correctae comprehensionis exempla nonnulla deprehendimus, quale est illud de quo p. 302. sq. monui (I, 4, 12. fin.) Porro, quae I, 5, 17, dicuntur, inutili abundantia et iteratione mihi laborare videntur. *Non quaerimus*, inquit, *quemadmodum caveamus in iure: sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris et legum*, *ut hoc civile*, *quod dicimus*, *in parvum quemdam et angustum locum concludatur. Natura enim iuris explicanda est nobis*, — *tum haec tractanda* — *iura et iussa populorum* cet. Destinavisse credo Ciceronem haec postrema, quae prioribus substituerentur: neque enim attinebat id, quod opponeret disciplinae aliorum Iurisconsultorum, (*quemadmodum caveamus in iure*) ita in duas sententias discerpere: nec dubito quin deserere voluerit eam locutionem, quae non sane respondebat iuris civilis dignitati et gravitati, ut illud diceretur in *parvum quemdam et angustum locum concludendum esse*. Haud dissimilia sunt ea, quae leguntur ibid. 6, 19. Quum demonstravisset *legem esse rationem summam*, *insitam in natura*, sic pergit: *quod si ita recte dicitur* —, A LEGE DUCENDUM EST IURIS EXORDIUM. —

Constituendi vero iuris AB ILLA SUMMA LEGE CAPIAMUS EXORDIUM, *quae seculis omnibus ante nata est —.* (§ 20.) *Q. Commodius vero —. M. Vis ne ergo* IPSIUS IURIS ORTUM A FONTE REPETAMUS? — *Quoniam igitur eius rei publicae — tenendus est nobis et servandus status —,* REPETAM STIRPEM IURIS A NATURA. Non invidebo si quem haec delectant ut vere Ciceroniana. Mihi quidem videri solebant sic inchoata, ut e pluribus, quum perpoliret, unum aut alterum sumturus esset, reliquis omissis. Rursus ibid. 11, 32, in illa demonstratione omne genus hominum sociatum inter se esse, quum recta primum commemorasset, quae communia haberent omnes, tum a *rectis* ad *pravitates* progressus esset, ita hoc postremum continuat: *quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit?* Atqui, nisi me omnia fallunt, in rectis haec numerari oportebat, non in pravitatibus. Nihil dicam de aliis, quae in sequentibus eiusdem libri capitibus minus eleganter cumulata sunt. Sed certe II, 4, 9, ea tribuuntur Quinto, quae Marcus iam occupasse videtur. Dixerat enim hic modo: *Videamus — vim naturamque legis — ne labamur interdum errore sermonis:* tum paulo post haec dicit Quintus, *vim istius coelestis legis explana, ne aestus nos consuetudinis ad sermonis morem usitati trahat.* Manifestum est alterutri hoc tribuendum, non utrique fuisse. Quae haud iniuria viros doctos offenderunt ibid. 19, 48, ea ipsa quoque fortasse ex negligentia orta sunt. Sed III, 2, 5. fin. requiri puto aliquid ad sententiae propositae demonstrationem. Quum enim universe primum monuisset imperio civitati et magistratibus opus esse, tum

et his imperandi, et civibus obtemperandi modum praescribendum esse, et illud Platonis commemoravisset, *Titanum e genere eos* esse, *qui adversentur magistratibus*; subiicit, *Quae quum ita sint*, *ad ipsas iam leges veniamus*. Sed illa formula, *quae quum ita sint* post praemissas, ut appellant, et ante conclusionem demonstrationis poni solet, quorum neutrum hoc loco cernitur. Alio loco, ibid. 7, 17, quum de tribunicia potestate dictum esset, quae opposita esset Consulibus, *Magnum dicis malum*, inquit Quintus; *nam* cet. Hanc igitur Quinti ea de re sententiam quum audivisset Marcus, quo modo hic aliquanto post, 8, 19, eamdem quaestionem quum ex ordine posuisset, dicere potuit, *de qua disseri nihil necesse est*, quasi sibi de ea cum Quinto et Attico conveniret? Postremo, ne hoc quidem absolutionem operis testatur, quod ibid. 18, 40, init. omittitur mentio *curatoris extraordinarii*, de quo in ipsa lege dictum erat Cap. 4. init.

Fore opinor, quibus ea, quae tractavi, vel non ita vitiosa videantur, quibus concedo ut sua norma definiant Tullianam consuetudinem; vel, si quid reprehendendum, id per librarios factum esse, quod quo modo probabiliter demonstrent, perquam audire cupio. Mihi contra haec fragmenta, in quibus complura sunt ambitiose disputata, plura levissime affecta, in his non nisi *capita rerum et orationis commentarium paulo plenius* (sicut loquitur Brut. 44, 164.) continere videntur.

Leviora praeterea sunt nonnulla indicia numquam ab ipso Cicerone editorum horum librorum. Historiae Romanae scribendi consilium eum agitasse quamquam

Plutarchus Cic. Cap. 41. init. ut ex traditione (ὡς λέγεται) refert, tamen poterat hic ex nobilissimo illo loco Legg. I, 2, aliquid suspicari. Sed quod ipse Atticus diu post demum, A. 710, semel iterumque hortatus est Ciceronem ut historias scriberet (ad Att. XIV, 14, 5. XVI, 13. c. 2), non sane per se confirmat alteram illam adhortationem, quae ei affingebatur, editam fuisse. Rursus, exemplo vulgatae traditionis in Zaleuco, a qua dissentiat Timaeus, non usus esset ad Atticum scribens VI, 1, 18, ex Cilicia A. 704, si edita fuissent ea quae Legg. II, 6, 15, scripserat.

Dicendum quoque nonnihil est de consilio et argumento horum librorum. Invalescere enim hanc puto sententiam, tum Quinctiliani, tum Gellii locum non posse ad hoc volumen referri, sed pertinere ad diversum quoddam Ciceronis consilium. Quinctiliani I. O. XIII, 3, 10, haec de Tullio: *non modo inter agendum numquam est destitutus scientia iuris, sed etiam componere aliqua de eo coeperat.* Gellii I, 22, haec verba sunt: *M. autem Cicero, in libro qui inscriptus est de iure civili in artem redigendo, verba haec posuit: »Nec vero scientia iuris maioribus suis »Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit."* Contra mihi videtur utraque mentio ex libris De Legibus fluxisse. Multa sunt indicia quibus tenemus Ciceronem in illo volumine iura civilia Romanae civitatis explicare voluisse. Statim I, 5, 16, quod dicitur, *quaerere iisdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat*, non eo excluditur disciplina iuris civilis, sed doctius instituendam explicandamque esse dicitur. Porro, quum Atticus, auditis quae principii loco posuerat Cicero, dicit (I, 10, 28), *sunt haec*

maiora, quae aliorum causa fortasse complecteris, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur, haec postrema nulla alia intelligit, nisi iura civilia. Satis etiam perspicue ostendit Quintus, I, 6, 18, nihil aliud exspectari, quam ut ius civile traderetur; additque, *et qui aliter ius civile tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt vias:* conf. II, 18, 46: maximeque se *arte docendi* distare ab iis significat, qui vulgo ius traderent, ibid. 19, 47: tum inde a Cap. 23 ibid. iura civilia, quae essent cum pontificio iure coniuncta, explicat. Quibus probatis, magis etiam Quinctiliani verbis confirmatur illa suspicio, *coepisse* tantum scribere Ciceronem de Legibus, nec absolvisse. Et inchoatum opus quo minus perficeret, tum aliae causae esse potuerunt, de quibus supra dixi, tum haud absurdum est suspicari eo retardatum esse Ciceronem, quod post animadverteret quanta cum laude huic docendi iuris civilis arti satisfaceret Servius Sulpicius, de quo iisdem fere verbis praedicavit postea, Brut. 41, 152, quibus antea, (Orat. I, 42, 190), se idem facturum esse indicaverat. Igitur, quod universe in Iurisconsultis reprehendit (Legg. II, 19, 47), *ignorationem docendi*, non ausus est Sulpicicio obiicere: et, quum ibidem de iure pontificio et de civili egisset, quo modo alterum cum altero coniunctum esset, postea fortasse cognovit recte talia a Servio tradi, quum de iis ipsis rebus a se nuper auditum esse narret Brutus, Brut. 42, 156. Quid, si ibid. II, 23, 59, quoque Servii mentionem omissam esse dicimus? quem libros edidisse de XII Tabularum interpretatione credibile est ex Festo V. *Pedem struit.* et *Sarcito.* Haec si probantur, mutabit, spero, sententiam Ellendtius ad Orat. I. 42, 190. p. 109.

Non convenit inter viros doctos, utrum prooemium quoddam destinaverit his libris Cicero, an sic quasi ἀκεφάλους edere voluerit. Quae sit eius in reliquis fere omnibus scriptis consuetudo, novimus: et tamen quid impedit, quo minus nunc eam Platonis rationem sequi voluisse dicamus, quae statim colloquentes proponebat, ut in Legibus, et in aliis multis dialogis; id quod in illo philosopho excusavit Stallbaumius ad Menon. init. Sed omnis haec controversia otiosa est in libris, quos non ad editionem absolutos fuisse satis constat.

In dialogo distribuendo eam tenuit rationem, ex qua principatus esset penes ipsum, (quod ipsum quoque Aristotelium esse demonstravi Schol. Hypomn. II. Cap. 1, dissentiente, quod post vidi, nonnihil Madvigio Praefat. ad Cic. Fin. p. LX.) et ut ipse cum aequalibus colloqueretur. Sed ut ita faceret deberi quodammodo videtur deliberationi cuidam de componendo dialogo de Republica, de qua narrat ad Q. frat. scribens III, 6, 1, et tantum non profitetur ita se personas mutare velle, ut ipse loquatur cum fratre, quo maiorem disputatio auctoritatem haberet. Scripserat eodem Anno (700) ad eum Atticus de Varrone: cui sic respondet ad Att. IV, 16, 2: *Varro, de quo ad me scribis, includetur in aliquem locum, si modo erit locus:* tum excusat genus dialogorum suorum, et ut in Oratoriis factum erat, sic in disputatione de Republica sermonem tribui veteribus illis: sed cogitare se appellare Varronem in aliquo illorum librorum prooemio. Nullum tamen exitum ista deliberatio habuit: sed tanto libentius mihi videtur Cicero, editis A. 700 illis sex de Republica libris, novi dialogi De Legibus genus hoc elegisse, in quo ipse

cum Quinto et Attico (quem priores dialogos summis extulisse laudibus novimus) sermonem conferret. Varroni tamen nullum tributum esse locum, tanto magis mirum esse debet, quod hic in illis antiquitatis studiis regnabat illo tempore, multisque libris editis clarus erat: conf. Brut. 56, 205. Acad. I, 3, 9: tum, quod eius libris multum usus erat quum scribebat illum de Republica dialogum: conf. ad Att. IV, 14, 1: nisi fortasse Varroni προσφώνησιν destinaverit, libris De Legibus praeponendam: quod tamen ab eo perfectum non esse, inde etiam confirmatur, quod aliquot annis post, quum Academica, aliaque de philosophia volumina conderet, eadem Varronis includendi commendatio urgebatur ab Attico: cf. ad Att. XIII, 12. sqq.

Qualem argumenti tractandi distributionem secutus sit Cicero, ipse aliquoties subindicat. Quo pertinent haec, I, 5, 17: *natura iuris explicanda est nobis, eaque ab hominis repetenda natura: considerandae leges quibus civitates regi debeant: tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt, quae vocantur, iura civilia.* Ex his tamen deseruisse videtur illud, *quibus legibus civitates regi deberent:* nam paulo post, Cap. 6, 20, sic loquitur, *eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et servandus status, omnesque leges accommodandae ad illud civitatis genus, serendi etiam mores, nec scripto omnia sancienda:* conf. II, 10, 23. init. III, 5, 12. Verum tamen illam generalem praeceptionem animo certe destinavisse, colligimus ex his Quinti verbis, I, 22, 57: *nec Lycurgi leges, nec Solonis, neque Charondae,*

neque Zaleuci, nec nostras XII *tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo quum populis, tum etiam singulis hodierno sermone leges vivendi et disciplinam daturum.* Igitur absoluta illa demonstratione libro I° ius a natnra ortum esse, hominesque ad participandum ius natos esse, statim II^{do} libro aggreditur leges de religione explicare, et in eo loco qui est de perpetuis sacris, tum de manium iure et de sepulcris, specimen habemus qua ratione tum Romanorum et pontificium ius et civile, tum Graecorum et Platonis leges, per hanc opportunitatem exploret et illustret. Tum, III^{tio} libro exponit leges de magistratibus et imperio, principio significans se *locum istum totum, ut a doctissimis Graecis quaesitum et disputatum esset, explicaturum, et* (i. e. tum) inquit, *ut instituí, nostra iura attingam.* Nihilo minus frustra quaerimus illam ad Graecorum rationem philosophorum institutam disputationem de magistratibus; nisi statuendum est eum in illa lacuna periisse, quae in fine Cap. 7 incipit. Sed rursus hoc potius argumento mihi esse videtur, multo plura inchoata eum reliquisse quam absoluta.

Quid reliquis libris vel incluserit, vel includère voluerit, difficile est certo definire: universam disputationem sic animo fuisse conceptam, ut omnia civilia iura attingeret, perquam credibile est. Itaque I, 7, 23, pollicetur acturum esse *de agnationibus familiarum quibus distinguantur status.* Alio loco, III, 13, 29, dicturum esse significat *de educatione et de disciplina*, quibus Graecorum *ἀγωγή καὶ παιδεία* intelliguntur: statimque post Atticus Marco in memoriam revocat *ordinem legum*, qualem tamen nusquam commemo-

ratum novimus. Tum in ipso exitu eiusdem libri agendum deinceps fuisse *de iure magistratuum* videmus. Postremum fragmentum, quod servare creditur Augustinus C. D. XXI, 11, mihi nondum liquet esse vere fragmentum horum librorum: *octo genera poenarum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, mortem, servitutem.* Primum, ex his verbis, *in legibus esse scribit*, nemo, spero, conficiet esse haec ex opere De Legibus, et miror ambiguum hoc videri Orellio. Creberrime Augustinus alterum dialogum, De Republica, usurpat; et nihil obstat, quo minus ista de poenarum generibus inde petita existimentur. Ceterum *in legibus* nihil aliud esse videtur, nisi *in legibus* XII *tab.*, in primis propter Gellii disputationem, XX, 1.

De reliquis fragmentis, quae Virorum doctorum diligentia collegit, nullum est, quod argumenti cuiusdam in deperditis libris tractati suspicionem movere possit. Pauca tamen de iis dicenda sunt. Veluti, quantum nonnullorum scriptorum diligentiae tribuendum sit coniicere licet ex Augustino ipso, qui ita longiores locos *ad verbum excerpit*, ut *nonnulla propter faciliorem intellectum, vel praetermittat, vel paullulum commutet:* Civ. D. II, 9. Non temere hanc reprehensionem cum Lactantio communicandam esse puto, qui haec servavit. Primum Inst. Div. V, 8. fin.: *Cicero — disputans de legibus, »sicut una, inquit, »eademque natura mundus omnibus partibus inter »se congruentibus cohaeret ac nititur; sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt, nec se intelligunt esse consanguineos, et »subiectos omnes sub unam eamdemque tutelam; quod*

»*si teneretur, deorum profecto vitam homines vive-* »*rent.*" His ego commodum locum assignari posse puto I, 12, 33, post verba *ius igitur datum est omnibus.* Neque tamen locum integrum recitari suspicor. Sicut enim nunc legitur, conferuntur *mundi partes inter se congruentes* cum hominibus *qui dissentiunt:* contra, absolvi comparationem oportebat verbis *sic omnes homines inter se natura confusi sunt:* quibus commode haec subiicerentur, *sed pravitate dissentiunt, nec —.*

Aliud Lactantius ibid. I, 20, fragmentum habet hoc: »*Magnum Cicero audaxque consilium suscepisse* »*Graeciam dicit, quod Cupidinum et Amorum si-* »*mulacra in gymnasiis consecrasset.*" Quibus quum paullo post addat: *huic sententiae adiecit,* »*Virtutes* »*oportere, non vitia consecrari,*" manifestum est locum pertinere ad II, 11, 28, et quamquam sententia potius quam ipsa verba accuratissime referri videntur, tamen haec locum habere potuerunt ante illa, *nam illud vitiosum Athenis;* ut iam discedendum sit ab iis quae scripsi in Annotatione p. 517. Sed non puto *Cupidinum* et *Amorum* Ciceronis esse, potiusque requiri *Cupidinis et Amoris:* plurale enim ipsa simulacra indicaret. Amoris ara certe erat in introitu Academiae: Pausan. I, 30 init.: aliis in locis *Πόθου* signum commemoratur.

Tertium fragmentum quod recitare creditur Lactantius, est ibid. III, 19, init. *Quam sententiam* (nempe, nihil mali in morte esse si sensum auferat, bonum etiam esse, si maneat sensus) *Cicero de Legibus sic explicavit:* »*gratulemurque nobis, quoniam mors* »*aut meliorem, quam qui est in vita, aut certe non*

»*deteriorem allatura est statum. Nam sine cor-*»*pore animo vigente, divina vita est; sensu carente,* »*nihil profecto est mali.*" Haec igitur quamvis Ciceroniana esse agnosco, quam in partem disputationis De Legibus includam, ignoro. Postulat enim illud consolandi genus querelam praesentis vitae conditionis, praesentisque temporis, quale quid neque deprehenditur in hoc sermone, neque locum ullum invenire poterat. Accedit quod nusquam dubitatio illa proponitur, contra complura colligere licet indicia et significationes probatam fuisse, in illo quidem opere, Ciceroni opinionem immortalitatis animorum, veluti II, 17, fin., (*fama mortuorum*), ibid. 22, 55, (*qui ex hac vita migrassent* —)*:* ut omittam etiam ea quae in Codd. leguntur II, 27, 68. fin. Sed neque Tusculanae I^ae^, neque Consolationi congruunt; multoque magis, quod ad consolandum alium, quem socium fortasse miseriarum haberet Cicero, scripta videntur (id quod in neutrum de illis libellum cadit), eius generis et temporis sunt, qualia sunt in Epp. ad Div. V, 16, 4. 21, 4. VI, 4, 4. fin. Quapropter credo errore haec a Lactantio disputationi De Legibus tributa esse.

Quod ex lib. V^to^ a Macrobio profertur fragmentum, nullo interprete indiget.

Ex iis, quae supra disputavi, quum satis constare arbitrer non tantum non absolutos esse hos libros a Cicerone, sed ne perpolitos quidem aut emendatos, non dubito affimare nullum facile opus esse Tullianum, cuius interpretatio plures cautiones habeat. Si enim eorum ipsorum, quae a se emendata edidit, exempla continuo corruptelas contraxerunt, in iisque emendandis rhetores et grammatici deinceps operam posuerunt,

(quod tum de aliis et de Asconio, tum de Frontone novimus ex eius Epist. ad Amicos II, 2.) eaque opera, quamquam docta, saepe tamen a vero abduxerit necesse est, ita ut ex antiquissimis Codicibus nobis vel sagacissime odorantibus rhetoris potius restituere emendationem, non veram Ciceronis manum contingat; quid exspectandum erit in his libris De Legibus. quos suspicor numquam emendatos in doctorum virorum manus venisse?

Sed neque in aliis voluminibus, nec certe in hoc quicquam quisquam efficiet quod operae pretium sit, sine diligentissimo studio et vero sensu orationis Tullianae: nec ulla res una est, quae magis aut percepta regat iudicium, aut debilitet ignorata. Quantum autem damnum fecerit, interitu huius operis Ciceroniani, literarum Latinarum studium, tanto gravius sentietur, si reputabitur quam in domestico argumento versaretur, quamque ita totus suus esset Cicero, non alienus neque ex transmarina doctrina pendens, sicut in multis de philosophia libris. Itaque non puto futurum fuisse ut in illam iustam reprehensionem, qua illos libros complectitur Madvigius in fine Praefationis ad editionem librorum De Finibus, includendi quoque hi essent De Legibus libri. Quis non praeterea grato animo accepisset Ciceronis vel de rebus Romanis auctoritatem, vel de iure et publico et civili, ex quibus principiis essent illa ducenda, sententiam? Sed tanto magis attinet pauca ipsa, quae supersunt, severo iudicio interpretari, et a nonnullorum cupiditate et ambitione vindicare.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER PRIMUS.

Atticus. Lucus quidem ille, et haec Arpina- I.
tium quercus, agnoscitur saepe a me lectus in 1.
Mario. Si manet illa quercus, haec est profecto: etenim est sane vetus. Quintus. Manet vero, Attice noster, et semper manebit. Sata est enim ingenio. Nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poetae versu, seminari potest. Att. Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poetae serunt? Mihi enim videris
fratrem laudando suffragari tibi. Q. Sit ita sane: 2.
verum tamen, dum Latinae [1] loquentur literae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicatur, eaque, ut ait Scaevola de fratris mei Mario,

Varietas recensionis Orellianae. [1] Latine.

canescet saeclis innumerabilibus. Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut, quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dicit [1], hodie monstrant eamdem: multaque alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. Quare *glandifera* illa quercus, ex qua olim evolavit *nuntia fulva Iovis miranda visa figura*, nunc sit haec: sed quum eam tempestas vetustasve consumserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam quercum vocent.
3. Att. Non dubito id quidem. Sed hoc iam non ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poeta; tuine versus hanc quercum severint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. Marcus. Respondebo tibi equidem; sed non antequam mihi tu ipse responderis, Attice: certene [2] non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse, et Quirinum vocari, templumque sibi dedicari in eo loco iusserit: et verumne sit Athenis [3] non longe item a tua illa antiqua domo Orithyiam
4. Aquilo sustulerit: sic enim est traditum. Att. Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? M. Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sunt [4] prodita. Att. Atqui multa quaeruntur in Mario fictane an vera sint, et a nonnullis, quod et in recenti memoria,

---

[1] dixit. [2] certe. [3] iusserit: et Athenis. [4] sint.

et in Arpinati homine, vel severitas a te postulatur. M. Et mehercule ego me cupio non mendacem putari. Sed tamen nonnulli isti, Tite noster [1], faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigant: nec dubito quin iidem et cum Egeria collocutum Numam, et ab aquila Tarquinio apicem impositum
putent. Q. Intelligo te, frater, alias in histo- 5.
ria leges observandas putare, alias in poemate. M. Quippe quum illa [2] ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque: quamquam et apud Herodotum, patrem historiae, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.

Att. Teneo, quam optabam, occasionem, ne- II.
que omittam. M. Quam tandem, Tite? Att. Postulatur a te iamdiu, vel flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante, effici posse ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque ut audias quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui tuis [3] literis delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus, ut ea, quae salva per te est, per te eumdem sit ornata. Abest enim historia literis nostris, ut et ipse intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc
oratorium maxime. Quamobrem aggredere, quae- 6.
sumus, et sume ad hanc rem tempus, quae est

---

1 *om.* noster. 2 in illa. 3 *om.* tuis.

a nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta. Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iucundius, si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venonium venias; quamquam ex his alius alio plus habet virium; tamen quid tam exile quam isti omnes? Fannii autem aetate coniunctus Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellii, Clodius, Asellio: nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem
7. atque inscitiam. Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum; nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis; in orationibus autem multus et ineptus, datio summa impudentia [1]. Sisenna eius amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus, et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum, neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur; eum tamen velle duntaxat imitari; quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus

---

[1] multas ineptias, elatio summam impudentiam.

hoc [1], a te exspectatur. Nisi quid Quinto videtur
secus. Q. Mihi vero nihil: et saepe de isto col- III. 8.
locuti sumus. Sed est quaedam inter nos parva
dissensio. Att. Quae tandem. Q. A quibus
temporibus scribendi capiat exordium. Ego enim
ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt,
ut ne legantur quidem: ipse autem aequalem
suae aetatis [2] memoriam deposcit, ut ea comple-
ctatur quibus ipse interfuit. Att. Ego vero huic
potius assentior. Sunt enim maximae res in hac
memoria atque aetate nostra: tum autem hominis
amicissimi Cn. Pompeii laudes illustrabit: incur-
ret etiam in illum et [3] memorabilem annum suum:
quae ab isto malo praedicari, quam, ut aiunt,
de Remo et Romulo. M. Intelligo equidem a
me istum laborem iam diu postulari, Attice.
Quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur
vacuum tempus et [4] liberum. Neque enim oc-
cupata opera, neque impedito animo res tanta
suscipi potest: utrumque opus est, et cura vacare,
et negotio. Att. Quid? ad cetera, quae scripsisti 9.
plura quam quisquam e nostris, quod tibi tandem
tempus vacuum fuit concessum? M. Subsiciva
quaedam tempora incurrunt, quae ego perire
non patior; ut, si qui dies ad rusticandum dati
sint, ad eorum numerum accommodentur, quae
scribimus. Historia vero nec institui potest nisi
praeparato otio, nec exiguo tempore absolvi.

---

[1] munus, hoc a. [2] aetatis suae. [3] *om.* et. [4] ac.

Et ego animi pendere soleo, quum, semel quid
orsus, si[1] traducor alio: neque tam facile inter-
10. rupta contexo, quam absolvo instituta. Att. Le-
gationem aliquam nimirum ista oratio postulat,
aut eiusmodi quampiam cessionem[2] liberam at-
que otiosam. M. Ego vero aetatis potius vaca-
tioni confidebam, quum praesertim non recusa-
rem quo minus, more patrio, sedens in solio
consulentibus responderem, senectutisque non
inertis grato atque honesto fungerer munere: sic
enim vero[3] mihi liceret, et isti rei quam deside-
ras, et multis uberioribus atque maioribus, ope-
IV. 11. rae, quantum vellem, dare. Att. Atqui vereor
ne istam causam nemo noscat, tibique semper
dicendum sit; et eo magis, quod te ipse mutasti,
et aliud dicendi instituisti genus, ut, quemad-
modum Roscius, familiaris tuus, in senectute
numeros in cantu cecinerat[4], ipsasque tardiores
fecerat tibias, sic tu a contentionibus, quibus
summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid; ut
iam oratio tua non multum a philosophorum
lenitate absit: quod sustinere quum vel summa
senectus posse videatur, nullam tibi a causis va-
12. cationem video dari. Q. At mehercule ego ar-
bitrabar posse id populo nostro probari, si te ad
ius respondendum dedisses. Quamobrem, quum
placebit, experiundum tibi censeo. M. Id[5]
siquidem, Quinte, nullum esset in experiundo

---

[1] [si]. [2] cessationem. [3] *om.* vero. [4] ceciderat. [5] [id].

periculum. Sed vereor ne, dum minuere velim laborem, augeam, atque ad illam causarum operam, ad quam ego numquam nisi paratus ac [1] meditatus accedo, adiungatur haec iuris interpretatio, quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam maiorem umquam causam
sum ausus accedere. Att. Quin igitur ista ipsa 13.
explicas nobis his subsicivis, ut ais, temporibus, et conscribis de iure civili subtilius quam ceteri. Nam a [2] primo tempore aetatis iuri studere te memini, quum ipse etiam ad Scaevolam ventitarem; neque umquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius civile contemneres.

M. In longum sermonem me vocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam, et, quoniam vacui sumus, dicam. Q. Ego vero libenter audierim. Quid enim agam potius, aut in quo melius hunc con-
sumam diem? M. Quin igitur ad illa spatia no- 14.
stra sedesque pergimus: ubi, quum satis erit ambulatum [3], requiescemus. Nec profecto nobis delectatio deerit aliud ex alio quaerentibus. Att. Nos vero: et hac quidem adirem [4] si placet, per ripam et umbram. Sed iam ordire explicare, quaeso, de iure civili quid sentias. M. Egone? Summos fuisse in civitate nostra viros, qui id interpretari populo et responsitare soliti sint;

---

[1] et. [2] nam et a. [3] deambulatum. [4] adire.

sed eos magna professos, in parvis esse versatos. Quid enim est tantum, quantum ius civitatis? Quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum qui consuluntur? quamquam est populo necessarium. Nec vero eos, qui ei muneri praefuerunt, universi iuris fuisse expertes [1] existimo: sed hoc civile, quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populo [2] praestare voluerunt: id autem incognitum tenue est, quam in usu [3] necessarium. Quamobrem, quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum iure? an ut stipulationum et iudiciorum formulas componam? Quae et conscripta a multis sunt [4] diligenter, et sunt humiliora quam illa, quae a vobis exspectari puto.

V. 15. Att. Atqui, si quaeres ego quid exspectem; quoniam scriptum est a te de optimo rei publicae statu, consequens esse videtur ut scribas tu idem de legibus. Sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. M. Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia et cum Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum describit, die, in cupressetis Gnosiorum et spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus disputat, sic nos inter has procerissimas populos

---

[1] expertes fuisse. [2] populum. [3] id autem [in] cognitione tenue est, in usu. [4] scripta sunt a multis.

in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quaeramus iisdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat? Att. Ego 16.
vero ista audire cupio. M. Quid ait Quintus? Q. Nulla de re magis. M. Et recte quidem. Nam sic habetote, nullo in genere disputandi honesta[1] patefieri, quid sit homini natura tributum[2], quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis fons legum et iuris inveniri potest. Att. Non ergo a prae- 17.
toris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores; sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. M. Non enim hoc[3] quaerimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caveamus in iure, aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est; quae quondam a multis claris viris, nunc ab uno summa auctoritate et scientia sustinetur: sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum, ut hoc civile, quod dicimus, in parvum quemdam et angustum locum concludatur[4]. Natura enim iuris explicanda nobis est[5], eaque ab hominis repetenda natura; consideran-

[1] disputandi magis honeste. [2] tributum natura. [3] id. [4] concludatur [naturae]. Natura. [5] est nobis.

dae leges, quibus civitates regi debeant; tum haec tractanda, quae composita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae vocantur iura civilia.

VI. 18. Q. Alte vero, et ut oportet a capite, frater, repetis quod quaerimus: et qui aliter ius civile tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt vias. M. Non ita est, Quinte, ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quam scientia. Sed hoc[1] posterius. Nunc iuris principia videamus.

Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege: haud scio an recte; si modo, ut iidem definiunt, lex est ratio summa insita in natura, quae iubet ea quae facienda sunt prohibetque contraria. Eadem ratio, quum est in hominis mente confir-
19. mata et confecta, lex est. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere: eamque rem illi Graeco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo: nam, ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus: et proprium tamen utrumque legis est. Quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque videri solet, a lege ducendum est iuris exordium. Ea est enim naturae vis; ea mens ratioque prudentis; ea iuris atque iniuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit,

---

1 haec.

et appellare [1] eam legem, quae scripta [2] sancit
quod vult, aut iubendo, aut vetando, ut vulgus
appellat [3]. Constituendi vero iuris ab illa summa
lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus
ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam
omnino civitas constituta. Q. Commodius vero, 20.
et ad rationem instituti sermonis sapientius.
M. Visne ergo ipsius iuris ortum a fonte repeta-
mus? Quo invento non erit dubium, quo sint
haec referenda quae quaerimus. Q. Ego vero
ita esse faciendum [4] censeo. Att. Me quoque
adscribito fratris sententiae. M. Quoniam igitur
eius rei publicae, quam optimam esse docuit in
illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et ser-
vandus status, omnesque leges accommodandae
ad illud civitatis genus, serendi etiam mores, nec
scriptis omnia sancienda; repetam stirpem iuris
a natura, qua duce nobis omnis est [5] disputatio
explicanda. Att. Rectissime: et quidem ista duce
errari nullo pacto potest.

M. Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, (nam VII.
Quinti novi sententiam,) deorum immortalium 21.
ut natura [6] ratione, potestate, mente, numine,
sive quod est aliud verbum, quo planius signifi-
cem quod volo, naturam omnem regi? nam si hoc
non probas, ab eo nobis causa ordienda est po-
tissimum. Att. Do sane si postulas. Etenim

---

[1] *om.* appellare. [2] scripto. [3] appellare. [4] faciendum esse.
[5] omnis est nobis. [6] immortalium vi, natura.

propter hunc concentum avium strepitumque fluminum, non vereor condiscipulorum ne quis exaudiat. M. Atqui cavendum est: solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci, nec vero ferent, si audierint te primum caput li optimi[1] prodidisse, in quo scripsit, *nihil curare*
22. *deum, nec sui, nec alieni.* Att. Perge, quaeso. Nam id, quod tibi concessi, quorsus pertineat, exspecto. M. Non faciam longius: huc enim pertinet: animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a supremo deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis et cogitationis, quorum[2] cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinius? quae quum adolevit atque per-
23. fecta est, nominatur rite sapientia. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque et in homine et in deo, prima homini cum deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio et[3] communis est: quae quum sit lex, lege quoque consociati[4] homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est: quibus autem haec sunt inter eos[5] communia,

---

[1] caput viri optimi. [2] quum. [3] *om.* et. [4] conciliati. [5] [inter eos].

et [1] civitatis eiusdem habendi sunt. Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis: parent autem huic caelesti descriptioni mentique divinae et praepotenti deo; etiam [2] universus hic mundus una civitas [3] communis deorum atque hominum existimanda.

Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque praeclarius, ut homines deorum agnatione et gente teneantur. Nam VIII. 24.
quum de natura omni [4] quaeritur, disputari solent, nimirum ita sunt [5] ut disputantur, perpetuis cursibus conversionibusque coelestibus exstitisse quamdam maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum divino auctum sit animorum munere: quumque alia, quibus cohaererent homines, e mortali genere sumserint, quae fragilia essent et caduca, animum esse ingeneratum a deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum caelestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei, ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat: ex 25.

---

1 om. et. 2 ut iam. 3 civitas sit. 4 natura hominis. 5 solet — et nimirum ista sunt.

quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui unde ortus sit quasi recordetur et agnoscat [1]. Iam vero virtus eadem in homine ac deo est, neque alio ullo ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud, in se [2] perfecta et ad summum perducta natura: est igitur homini cum deo similitudo. Quod quum ita sit, quae tandem esse potest propior certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea quae gignuntur donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec solum ea quae frugibus atque bacis terrae fetu profunduntur, sed etiam pecudes, quod perspicuum sit partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum
26. procreatas. Artes vero innumerabiles repertae sunt docente natura, quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est.

IX. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed et [3] sensus, tamquam satellites, attribuit ac nuncios, et rerum plurimarum obscuras nec satis intelligentias enodavit [4], quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, et ad caeli [5] quasi cognationis domiciliique pristini

---

[1] ac noscat. [2] quam in se. [3] etiam. [4] obscurarum necessarias intelligentias enudavit. [5] ad caelique.

conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo 27. affecti simus[1] loquuntur: et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores[2]; cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis: neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis, et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc, quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit et ornavit deus, perspicuum sit illud, ne omnia disserantur, ipsam per se naturam longius progredi, quae etiam, nullo docente, profecta ab iis, quorum ex prima et inchoata intelligentia genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem et perficit.

Att. Dii immortales, quam tu longe iuris prin- X. 28.
cipia repetis, atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure civili, sed facile patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere: sunt enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse complecteris, quam ipsa illa quorum haec causa praeparantur. M. Sunt haec quidem magna, quae

---

[1] sumus. [2] *om.* mores.

nunc breviter attinguntur: sed omnium quae in hominum doctorum [1] disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius. Id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionem-
29. que perspexeris. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret et flecteret quocumque coepisset, sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt [2] omnium. Itaque quaecumque est hominis defi-
30. nitio, una in omnes valet. Quod argumenti satis est nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non una omnes definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus beluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. Nam et sensibus eadem omnia comprehenduntur, et ea quae movent sensus, itidem movent omnium: quaeque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimuntur: interpresque mentis [3] oratio verbis
31. discrepat [4], sententiis congruens. Nec est quis-

[1] doctorum hominum. [2] [essent]. [3] est mentis. [4] discrepans.

quam gentis ullius, qui ducem naturam nactus ad virtutem pervenire non possit.

Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus insignis est humani generis similitudo. Nam et voluptate capiuntur omnes; quae, etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturalis boni [1]: levitatis etenim et suavitatis [2] delectans sic ab errore mentis, tamquam salutare aliquid, adsciscitur. Similique inscitia mors fugitur, quasi dissolutio naturae; vita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet; dolor in maximis malis ducitur, quum [3] sua asperitate, tum quod naturae interitus videtur sequi. Pro- 32. pterque honestatis et gloriae similitudinem, beati qui honorati sunt videntur, miseri autem qui sunt inglorii. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores, similiter omnium mentes pervagantur. Nec, si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco, qui canem et felem ut deos colunt, non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conflictantur. Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? Quibus ex rebus quum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit. Quae si approbatis, pergam ad reliqua: sin

[1] naturali bono. [2] levitate enim et suavitate. [3] tum.

quid requiritis, id explicemus prius. Att. Nos vero nihil, ut pro utroque respondeam.

XII. 33. M. Sequitur igitur ad participandum alium ab alio communicandumque inter se omnes iustos [1] natura esse factos; atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi volo quod [2] dicam naturam esse; tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis; ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque et confirmentur vitia contraria. Quod si, quomodo est natura, sic iudicio homines *humani*, ut ait poeta, *nihil a se alienum putarent*, coleretur ius aeque ab omnibus. Quibus enim ratio a natura data est, iisdem etiam recta ratio data est; ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando; si lex, ius quoque: et [3] omnibus ratio; ius igitur datum est omnibus: [recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem naturae [4] seiunxis-
34. set: id enim querebatur caput esse exitiorum omnium: unde enim [5] illa Pythagorea vox, de amicitia locus.] [6] Ex quo perspicitur, quum hanc benevolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo sese plus quam alterum diligat. Quid enim est quod differat, quum sint cuncta paria? Quod

[1] inter omnes ius homines. [2] volo ius quod. [3] at. [4] a natura. [5] etiam. [6] *sine uncinis: om.* de amicitia locus.

si interesse quippiam tantulum modo potuerit, iam[1] amicitiae nomen occiderit, cuius est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid alter[2] maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intelligi possit. De quo quum perpauca dixero, tum ad ius civile veniam, ex quo haec omnis est nata[3] oratio.

Q. Tu vero iam perpauca scilicet! Ex iis enim XIII.
quae dixisti Attice[4] videtur, mihi quidem certe, 35.
ex natura ortum esse ius. Att. An mihi aliter videri possit, quum haec iam perfecta sint, primum, quasi muneribus deorum nos esse instructos et ornatos; secundo autem loco, unam esse hominum inter ipsos vivendi parem communemque rationem: deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia, tum etiam societate iuris contineri? Quae quum vera esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui iam licet
nobis a natura leges et iura seiungere. M. Recte 36.
dicis: et res se sic habet. Verum philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim distincteque dicuntur. Nec enim satisfieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, naturae esse ius, disputarint. Att. Et scilicet tua libertas disserendi

---

[1] *om.* iam. [2] aliquid quam alteri. [3] nata est. [4] Attico.

amissa est! aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequaris [1], sed auctoritati alio-
37. rum pareas. M. Non semper, Tite. Sed iter huius sermonis quod sit vides. Ad res publicas firmandas et ad stabiliendas vires sanandosque [2] populos omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur, (nam id fieri non potest) sed ut iis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda duxerunt, et aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod vere laudari sua sponte posset;
38. his omnibus, sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, sive Aristotelem et Theophrastum, cum illis congruentes re [3], genere docendi paullum differentes, secuti sunt, sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis immutaverunt vocabula, sive etiam Aristonis difficilem atque arduam, sed iam tamen fractam et convictam sectam secuti sunt, ut, virtutibus exceptis atque vitiis, cetera in summa aequalitate ponerent; his omnibus haec, quae
39. dixi, probantur: sibi autem indulgentes, et corpori deservientes, atque omnia, quae sequantur in vita quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantes, etiam si vera dicunt, (nihil enim

[1] sequare. [2] *om.* que. [3] re congruentes.

opus est hoc loco litibus) in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam, neque umquam nosse voluerunt, paullisper facessant rogemus. Perturbatricem autem harum omnium rerum, Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat: nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, summovere non audeo. Nam et in iis sine illius suffimentis expiati sumus: at vero scelerum in homines atque impie- XIV. 40.
tatum nulla expiatio est: itaque poenas luunt non tam iudiciis, quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ubi sit[1] tamen persaepe falsa sunt, ut[2] eos agitent insectenturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. Quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet; quaenam sollicitudo vexaret impios, sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus, aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret, defensionemque facinoris a natura[3] iure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa

[1] sint. [2] sed ut. [3] naturae.

facinorosaque vita; nemo est iniustus, aut in-
41. cauti potius habendi sunt improbi. Tum autem, qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem et iudicem? quid, in deserto quo loco nactus, quem multo auro spoliare possit, imbecillum atque solum? Noster quidem hic natura iustus vir ac bonus, etiam colloquetur, iuvabit, in viam deducet: is vero, qui nihil alterius causa faciet, metietur [1] suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit se illi vitam erepturum, et aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, id est, ne malum habeat. O rem dignam in qua non modo docti, sed [2] etiam agrestes erubescant!

XV. Iam vero illud stultissimum, existimare omnia
42. iusta esse quae scita sint, in [3] populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae leges sint tyrannorum? Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco eae [4] leges iustae haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem vellet civium, indicta causa, impune posset occidere. Est enim unum ius, quo devincta est

---

[1] [et] metietur. [2] verum. [3] [in]. [4] hae.

hominum societas, et quod lex constituit; unaque lex, quae est[1] recta ratio imperandi atque prohibendi, quam qui ignorat, is est iniustus, sive est illa scripta uspiam, sive nusquam. Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum, et si, ut iidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt; negliget leges, easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit, ut nulla sit omnino iustitia, si neque natura est, ea quae[2] propter utilitatem constituitur, utilitate illa[3]
convellitur. Atque si natura confirmatum[4] ius 43.
non erit, tollatur[5]. Ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae voluntas poterit exsistere? Nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos, caerimoniae religionesque tolluntur; quas non metu, sed ea coniunctione quae est homini cum deo
conservandas puto. Quod si populorum iussis, XVI.
si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur.
Quae si tanta potestas est stultorum sententiis 44.

---

[1] constituit una; quae lex est. [2] eaque, quae. [3] alia. [4] confirmatura. [5] erit, virtutes omnes tollentur.

atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut, quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et[1] salutaribus? aut, quum[2] ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividere possumus. Nec solum ius et iniuria natura diiudicantur, sed omnino omnia honesta et[3] turpia. Nam et communis intelligentia nobis notas[4] res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur,
45. in vitiis turpia. Haec autem in opinione existimare, non in natura posita, dementis est. Nam nec arboris, nec equi virtus quae dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione sita est, sed in natura. Quid sit est[5], honesta quoque et turpia natura diiudicanda sunt. Nam si opinione universa virtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem, et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim virtus perfecta ratio: quod certe in natura est. Igitur omnis honestas
XVII. eodem modo. Nam, ut vera et falsa, ut consequentia et contraria, sua sponte, non aliena iudicantur, sic constans et perpetua ratio vitae, quae virtus est, itemque inconstantia, quod est
46. vitium, sua natura probavit[6]. Nos ingenia iu-

---

[1] ac. [2] aut, cur quum. [3] ac. [4] notas nobis. [5] Quod si ita est. [6] probabitur.

venum non item, at ingenia natura, virtutes et vitia, quae exsistunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur: an ea non aliter quam honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit[1]. Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est: ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura: nam, ni ita esset, beati quoque opinione essent: quo quid dici potest stultius? Quare, quum et bonum et malum natura iudicetur, et ea sint principia naturae; certe honesta quoque et turpia simili ratione diiudicanda, et ad naturam referenda sunt. Sed perturbat 47.
nos opinionum varietas hominumque dissensio. Et quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus, illa quae aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus: quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero: animis omnes tenduntur insidiae, vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros et rudes quum acceperunt, inficiunt et flectunt, ut volunt; vel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium, cuius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernuntur[2] satis.

---

[1] Nos ingenia iuvenum iudicamus naturâ: non item virtutes et vitia, quae exsistunt ab ingeniis, iudicabuntur? An ea aliter: honesta — erit? [2] cernunt.

XVIII. 48. Sequitur ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio, id quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et ius et omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant, nec est viri boni errare, et diligere, quod per se non sit diligendum: per se igitur ius est expetendum et colendum. Quod si ius, etiam iustitia sic in ea [1] reliquae quoque virtutes per se colendae sunt. Quid? liberalitas gratuitane est an mercenaria? Si sine praemio benignus [2] est, gratuita: si cum mercede, conducta: nec est dubium quin is, qui liberalis benignusve [3] dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo eadem [4] iustitia nihil expetit praemii, nihil pretii: per se igitur expetitur. Eademque omnium virtutum causa atque sen-
49. tentia est. Atque etiam si emolumentis, non sua sponte [5] virtus expetitur, una erit virtus quae malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxime ad suum commodum refert quaecumque agit, ita minime est vir bonus: ut, qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsi [6] cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam

---

[1] *om.* in ea. [2] benigna. [3] benignusque. [4] item. [5] suapte natura. [6] ipsum.

deserendus et abiiciendus est desperatis emolu-
mentis et fructibus: quo quid potest dici imma-
nius? Quod si amicitia per se colenda est, so-
cietas quoque hominum et aequalitas et iustitia
per se expetenda. Quod ni ita est, omnino iu- 50.
stitia nulla est. Id enim iniustissimum ipsum
est, iustitiae mercedem quaerere. Quid vero de XIX.
modestia, quid de temperantia, quid de conti-
nentia, quid de verecundia, pudore pudicitiaque
dicemus? Infamiaene metu non esse petulantes,
an legum et iudiciorum? Innocentes ergo et
verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem
bonum colligant? Erubescunt, pudet [1] etiam
loqui de pudicitia: ac me [2] istorum philosopho-
rum pudet qui ullum iudicium vitare nisi vitio
ipso mutatum [3] putant. Quid enim? possumus 51.
eos, qui stupro [4] arcentur infamiae metu, pudi-
cos dicere? quum ipsa infamia propter rei turpi-
tudinem consequatur. Nam quid aut laudari
rite, aut vituperari potest, si ab eius natura re-
cesseris, quod aut laudandum, aut vituperandum
putes? An corporis pravitates, si erunt perin-
signes, habebunt aliquid offensionis, animi de-
formitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis
vitiis facillime perspici potest. Quid enim foedius
avaritia? quid immanius libidine? quid contem-
tius timiditate? quid abiectius tarditate et stul-

---

[1] erubescunt pudici. [2] ac nimis. [3] qui nullum vitium [vitare] nisi iudicio ipso notatum. [4] qui a stupro.

titia dici potest? Quid ergo? eos, qui singulis vitiis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus, an propter vim turpitudinemque vitiorum? quod item ad contrariam laudem
52. in virtute dici potest. Nam si [1] propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid, quam virtutem, necesse est. Pecuniamne igitur, an honores, an formam, an valetudinem? quae et, quum adsunt, perparva sunt, et quamdiu adfutura sint, certum sciri nullo modo potest: an, id quod turpissimum dictu est, voluptatem? at in ea quidem spernenda et repudianda virtus vel maxime cernitur.

Videtisne, quanta series rerum sententiarumque sit, atque ut ex alio alia nectantur? Quin
XX. labebar longius, nisi me retinuissem. Q. Quo tandem? Libenter enim, frater, cum ista oratione [2] tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur, et cuius causa sunt facienda omnia: controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando iam [3] iu-
53. dicandam. Att. Qui istuc fieri potest, L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? Att. Quoniam [4] Athenis audire ex Phaedro meo memini Gellium familiarem tuum, quum pro consule ex praetura in Graeciam venisset, Athenis philoso-

[1] Postremo si. [2] ad istam orationem. [3] aliquando tamen. [4] Quia me.

phos, qui tum erant, in locum unum convocasse, ipsisque magnopere [1] auctorem fuisse ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum; quod si essent eo animo ut nollent aetatem in litibus conterere, posse rem convenire: et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquod [2] convenire. M. Ioculare istuc quidem, Pomponi, et a multis saepe derisum. Sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam et Zenonem datum. Att. Quo tandem istuc modo? M. Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. Att.
Ain' tandem? unane est [3] solum dissensio? M. 54.
Quae quidem ad rem pertineat, una. Quippe quum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo iuvaremur in vita, bonum esse decreverint, hic, nisi quod honestum esset, putarit [4] bonum. Att. Parvam [5] vero controversiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia! M. Probe quidem sentis si re, ac non verbis dissiderent.
Att. Ergo assentiris Antiocho familiari meo, (ma- XXI.
gistro enim non audeo dicere) quocum vixi, et qui me ex nostris paene convellit hortulis, deduxitque in Academiam perpauculis passibus? M. Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus, mihique, ut scis, familiaris; cui tamen ego assentiar in omnibus, nec

---

[1] magno opere. [2] aliquid. [3] una de re est., [4] nihil putarit. [5] Perparvam.

ne, mox videro: hoc dico, controversiam totam
55. istam posse sedari. Att. Qui istud tandem vides? M. Quia si, ut Chius Aristo dixit[1] solum bonum esse, quod honestum esset, malumque quod turpe, ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent an abessent, interesse, valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet, essetque inter eos de re maxima et de omni vivendi ratione dissensio. Nunc vero quum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum bonum dicat; itemque dedecus illi summum malum, hic solum; divitias, valetudinem, pulcritudinem, commodas res appellet, non bonas; paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia, controversia est nata[2] de finibus: in qua quoniam usucapionem xii tabulae intra quinque pedes esse voluerunt[3], depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus: nec Mamilia lege singuli, sed ex[4] his tres arbitri fines regemus.
56. Q. Quamnam igitur sententiam dicimus?[5] M. Requiri placere terminos quos Socrates pegerit, iisque parere. Q. Praeclare, frater, iam nunc a te verba usurpantur civilis iuris et legum; quo de genere exspecto disputationem tuam. Nam

[1] Aristo, † dixit. [2] nata est. [3] noluerunt. [4] † ex. [5] dicemus.

ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognovi: sed certe ita res se habent[1], ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui: aut naturam sequi, et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, [quod inter haec velit virtute tamquam lege vivere.] Quapropter hoc diiudicari nescio an umquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus. Att. At XXII. 57.
ego huc declinabam nec invitus. Q. Licebit alias. Nunc id agamus, quod coepimus; quum praesertim ad id nihil pertineat haec de summo malo bonoque dissensio. M. Prudentissime, Quinte, dicis. Nam quae a me adhuc dicta sunt, nec Lycurgi leges, neque Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec nostras duodecim tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo quum populis, tum etiam singulis hodierno sermone leges vivendi et disciplinam daturum. M. Est 58.
huius vero disputationis, Quinte, proprium id quod exspectas, atque utinam esset etiam facultatis meae. Sed profecto ita se res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Ita fit, ut mater omnium bonarum rerum sit sapientia, a cuius amore Graeco

[1] res ita se habet.

verbo philosophia nomen invenit, qua nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est. Haec enim una nos quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit ut nosmet ipsos nosceremus: cuius praecepti tanta vis, et [1] tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed
59. Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipsum [2] norit, primum aliquid se habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet: et, quum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam; quoniam principia rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illustratis sapientia duce bonum virum, et, ob
XXIII. eam ipsam causam, cernat se beatum fore. Nam
60. quum animus cognitis perceptisque virtutibus a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque sicut labem aliquam dedecoris oppresserit, omnemque mortis dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis coniecerit [3] cum suis, omnesque natura coniunctos suos duxerit, cultumque deorum et puram religionem susceperit, et exercuerit [4] illam, ut oculorum, sic in-

[1] *om.* et. [2] ipse. [3] coierit. [4] exacuerit.

genii aciem ad bona eligenda[1] et reiicienda contraria, (quae virtus ex providendo est appellata prudentia;) quid eo dici aut cogitari[2] poterit
beatius? Idemque quum caelum terras maria 61.
rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata quo recurrant, quando quomodo obitura, quid in his[3] mortale et caducum, quid divinum aeternumque sit viderit, ipsumque ea moderantem et regentem paene prenderit, seseque non unis[4] circumdatum moenibus loci, sed civem totius mundi quasi unius urbis agnoverit; in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu et cognitione naturae, dii immortales! quam se ipse noscet, quod Apollo praecepit Pythius, quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea quae vulgo ducuntur[5]
amplissima. Atque haec omnia, quasi sepimento XXIV.
aliquo, vallabit disserendi ratione, veri et falsi 62.
iudicandi scientia, et arte quadam intelligendi quid quamque rem sequatur, et quid sit cuique contrarium. Quumque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua praecepta salutis et laudis apte ad persuadendum edat suis civibus, qua hortari ad decus, revocare a flagitio,

[1] deligenda. [2] excogitari. [3] iis. [4] unius. [5] dicuntur.

consolari possit afflictos, factaque et consulta fortium et sapientium cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. Quae quum tot res tantaeque sint, quae inesse in homine perspiciantur ab iis qui se ipsi velint nosse, earum parens est educatrixque sapientia. Att. Laudata quidem a te graviter et vere. Sed quorsus
63. hoc pertinet[1]? M. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam sumus, quae tanta esse volumus: non enim sunt[2], nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. Deinde facio et libenter, et, ut spero, recte, quod eam cuius studio teneor, quaeque me eum, quicumque sum, effecit, non possum silentio praeterire. Att. Vero facis et[3] merito et ipse fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciundum.

---

[1] haec pertinent. [2] erunt. [3] Vero: facis et.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER SECUNDUS.

Sed visne, quoniam est satis iam ambula- I.
tum[1], et tibi aliud dicendi initium sumendum 1.
est, locum mutemus, et in insula quae est in Fibreno (nam id opinor[2] illi alteri flumini nomen esse,) sermoni reliquo demus operam sedentes? M. Sane quidem: nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito, sive aliquid[3]
scribo aut lego. Att. Equidem qui nunc potis- 2.
simum huc venerim satiari non queo; magnificasque villas, et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno: ductus vero aquarum, quos isti

[1] quoniam et satis iam amb. est. [2] nam † opinor. [3] sive quid aut.

nilos et euripos vocant, quis non, quum haec vi-
deat, irriserit? Itaque ut tu paullo ante de lege
et de iure disserens ad naturam referebas omnia,
sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi
delectationemque quaeruntur, natura domina-
tur. Quare antea mirabar (nihil enim his in lo-
cis nisi saxa et montes cogitabam, itaque[1] ut fa-
cerem et orationibus inducebar tuis et versibus,)
sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco dele-
ctari. Nunc contra miror te, quum Roma absis,
3. usquam potius esse. M. Ego vero quum licet
plures dies abesse, praesertim hoc tempore an-
ni, et amoenitatem hanc et salubritatem sequor:
raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque
causa delectat, quae te non attingit ita. Att. Quae
tandem ista causa est? M. Quia, si verum dicimus,
haec est mea et huius fratris mei germana patria.
Hic[2] enim orti stirpe antiquissima sumus: hic sa-
cra, hic genus, hic maiorum multa vestigia, quid
plura? hanc vides villam, — ut nunc quidem est
lautius[3] aedificatam patris nostri studio; qui quum
esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in
literis, — sed hoc ipso in loco quum avus viveret,
et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana
in Sabinis, me scito esse natum. Quare inest
nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo
me plus hic locus fortasse delectet: siquidem
etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret,

---

[1] idque. [2] hinc. [3] latius.

immortalitatem scribitur repudiasse. Att. Ego vero tibi istam iustam[1] causam puto cur huc libentius venias atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus atque huic omni solo in quo tu ortus et procreatus es. Movemur enim, nescio quo pacto, locis ipsis in quibus eorum quos diligimus aut admiramur adsunt vestigia. Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum virorum ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studioseque eorum etiam sepulcra contemplor. Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse. Att. Et quidem[2] me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locum idem ego te accipio dicere Arpinum, germanam patriam esse vestram? Numquid vos[3] duas habetis patrias? an est una illa patria communis? Nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule et illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae alteram civitatis. Ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est. Ita quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci

II. 4. — 5.

[1] istam tibi iustam. [2] equidem. [3] *om.* vos.

patriam, alteram iuris; ut vestri Attici, priusquam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit, et sim erant idem[1] et Attici; sic nos et eam patriam ducimus[2] ubi nati, et illam qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae[3] nomen universae civitatis est; pro qua mori, et cui nos totos dedere, et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus: dulcis autem non multo secus est ea quae genuit, quam illa quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prorsus numquam negabo, dum illa sit[4] maior, haec in ea contineatur, habet civitates, et
III. unam illam civitatem putat[5]. Att. Recte igitur
6. Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio, quum pro Ambio[6] tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores exstitissent; ut iam videar adduci hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam.

Sed ventum in insulam est. Hoc[7] vero nihil[8] amoenius! Etenim[9] hoc quasi rostro finditur Fibrenus, et divisus aequaliter in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit, et tantum complectitur quod satis sit modicae palaestrae loci: quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris ut hanc nobis effice-

---

1 iussit, symphrantidem. 2 dicimus. 3 e qua populi Romani. 4 sit illa. 5 *om.* habet — putat. 6 Balbo. 7 hac. 8 nihil est. 9 ut enim.

ret sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem et, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, quum ad multa accesserim; ut vix pede tentare id possim, quod in Phaedro Platonis facit Socrates. M. Est vero ita: sed tamen huic 7.
amoenitati, quam ex Quinto saepe audio, Thebanus[1] Epirotes tuus ille nihil, opinor, concesserit. Q. Est ita ut dicis. Cave enim putes Attici notri Amalthio platanisque illis quidquam esse praeclarius. Sed, si videtur, considamus hic in umbra, atque ad eam partem sermonis ex qua egressi sumus revertamur. M. Praeclare exigis, Quinte: at ego effugisse arbitrabar: et tibi horum nihil deberi potest. Q. Ordire igitur: nam hunc tibi totum dicamus diem.

M. *A Iove musarum primordia*, sicut in Aratio carmine orsi sumus. Q. Quorsum istuc[2]? M. Quia nunc item[3] ab eodem et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.
Q. Optime vero, frater: et fieri sic decet. 8.

Videamus igitur rursus, priusquam agrediamur IV.
ad leges singulas, vim naturamque legis: ne quum referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis, ignoremusque vim sermonis[4] eius quo iura nobis definienda sint. Q. Sane quidem hercle. Et est ista recta docendi

---

[1] Thyamis. [2] istud. [3] itidem. [4] [sermonis].

via. M. Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei. Ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio mensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea.

9. Q. Aliquoties iam iste locus a te tactus est. Sed antequam ad populares leges venias, vim istius coelestis legis explana, si placet, ne aestus nos consuetudinis absorbeat, et ad sermonis morem usitati trahat. M. A parvis enim, Quinte, didicimus, *si in ius vocat*, atque eiusmodi leges alias nominare. Sed vero intelligi sic oportet, et hoc et alia iussa ac vetita populorum vim [1] habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi: quae vis non modo senior est quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius coelum atque ter-

10. ras tuentis et regentis dei. Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habet [2]. Nec quia nusquam erat scriptum, ut contra omnes hostium copias in ponte unus assisteret a tergoque pontem interscindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam fortitudi-

[1] vim non. [2] habere.

nis lege atque imperio putabimus: nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiae Tricipitini filiae attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans; quae non tum denique incipit lex esse quum scripta est, sed tum quum orta est: orta est autem simul cum mente divina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad iubendum et ad vetandum, ratio est recta summi Iovis. Q. As- V.
sentior, frater, ut, quod est rectum, verum quo- 11.
que sit, neque cum literis quibus scita describuntur[1] aut oriatur, aut occidat. M. Ergo ut illa divina mens summa lex est, item quum in homine est perfecta in[2] mente sapientis: quae sunt autem varie et ad tempus descripta populis, favore magis quam re legum nomen tenent. Omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem, quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et beatam inventas esse leges, eosque qui primum eiusmodi scita sanxerint populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscriptis[3] susceptisque honeste beateque viverent, quaeque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarent[4]. Ex quo

[1] scribuntur. [2] perfecta, est in. [3] adscitis. [4] nominarunt.

intelligi par est, eos qui perniciosa et iniusta populis iussa descripserint, quum contra fecerint quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse quam leges: ut perspicuum esse possit in ipso nomine legis interpretando inesse vim et
12. sententiam iusti et veri[1] legendi. Quaero igitur a te, Quinte, sicut illi solent: Quo si civitas careat ob eam ipsam causam quod eo careat pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? Q. Ac maximis quidem. M. Lege autem carens civitas estne[2] ob id ipsum habenda nullo loco? Q. Dici aliter non potest. M. Necesse est
13. igitur legem habere[3] in rebus optimis. Q. Prorsus assentior. M. Quid quod multa perniciosa[4], multa pestifera[5] sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latores[6] aliquas[7] consessu suo sanxerint. Nam neque medicorum praecepta dici vere possent, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserunt; neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

VI. Q. Praeclare intelligo: nec vero iam aliam esse

---

[1] iusti et iuris. [2] anne. [3] haberi. [4] perniciose. [5] pestifere. [6] latrones. [7] aliqua.

ullam legem puto, non modo habendam, sed ne appellandam quidem. M. Igitur Titias[1] et Apu- 14.
leias leges nullas putas? Q. Ego vero ne Livias quidem. M. Et recte: quae praesertim uno versiculo senatus puncto temporis sublatae sint. Lex autem illa cuius vim explicavi, neque tolli neque abrogari potest. Q. Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae numquam abrogentur? M. Certe si modo acceptae a duobus vobis[2] erunt. Sed, ut vir doctissimus fecit Plato atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de re publica conscripsit, idemque separatim de legibus eius, id mihi credo esse faciundum, ut, priusquam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam: quod idem etiam[3] Zaleucum et Charondam fecisse video; quum[4] quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis scripserunt[5]: quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.
Q. Quid, quod Zaleucum istum negat ullum fuisse 15.
Timaeus. M. At Theophrastus, auctor haud deterior, mea quidem sententia, meliorem multi nominant; commemorant vero ipsius cives, nostri clientes, Locri. Sed sive fuit, sive non fuit, nihil ad rem: loquimur quod traditum est.

Sit igitur hoc iam[6] a principio persuasum ci- VII.

---

[1] tu Titias. [2] vobis duobus. [3] et. [4] quamquam. [5] conscripserunt. [6] *om.* iam.

vibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos, eaque quae gerantur eorum geri vi ditione [1] ac numine, eosdemqne optime de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque et impiorum
16. habere rationem. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili et [2] vera sententia. Quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem ut in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet? aut ut ea quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensium temperatio, quem [3] ea quae gignuntur nobis ad fruendum non gratum esse cogunt [4], hunc hominem omnino numerari qui decet? Quumque omnia quae rationem habent praestent iis quae sunt rationis expertia, nefasque sit dicere ullam rem praestare naturae omnium rerum; rationem inesse in ea confitendum est. Utiles esse autem has opiniones [5] quis neget, quum intelligat, quam multa firmentur iureiurando, quantae saluti sint foederum religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium in-

---

[1] geri iudicio. [2] et a. [3] quemque. [4] cogant. [5] opiniones has.

ter ipsos, diis immortalibus interpositis tum iudicibus tum testibus?

Habes legis prooemium: sic enim hoc appellat Plato. Q. Habeo vero frater. Et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille. Nihil enim tam dissimile, quam vel ea quae ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium. Unum illud mihi videris imitari, orationis genus. M. Velle[1] fortasse: quis enim id potest aut umquam poterit imitari? Nam sententias interpretari perfacile est: quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meus. Quid enim negotii est eadem prope verbis iisdem conversa dicere? Q. Prorsus assentior. Verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. Sed iam exprome, si placet, istas leges de religione. 17.
M. Expromam equidem ut potero. Et quoniam 18.
et locus et sermo familiaris est, legum leges voce proponam. Q. Quidnam id est? M. Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca ut in veteribus XII sacratisque legibus, et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potuero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectae, nam esset infinitum; sed ipsae summae rerum atque sententiae. Q. Ita 19.
vero necesse est. Quare audiamus.

M. Ad divos adeunto caste: pietatem VIII.

---

[1] vellem.

adhibento: opes amovento: qui secus faxit, deus ipse vindex erit.

Separatim nemo habessit deos neve novos sed ne[1] advenas, nisi publice adscitos.

Privatim colunto quos rite a[2] patribus.

Delubra[3] habento, lucos in agris habento et larum sedes.

Ritus familiae patriaque[4] servanto.

Divos et eos qui coelestes semper habiti colunto, et ollos quos endo coelo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum: ast olla, propter quae datur homini adscensus in coelum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra sunto: nec ulla vitiorum.

Sacra[5] solemnia obeunto.

Feriis iurgia movento[6], easque in famulis operibus patratis habento: itaque ut ita cadat in annuis anfractibus descriptum esto: certasque fruges certasque bacas sacerdotes publice libanto: hoc
20. certis sacrificiis ac diebus: itemque alios ad dies ubertatem lactis foeturaeque servanto: idque ne committi possit, ad eam rem rationem[7] cursus annuos sacerdotes

---

[1] sive. [2] colunto constructa a. [3] delubra in urbibus. [4] patrumque. [5] vitiorum sacra. [6] amovento. [7] ratione.

finiunto, quaeque quoique divo decorae grataeque sint hostiae providento.

Divisque aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto.

Virginesque vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.

Quoque haec privatim et publice modo rituque fiant, discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum autem genera sunto duo [1], unum quod praesit caerimoniis et sacris, alterum quod interpretetur fatidicorum et vatum effata incognita quorum senatus populusque adsciverit.

Interpretes autem Iovis optimi maximi publici augures signis et auspiciis postea
vidento, disciplinam tenento, sacerdo- 21.
tesque vineta virgetaque et salutem populi auguranto: quique agent rem duelli quique popularem, auspicium praemonento, ollique obtemperanto: divorumque iras providento iisque apparento, coelique fulgura regionibus ratis temperanto, urbemque et agros et templa liberata et effata habento: quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira defixerit irrita infectaque sunto, quique non paruerit capital esto.

Foederum pacis belli induciarum ora- IX.

---

[1] duo genera sunto.

tores fetiales iudices non[1] sunto, bella disceptanto.

Prodigia portenta ad Etruscos et[2] aruspices, si senatus iusserit[3], deferunto: Etruriaque principes disciplinam doceto: quibus divis creverint, procuranto: iidemque fulgura atque obstita pianto.

Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla quae pro populo rite fiant, neve quae[4] initianto, nisi ut assolet Cereri, Graeco sacro.

22. Sacrum commissum quod neque expiari poterit, impie commissum est[5], quod expiari poterit publici sacerdotes expianto.

Ludis publicis quod sine curriculo et sine certatione corporum fiat, popularem laetitiam in cantu et fidibus et tibiis moderanto, eamque cum divum honore iungunto.

Ex patriis ritibus optima colunto.

Praeter Idaeae Matris famulos eosque iustis diebus, ne quis stipem cogito.

Sacrum sacrove commendatum qui cleperit rapsitque, parricida esto.

Periurii poena divina exitium, humana dedecus.

---

[1] *om.* non. [2] *om* et. [3] iussit. [4] *om.* quae. [5] esto.

Incestum pontifices supremo supplicio sanciunto.

Impius ne audeto placare donis iram deorum.

Caute vota reddunto.

Poena violati iuris esto.

Quo circa ne quis agrum consecrato: auri argenti eboris sacrandi modus esto.

Sacra privata perpetua manento.

Deorum manium iura sancta sunto: hos leto datos divos habento: sumtum in ollos luctumque minuunto.

Att. Conclusa quidem est a te tam magna lex X. 23.
sane quam brevi, et, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. M. An censes, quum in illis de re publica libris persuadere videatur Africanus omnium rerum publicarum nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimae rei publicae leges dare consentaneas? Att. Immo prorsus ita censeo. M. Ergo adeo exspectate leges quae genus illud optimum rei publicae contineant: et, si quae forte a me hodie rogabuntur quae non sint in nostra re publica nec fuerint, tamen erant [1] fere in
more maiorum, qui tum ut lex valebat. Att. 24.
Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego *utei tu* [2] *rogas* possim dicere. M. Ain' tan-

---

[1] erunt. [2] *om.* tu.

dem, Attice, non es dicturus aliter? Att. Prorsus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter, in minoribus, si voles, remittam hoc tibi. Q. Atque mea quidem sententia est. M. At ne longum fiat videte. Att. Utinam quidem! Quid enim agere malumus?

M. Caste iubet lex adire ad deos; animo videlicet, in quo sunt omnia: nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intelligi, quum multum animus corpore [1] praestet, observeturque ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis. Nam illud vel adspersione aquae, vel dierum numero tollitur, animi labes nec diuturnitate vanescere [2], nec
25. amnibus ullis elui potest. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri iubet, significat pietatem [3] gratam esse deo, sumtum esse removendum. Quum enim paupertatem cum divitiis [4] etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam sumtu ad sacra addito deorum aditu arceamus? praesertim quum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit, quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Quod autem non iudex, sed deus ipse vindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur.

Suosque deos, aut novos, aut alienigenas coli, confusionem habet religionum, et ignotas ceri-

---

[1] corpori. [2] evanescere. [3] probitatem. [4] quid est enim, quum paupertatem divitiis.

monias sacerdotibus. Nam [1] patribus acceptos 26.
deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi.

Patrum delubra esse in urbibus censeo: nec
sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xer-
xes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod
parietibus includerent deos, quibus omnia debe-
rent esse patentia ac libera, quorumque hic
mundus omnis templum esset et domus. Melius XI.
Graeci atque nostri. Qui ut augerent pietatem
in deos, easdem illos urbes, quas nos, incolere
voluerunt. Affert enim haec opinio religionem
utilem civitatibus: siquidem et illud bene dictum
est a Pythagora doctissimo viro, tum maxime et
pietatem et religionem versari in animis, quum
rebus divinis operam daremus: et quod Thales,
qui sapientissimus in septem fuit, homines exi-
stimare oportere omnia cerneret [2] deorum esse
plena; fore enim omnes castiores, veluti qui [3] in
fanis essent maxime religiosis. Est enim quae-
dam opinionis species deorum in oculis, non so-
lum in mentibus. Eamdemque rationem luci 27.
habent in agris. Neque ea, quae a maioribus
prodita est, quum dominis, tum famulis posita
in fundi villaeque conspectu religio Larum repu-
dianda est.

Iam ritus familiae patrumque servari [4] id est,
quoniam antiquitas proxime accedit ad deos, a
diis quasi traditam religionem tueri.

---

[1] nam a. [2] quae cernerent. [3] veluti quum. [4] servare.

Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos mortales esse, sed for-
28. tium bonorumque divinos. Bene vero quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu, quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt, ut illa qui habeant, (habent autem omnes boni,) deos ipsos in animis suis collocatos putent. Nam illud vitiosum, Athenis quod, Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae: virtutes enim, non vitia consecrare[1] decet: araque vetus[2] est in Palatio Febris, et altera Esquiliis Malae Fortunae, detestataque omnia eiusmodi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina, Vicaepotae potius vincendi[3] atque potiundi[4] Statasandi[5], cognominaque Statoris et Invicti Iovis, rerumque expetendarum nomina, Salutis, Honoris, Opis, Victoriae. Quoniamque exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam Spes a Calatino consecrata est: Fortunaque sit vel Huiusce Diei, (nam valet in omnes dies,) vel Respiciens, ad opem ferendam, vel Fors, in quo incerti casus significantur magis, vel Primigenia a gignendo, Comes tum

XII. Feriarum festorumque dierum ratio in liberis
29. requietem litium habet[6] et iurgiorum, in servis

---

1 consecrari. 2 araque quae vetustissima. 3 [vincendi]. 4 [potiundi]. 5 Statae [standi]. 6 habet litium.

operum et laborum. Quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum: quod tempus ut sacrificiorum libamenta serventur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est: quod institutum perite a Numa posteriorum pontificum negligentia dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis.

Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes et respondendi iuris, et confitendarum religionum facultatem afferunt.

Quumque Vesta, quasi focum urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum interpretatum nomen tenemus, conspexa [1] sit, ei colendae virgines praesint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres innaturam [2] feminarum omnem castitatem pati.

Quod sequitur vero non solum ad religionem 30.
pertinet, sed etiam ad civitatis statum, ut sine his [3] qui sacris publice praesint religioni privatae satisfacere non possint. Continet enim rem publicam consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere. Descriptioque sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui

---

[1] complexa. [2] naturam. [3] iis.

sacris praesint sollennibus: ad interpretandum alii praedicta vatum, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra collegium nosset.

31. Maximum autem et praestantissimum in re publica ius est augurum cum auctoritate [1] coniunctum. Neque vero hoc quia sum ipse augur ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur *alio* [2] dixerit? Quid magnificentius, quam posse decernere ut magistratu se abdicent consules? Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? Quid, legem si non iure rogata est tollere? ut Titiam decreto collegii, ut Livias consilio Philippi, consulis et auguris: nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam probari?

XIII. Att. Age, iam ista video fateorque esse magna.
32. Sed est in collegio vestro inter Marcellum et Appium optimos augures magna dissensio. Nam eorum ego in libros incidi, quum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina vestra quasi divinari [3] videatur prorsus posse. Hac tu de re quaero

---

[1] quum est auctoritati. [2] alio die. [3] divinare.

quid sentias? M. Egone? divinationem, quam Graeci μαντικήν appellant, esse sentio [1], et huius hanc ipsam partem, quae est in avibus ceterisque signis quo [2] disciplinae nostrae summos [3] esse concedimus [4], eorumque mente mundum regi, et eorumdem [5] hominum consulere generi, et posse nobis signa rerum futurarum ostendere; non video, cur esse divinationem negem: sunt 33. autem ea quae posui: ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. Iam vero permultorum exemplorum et nostra est plena res publica, et omnia regna omnesque populi cunctaeque gentes, augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse. Neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset, neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Anparigum [6], Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeque Pisidarum, nisi vetustas ea certa esse docuisset. Nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset, neque Attii Navii nomen memoria floreret tamdiu, nisi omnes hi [7] multa ad veritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est quin haec disciplina et ars augurum evanuerit iam et vetustate et negligentia. Ita neque illis [8] assentior qui hanc scientiam negant [9] umquam in nostro collegio fuisse, neque illis [10],

---

1 censeo. 2 *om* quo. 3 nostrae: quod, quum summos deos. 4 concedamus. 5 eorumdem benignitatem. 6 Arabum. 7 hi omnes. 8 illi. 9 negat. 10 illi.

qui esse etiam nunc putant[1]: quae mihi videtur
apud maiores fuisse duplex[2], ut ad rei publicae
tempus nonnumquam, et[3] agendi consilium sae-
34. pissime pertineret. Att. Credo hercle ita esse,
istique rationi potissimum assentior. Sed redde
XIV. cetera. M. Reddam vero, et[4], si potero, brevi.

Sequitur enim de iure belli. In quo et susci-
piendo et gerendo et deponendo ius ut[5] pluri-
mum valet et fides: forumque[6] ut publici inter-
pretes essent lege sanximus.

Iam de haruspicum religione, de expiationibus
et procurationibus, satis supraque[7] in ipsa lege
dictum puto. Att. Assentior, quoniam omnis haec
in religione versatur oratio.

M. At vero, quod sequitur, quomodo aut tu
35. assentiare, aut ego reprehendam, sane quaero,
Tite. Att. Quid tandem id est? M. De noctur-
nis sacrificiis mulierum. Att. Ego vero as-
sentior, excepto praesertim in ipsa lege sol-
lenni sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget
Iacchus, Eumolpidaeque vestri[8], et augusta illa
mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus?
36. Non enim populo Romano, sed omnibus bonis
firmisque populis leges damus. Att. Excipis,
credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. M. Ego
vero excipiam. Nam mihi quum multa eximia
divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque
in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis

---

[1] putat. [2] dupliciter. [3] ad. [4] et ipsa. [5] [ut]. [6] horumque.
[7] superque. [8] nostri.

mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus, neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Quid autem mihi displiceat innocentes [1] poetae indicant comici: qua licentia Romae data, quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne imprudentiam quidem oculorum adiici fas fuit? Att. Tu vero istam Romae legem rogato, nobis nostras ne ademeris.
M. Ad nostra igitur revertor: quibus profecto XV.
diligentissime sanciendum est ut mulierum fa- 37.
mam multorum oculis lux clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur. Quo in genere severitatem maiorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus et consulum exercitu adhibito quaestio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Novos vero deos, et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanus facetissimus poeta veteris comoediae vexat, ut apud eum Sabazius, et quidam alii dii peregrini iudicati e civitate eiiciantur.

Publicus autem sacerdos imprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in et inmitendis [2] religionibus foedis damnet atque impiam iudicet.

---

[1] displiceat in nocturnis. [2] in admittendis.

38. Iam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationes[1] cursu et[2] pugilatione luctatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam circo constitutis cavea cantu[3] voce ac fidibus et tibiis; dummodo ea moderata sint, ut lege praescribitur. Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque et incitat languentes, et languefacit excitatos, et tum remittit animos, tum contrahit; civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit antiquum vocum conservare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant, aut, quum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animis-
39. que[4] mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Graeciae vir longeque doctissimus valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione[5] legum publicarum. Ego autem nec tam valde id timendum, nec plane contemnendum puto. Illa quidem quae solebant quondam compleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultent, ut cervices[6] oculosque pariter cum modorum flexionibus tor-

---

[1] certatione. [2] [et]. [3] constituti: caveae cantus. [4] animis. [5] immutatione. [6] exsultant! cervices.

queant [1]. Graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia, longe providens quam sensim pernicies illapsa civium animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret; si quidem illa severa Lacedaemon nervos iussit quo plures quam septem haberet in Timothei fidibus indi [2].

Deinceps in lege est ut de ritibus patriis colantur optima [3]. De quo quum consulerent Athenienses Apollinem Pythium quas potissimum religiones tenerent, oraculum editum est, eas quae essent in more maiorum: quo quum iterum venissent, maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum, quaesissentque quem morem potissimum sequerentur e variis, respondit, optimum. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et deo proximum, quod sit optimum. XVI. 40.

Stipem sustulimus, nisi eam quam apud [4] paucos dies propriam Idaeae matris excepimus. Implet enim superstitione animos, et exhaurit domos.

Sacrilego poena est: neque ei solum [5] qui sacrum abstulerit, sed etiam ei qui sacro commendatum, quod et nunc multis fit in fanis, Alexander in Cilicia deposuisse apud solensit [6] in 41.
delubro pecuniam dicitur, et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, civis egregius, quum rebus timeret suis, filiarum dotes credidit sed.

Iam [7] de periuriis, de incesto, nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

---

[1] torquent! [2] demi. [3] optimi. [4] ad. [5] soli. [6] Solos. [7] credidit. Sed iam.

Donis impii ne placare audeant deos, Platonem audiant, qui vetat dubitare qua sit mente futurus deus, quum vir nemo bonus ab improbo se donari velit.

Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio qua obligamur deo.

Poena vero violatae religionis iustam recusationem non habet. Quid ego hic sceleratorum utar exemplis, quorum sunt plenae tragoediae? Quae ante oculos sunt, ea potius attingantur. Etsi haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur, tamen, quoniam sermo mihi [1] est apud eos [2], nihil reticebo, volamque [3] hoc, quod loquar, diis immortalibus gratum potius videri, quam grave.

XVII. 42. Omnia tum perditorum civium scelere, discessu meo, religionum iura polluta sunt: vexati nostri lares familiares: in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae: pulsus a delubris is, qui illa servarat. Circumspicite celeriter animo, (nihil enim attinet quemquam nominari,) qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam Custodem urbis, omnibus ereptis nostris rebus ac perditis, violari ab impiis passi non sumus, eamque ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus, iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium conservatae patriae consecuti sumus: quo quid accidere potuit homini praeclarius? Quorum sce-

---

[1] mihi sermo. [2] vos. [3] velimque.

lere religiones tum prostratae afflictaeque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent; qui vero ex his[1] et horum scelerum principes fuerunt et praeter ceteros in omni religione impii, non solum vita cruciati atque[2] dedecore, verum etiam sepultura et[3] iustis exsequiarum caruere[4].
Q. Equidem ista agnosco, frater, et meritas diis 43.
gratias ago. Sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere. M. Non enim, Quinte, recte existimamus quae poena divina sit, et opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. Morte, aut dolore corporis, aut luctu animi, aut offensione iudicii hominum miserias ponderamus; quae fateor humana esse, et multis bonis viris accidisse. Sceleris est poena, tristis et praeter eos eventus qui sequuntur per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui, nisi odissent patriam, numquam inimici nobis fuissent, ardentes tum cupiditate, tum metu, tum conscientia, quid agerent modo timentes, vicissim contemnentes religiones, iudicia perrupta ab iisdem corrupta hominum non deorum. Reprimam iam[5] 44.
et non insequar longius, eoque minus quo plus poenarum habeo quam petivi. Tantum poenam erebi[6] duplicem poenam esse[7] divinam, quod constat ex[8] vexandis vivorum animis, et ea fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio vivorum et gaudio comprobetur.

---

[1] iis. [2] vita, cruciati [atque]. [3] ac. [4] caruerunt. [5] iam me. [6] ponam * * * *om.* erebi. [7] esse poenam. [8] et ex.

XVIII. 45. Agri autem ne consecrentur, Platoni prorsus assentior: qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur. »Terra igitur, ut focus do»miciliorum, sacrum [1] deorum omnium est: quo»circa ne quis iterum idem consecrato: aurum »autem et argentum in urbibus et privatim, et in »fanis invidiosa res est: tum ebur ex inani cor»pore extractum, haud satis castum donum deo: »iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non »fani: lignum [2] autem quod quis [3] voluerit uno e »ligno cavato [4] itemque lapideum, in delubris »communibus: textile ne operosius quam mulie»ris opus menstruum, color autem albus que [5] »praecipue decorus deo est, quum in ceteris, tum »maxime in textili, tincta vero absint, nisi a bel»licis insignibus: divinissima autem dona habes [6] »et formae ab uno pictore uno absolutae die: »itemque cetera huius exempli dona sunt" [7]. Haec illi placent. Sed ego cetera non tam restricte praefinio, vel hominum vitiis, vel subsidiis temporum victus. Terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam tuendam [8] ferroque subiciendam [9] superstitionis aliquid accesserit.

Att. Habeo ista. Nunc de sacris perpetuis, et de manium iure restat. M. O miram memoriam,
46. Pomponi, tuam! At mihi ista exciderant ita. Att. Credo [10]. Sed tamen hoc magis eas res et memini

---

[1] sacra. [2] ligneum. [3] quodque. [4] dedicato. [5] *om.* que. [6] aves. [7] sunto. [8] utendam. [9] subiiciendam. [10] exciderant. Att. Ita credo.

et exspecto, quod et ad pontificium ius, et ad civile pertinent. M. Vero: et apertissima sunt istis de rebus et responsa et scripta multa: et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo, quoad potero, eius ipsius generis ius civile nostrum; sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque ars [1] iuris; ut non difficile sit, qui modo ingenio possit moveri, quaecumque nova causa consultatiove acciderit, eius tenere ius, quum scias [2] a quo sit capite repetendum. Sed iurisconsulti, sive erroris obiiciundi causa, XIX.
47. quo plura et difficiliora scire videantur, sive, quod similius veri est, ignoratione docendi, (nam non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars est [3] etiam docendi,) saepe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertiuntur. Velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaevolae faciunt, pontifices ambo et iidem iuris peritissimi. At, inquit Publii filius, ex patre audivi pontificem bonum neminem esse, nisi qui ius civile cognosset. Totumne? Quid ita? Quid enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum aut ullo omnino? Si ego [4] quod cum religione coniunctum est, id autem quantulum est? De sacris, credo, de votis, de feriis et [5] de sepulcris, et si quid eiusmodi est. Cur igitur haec tanta facimus, quum cetera perparva sint?

---

[1] pars. [2] sciat. [3] *om.* est. [4] omnino? Ergo. [5] *om.* et.

De sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui,
48. perpetua sint sacra. Haec [1] iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis essent ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit. Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur quibus implentur iurisconsultorum libri. Quaeruntur enim qui adstringantur sacris. Heredum causa iustissima est. Nulla est enim persona, quae ad vicem eius qui e vita emigrarit propius accedat. Deinde qui morte testamentove eius tantumdem capiat, quantum omnes heredes. Id quoque ordine: est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis quae eius fuerint, quum moritur, usu ceperit plurimum possidendo. Quarto, si nemo sit qui ullam rem ceperit, de credito-
49. ribus eius qui plurimum servet. Extrema illa persona est, ut, si qui ei qui mortuus sit pecuniam debuerit, neminique eam solverit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.

XX. Haec nos a Scaevola didicimus, non ita descripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant: tribus modis sacris adstringi, hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat,

---

[1] Hoc posito haec.

aut si maior pars pecuniae legata est, aut [1] si inde quippiam ceperit. Sed pontificem sequamur. 50. Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecunia sacra [2] coniungi volunt, iisdemque ferias et cerimonias adscribendas putant. Atque etiam dant hoc Scaevolae, quod est partitio: ut, si in testamento deducta scripta non sit, ipsique minus ceperint quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. In donatione hoc iidem secus interpretantur; et quod paterfamilias in eius donatione, qui in ipsius potestate esset, approbavit, ratum est; quod eo insciente factum est, si id is non approbat, ratum non est. His propositis quaestiunculae 51. multae nascuntur, quas qui intelligat non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? Veluti si minus quis cepisset ne sacris alligaretur, ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cuius ipse heres esset, praetermissum fuisset, eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione quam heredibus omnibus esset relicta, qui eam pecuniam exegisset solum nisi [3] coheredibus sacris alligari. Quin etiam cavent ut, cui plus legatum sit quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredem testamenti solvat, propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.

---

[1] *om.* aut. [2] pecuniam sacris. [3] sine.

XXI. 52. Hoc ego loco multisque aliis quaero a vobis, Scaevolae, pontifices maximi, et homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit quod ad ius pontificium civile appetatis. Civilis enim iuris scientia pontificium quodam modo tollitis. Nam sacra cum pecunia pontificum auctoritate, nulla lege, coniuncta sunt. Itaque si vos tantummodo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas: sed, quod iidem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia illa [1] eluditis. Placuit P. Scaevolae et Ti. [2] Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, qui tantumdem caperet quantum omnes here-
53. des, sacris alligari. Habeo ius pontificium. Quid huc accessit ex iure civili? Partitionis caput scriptum caute, ut centum numi deducerentur: inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. Quod si hoc, qui testamentum faciebat, cavere noluisset, admonet iurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat quam omnibus heredibus relinquatur: super, dicebant, quicquid [3] cepisset, adstringi. Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium ius, et e medio est iure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quo legatus [4] est, ut ea pecunia ex stipula-
54. tione debeatur, sitque ea non

---

1 illam. 2 *om.* Ti. 3 qui quid. 4 quod legatum.

doctum hominem sane, cuius fuit Attius perfamiliaris. Sed mensem credo extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare pietatis [1] esse adiunctum putabat.

Iam tanta religio est sepulcrorum, ut extra XXII.
sacra et gentem inferri fas negent esse. Idque 55.
apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popilia iudicavit. Nec vero tandelica lex [2] quae a nece appellatae sunt, quia residentur mortui [3], quam ceterorum coelestium quieti dies feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conferre ius, ut neque ipsius neque publicae feriae sint. Totaque huius iuris compositio pontificalis magnam religionem cerimoniamque declarat. Neque necesse est edisseri a nobis quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii lare verbecibus fiat, quemadmodum os reiectum [4] terrae [5] obtegatur, quaeque in porca contracta iura sint, quo tempore incipiat sepulcrum esse, et religione teneatur. At mihi qui- 56.
dem antiquissimum sepulturae genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terrae corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu in eo sepulcro, quod procul [6] ad fontis aras [7], regem nostrum Numam conditum ac-

[1] pietati. [2] tam denicales. [3] mortuis. [4] resectum. [5] terra.
[6] quo haud procul. [7] a Fonti ara.

cepimus; gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla Victor, acerbiore odio incitatus, quam
57. si tam sapiens fuisset quam fuit vehemens: quod haud scio an timens suo corpori posse accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Declarat enim [1] Ennius de Africano, *hic est ille situs*. Vere: nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et corpus caesum [2] est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis [3] penitus humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contegeret: eumque morem ius pontificale confirmat. Nam prius quam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tum et illis [4] humatus est, et gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Itaque in eo, qui in navi necatus deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non exstaret, porcam heredi esse contractam, et [5] habendas triduum ferias, et porco feminam [6] piaculum pati, si in mari mortuus esset eadem praeter piaculum et ferias.

XXIII. 58. Att. Video quae sint in pontificio iure. Sed quaero ecquidnam [7] sit in legibus. M. Pauca

---

[1] etenim. [2] ingestum. [3] sepultis ponitur ut. [4] tum et illic. [5] *om.* et. [6] femina. [7] quidnam.

sane, Tite, et, ut[1] arbitror, non ignota vobis.
Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad
ius sepulcrorum. *Hominem mortuum*, inquit lex
in XII, *in urbe ne sepelito neve urito:* credo, vel
propter ignis periculum: quod autem addit, *neve
urito*, indicat non, qui uratur, sepeliri, sed qui
humetur. Att. Quid? qui post XII in urbe se-
pulti sunt? M. Claros viros credo[2], Tite, fuisse,
aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis
causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto,
quod eorum posteri iure tenuerunt; aut eos, si
qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa, soluti
legibus, consecuti sunt. Sed in urbe sepeliri lex
vetat, sic decretum a pontificum collegio non
esse ius in loco publico fieri sepulcrum. Nostis
extra portam Collinam aedem Honoris. Aram[3]
in eo loco fuisse memoriae proditum est. Ad
eam quum lamina esset inventa, et in ea scriptum
domina[4] *honoris*, ea causa fuit aedis huius dedi-
candae: sed, quum multa in eo loco sepulcra
fuissent, exarata sunt: statuit enim collegium
locum publicum non potuisse privata religione
obligari. Iam cetera in XII minuendi sumtus 59.
sunt[5], lamentationesque[6] funeris, translata de
Solonis fere legibus. *Hoc plus*, inquit, *ne facito:
rogum ascia ne polito:* nostis quae sequuntur:
discebamus enim pueri XII ut carmen necessa-

---

[1] uti. [2] sepulti sunt, clari viri? M. Credo. [3] et aram. [4] la-
mina. [5] sunt sumtus. [6] lamentationisque.

rium, quas iam nemo discit. Extenuato igitur sumtu tribus riciniis, et vinclis purpurae, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem: *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Hoc veteres interpretes, Sex. Aelius, L. Acilius, non satis se intelligere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris: L. Aelius, lessum quasi lugubrem eiulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Haec laudabilia, et locupletibus fere cum plebe communia: quod quidem maxime e natura est, tolli for-
XXIV. tunae discrimen in morte. Cetera item funebria,
60. quibus luctus augetur, XII sustulerunt. *Homini,* inquit, *mortuo ne ossa legito quo post funus faciat.* Excipit bellicam peregrinamque mortem. Haec praeterea sunt in legibus: de unctura quae servilis unctura tollitur, omnisque circumpotatio: quae et recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent: ne sumtuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae praetereantur. Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute paratam [1] et ei qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet. Credoque [2], quod erat factitatum ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret lege sanctum est. Qua in lege quum esset, *neve aurum addito,* quam hu-

---

[1] partam. [2] *om.* que.

mane excipiat[1] altera lex, praecipit altera lege ut[2] cui auro dentes vincti essent *astim cum illo sepelletur et ve*[3] *se fraude esto:* et simul illud videtote, aliud habitum esse sepeliretur ere[4]. Duae 61.
sunt praeterea leges de sepulcris, quarum altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulcris cavet. Nam quod rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adiici aedes alienas invito domino, incendium veretur acerbum. Quod autem eorum[5], id est vestibulum sepulcri, bustumve usucapi vetat, tuetur ius sepulcrorum.

Haec habemus in XII: sane secundum naturam, quae norma legis est. Reliqua sunt in more, funus ut indicatur si quid ludorum, domusque[6] funeris utatur accenso atque lictoribus, honoratorum virorum laudes in concionem[7] me- 62.
morantur[8], easque etiam et[9] cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen neniae, quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur.
Q. Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari, XXV.
maiorumque sapientia admodum delector. M. Sed credo, Quinte, ut ceteros[10] sumtus, sic etiam sepulcrorum modum recte requiri. Quos enim ad sumtus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulcro vidisse credo[11] minimam olim istius rei fuisse cupiditatem; alioquin multa exstarent exem-

---

1 excipit. 2 *om.* praecipit altera lege ut. 3 escunt; ast im cum illo sepelire, urereve. 4 sepelire et urere. 5 forum. 6 dominusque. 7 concione. 8 memorentur. 9 *om.* et. 10 ceteri. 11 vides. Sed credo.

pla maiorum. Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubentur[1] sumtus et luctum removere a deorum manium iure, hoc intelligant[2] in primis, sepulcrorum magnificentiam esse minuen-

63. dam. Nec haec a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit, hocius[3] terra humandi, quam quum proximi fecerant[4] obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati, apud quas de mortui laude, quum ni[5] quid veri erat praedicatum (nam mentiri nefas

64. habebatur) adiuxta[6] confecta erant. Posteaquam[7], ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, et[8] Solonis lege sublata sunt: quam legem eisdem prope verbis nostris viri[9] in decimam tabulam coniecerunt: nam de tribus riciniis, et pleraque illa Solonis sunt: de lamentis vero expressa verbis sunt, *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.*

XXVI. De sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat; poenaque est si quis bustum, (nam id puto appellari *τύμβον*) aut monumentum, inquit, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.

---

1 iubemur. 2 intelligunt. 3 ocius. 4 iniecerant. 5 *om.* ni. 6 iusta. 7 postea, quum. 8 *om.* et. 9 nostri decemviri.

Sed post aliquanto, propter has amplitudines sepulcrorum quas in Ceramico videmus, lege sanctum est ne quis sepulcrum faceret operosius quam quod decem homines effecerint triduo,
neque id opere textorio[1] exornari, nec hermas 65.
hos, quos vocant, licebat imponi, nec de mortui laude, nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui[2] publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur:
habet enim luctum concursus hominum: quo- 66.
circa Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus aliorum. Sed ait rursus idem Demetrius, increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse. Fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime, tuendaeque civitatis paratissimus[3]. Iste igitur sumtum minuit, non solum poena, sed etiam tempore: ante lucem enim iussit efferri. Sepulcris autem novis finivit modum: nam super terrae tumulum noluit quid statui nisi columellam tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum: et huic procurationi certum magistratum praefecerat.

Haec igitur Athenienses tui. Sed videamus Pla- XXVII.
tonem; qui iusta funerum reiicit ad interpretes 67.
religionum: quem nos morem tenemus. De se-

---

[1] tectorio. [2] nisi si qui. [3] peritissimus.

pulcris autem dicit haec. Vetat ex agro culto, eove qui coli possit, ullam partem sumi sepulcro; sed quae natura agri tantum modo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut compleatur: quae autem terra fruges ferre et, ut mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat,
68. neve vivus, neve mortuus. Exstrui autem vetat sepulcrum altius, quam quod quinque diebus[1] absolverint, nec e lapide excitari prius[2], nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam ne plus quatuor herois versibus, quos *longos* appellat Ennius. Habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulcris summi viri: a quo iterum[3] funerum sumtus praefinitur ex censibus a minis quinque usque ad minam. Deinceps dicit eadem illa de immortalitate animorum et reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum.

69. Habetis igitur explicatum omnem, ut arbitror, religionis[4] locum. Q. Nos vero, frater, et copiose quidem. Sed perge ad[5] cetera. M. Pergam equidem: et quoniam libitum est vobis me ad haec impellere, hodierno sermone conficiam, spero; hoc praesertim die. Video enim Platonem idem fecisse omnemque orationem eius de legibus peroratam esse uno aestivo die.

---

[1] quinque homines quinque diebus. [2] plus. [3] item. [4] religionum. [5] *om.* ad.

Igitur[1] faciam, et dicam de magistratibus: id est enim[2] profecto quod, constituta religione, rem publicam contineat maxime. Att. Tu vero dic, et istam rationem quam coepisti tene.

[1] Sic igitur. [2] enim est.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBER TERTIUS.

I. 1. M. Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est. Att. Platonem videlicet diligis[1]. M. Istum ipsum, Attice. Att. Tu vero eum nec nimis valde umquam, nec nimis saepe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari volunt, concedunt, ut eum arbitratu meo diligam. M. Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. Att. Sane gaudeo

[1] dicis.

quod te interpellavi, quoniam quidem[1] tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium. Sed perge, ut coeperas.

M. Laudemus igitur prius legem ipsam veris 2.
et propriis generis sui laudibus. Att. Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. M. Videtis igitur magistratus hanc esse vim, ut praesit, praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus: vereque dici potest[2], magistratum legem esse loquentem, legem autem
mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est 3.
ad ius conditionemque naturae, (quod quum dico, legem a me dici[3] intelligi volo,) quam imperium, sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest: nam et hic deo paret, et huic obediunt maria terraeque, et hominum vita iussis supremae
mae legis obtemperat. Atque ut ad haec cite- II. 4.
riora veniam et notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur; idque in re publica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit: deinde etiam deinceps posteris prodebatur: quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii ne-

---

[1] quandoquidem. [2] *om.* potest. [3] dici, nihil aliud.

mini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis, quaeque de optima re publica sentiremus in sex libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum quem probamus civitatis statum.

5. Magistratibus igitur opus est: sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest, quorumque descriptione omnis rei publicae moderatio continetur. Neque solum his praescribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam et, qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum, et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum ut obtemperent obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque praescribimus: ut Charondas in suis facit legibus: noster vero Plato Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi caelestibus, sic hi adversentur magistratibus. Quae quum ita sint, ad ipsas iam leges
6. veniamus, si placet. Att. Mihi vero et istud, et ordo iste rerum placet.

III. M. Iusta imperia sunto, iisque cives modeste ac sine recusatione parento: magistratus nec obedientem et innoxium[1]

---

1 noxium.

civem multa vinclis verberibus ve[1] coerceto, ni par maiorve potestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto.

Quum magistratus iudicassit irrogassitve, per populum multae poenae certatio esto: militiae ab eo qui imperabit provocatio ne esto: quodque is, qui bellum geret, imperassit, ius ratumque esto.

Minores magistratus partiti iuris plures in ploera[2] sunto: militiae, quibus iussi erunt, imperanto, eorumque tribuni sunto: domi pecuniam publicam custodiunto, vincla sontium servanto, capitalia vindicanto, aes argentum aurumve publice signanto, lites[3] contractas iudicanto, quodcumque senatus creverit agunto.

Suntoque aediles curatores urbis annonae ludorumque sollemnium, ollisque ad honoris amplioris gradum is prius[4] adscensus esto. 7.

Censores populi aevitates suboles familias pecuniasque censento: urbis templa vias aquas aerarium vectigalia tuento: populique partes in tribus describunto[5]: exin pecunias aevitates ordines partiunto, equitum peditumque prolem describunto, caelibes esse prohibento, mo-

[1] [ve]. [2] pluria. [3] stlites. [4] primus. [5] distribuunto.

res populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto: bini sunto: magistratum quinquennium habento: reliqui magistratus annui sunto: eaque potestas semper esto.

8. Iuris disceptator, qui privata iudicet iudicarive iubeat, praetor esto: is iuris civilis custos esto: huic potestate pari, quotcumque senatus creverit populusve iusserit, tot sunto.

Regio imperio duo sunto, iique praeeundo iudicando consulendo praetores iudices consules appellanto [1]: militiae summum ius habento, nemini parento: his [2] salus populo [3] suprema lex esto.

Eumdem magistratum, ni interfuerint
9. decem anni, ne quis capito: aevitatem annali lege servanto.

Ast quando duellum gravius discordiaeve civium escunt, oenus ne amplius sex menses, si senatus creverit, idem iuris quod duo consules tenunto [4]: isque ave sinistra dictus populi magister esto: equitatem cumque [5] qui regat habeto, pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.

Ast quando consules magistratusve [6]

---

[1] appellantor. [2] ollis. [3] populi. [4] teneto. [5] equitatumque. [6] magisterve.

populi nec reliqui magistratus ne sunto [1], auspicia patrum sunto, ollique ex se produnto qui comitiatu creare consules rite possint [2].

Imperia potestates legationes quum senatus creverit populusve iusserit ex urbe exeunto, duella iusta iuste gerunto, sociis parcunto, se et servos continento, populi sui gloriam augento, domum cum laude redeunto.

Rei suae ergo ne quis legatus esto.

Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, tribuni eius sunto: quodque ii prohibessint, quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto, neve plebem orbam tribunis relinquunto.

Omnes magistratus auspicium iudici- 10.
umque habento: exque iis senatus esto.

Eius decreta rata sunto: ast si potestas par maiorve prohibet [3] se [4], perscripta servanto.

Is ordo vitio vacato, ceteris specimen esto.

Creatio magistratuum iudicia populi iussa vetita quum suffragio eo sciscentur [5], optimatibus nota plebi libera sunto.

Ast si quid erit quod extra magistratus IV.

[1] nec escunt. [2] possit. [3] prohibessit. [4] senatus consulta. [5] suffragio consciscentur.

coherari[1] oesus sit, qui coeret populus creato, eique ius coerandi dato.

Cum populo patribusque agendi ius esto consuli praetori magistro populi equitumque, eique quem patres produnt consulum rogandorum ergo; tribunisque, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi; iidem ad plebem, quod oesus erit, ferunto.

Quae cum populo, quaeque in patribus
11. agentur, modica sunto. Senatori qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto: loco senator et modo orato, causas populi teneto.

Vis in populo abesto; par maiorve potestas plus valeto: ast quid[2] turbassitur in agendo, fraus auctoris[3] esto.

Intercessor rei malae salutaris civis esto.

Qui agent auspicia servanto, auguri publico parento: promulgata proposita in aerario cognita agunto, nec[4] plus quam de singulis rebus semel[5] consulunto, rem populum ducento[6], doceri a magistratibus privatisque patiunto.

Privilegia ne irroganto: de capite civis, nisi per maximum comitiatum, ollosque quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.

---

[1] coerari. [2] ast si quid. [3] actoris. [4] ne. [5] simul. [6] docento.

Donum ne capiunto neve danto, neve petenda neve gerenda neve gesta potestate: quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.

Censores fidem[1] legem[2] custodiunto: privati ad eos acta referunto, nec eo magis lege liberi sunto.

Lex recitata est: discedere[3], et tabellam iubebo dari. Q. Quam brevi, frater, in conspectu V.
posita est a te omnium magistratuum descriptio! 12.
Sed ea paene nostrae civitatis, etsi a te paullum allatum est novi. M. Rectissime, Quinte, animadvertis. Haec est enim quam Scipio laudat in libris[4] et quam maxime probat temperationem rei publicae, quae effici non potuisset nisi tali descriptione magistratuum. Nam sic habetote, magistratibus, iisque qui praesint[5], contineri rem publicam, et ex eorum compositione, quod cuiusque in re publica[6] genus sit, intelligi. Quae res quum sapientissime moderatissimeque constituta esset a maioribus nostris, nihil habui sane non multum[7], quod putarem novandum in legibus. Att. Reddes igitur nobis, ut in religionis 13.
lege fecisti admonitu et rogatu meo, sic de magistratibus ut disputes quibus de causis maxime placeat ista descriptio. M. Faciam, Attice, ut vis: et locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est, explicabo, et,

---

[1] fide. [2] leges. [3] discedite. [4] in illis libris. [5] praesunt. [6] cuiusque rei publicae. [7] non modo multum.

ut institui, nostra iura attingam. Att. Istud maxime exspecto disserendi genus. M. Atqui pleraque sunt dicta in illis libris; quod faciendum fuit quum de optima re publica quaereretur.

14. Sed huius loci de magistratibus sunt propria quaedam, a Theophrasto primum, deinde a Dione[1]
VI. Stoico quaesita subtilius. Att. Ain tandem? Etiam a Stoicis ista tractata sunt? M. Non sane nisi ab eo quem modo nominavi, et postea a magno homine et in primis erudito, Panaetio: nam veteres verbo tenus, acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem de re publica disserebant. Ab hac familia magis ista manarunt, Platone principe: post Aristoteles illustravit omnem hunc civilem in disputando locum Heraclidesque Ponticus, profectus ab eodem Platone: Theophrastus vero, institutus ab Aristotele, habitavit, ut scitis, in eo genere rerum: ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in re publica viros, et doctissimos homines non nimis in re publica versatos multos commemorare possumus: qui vero utraque re excelleret, ut et

---

[1] Diogene.

doctrinae studiis, et regenda civitate princeps
esset, quis facile praeter hunc inveniri potest?
Att. Puto posse, et quidem aliquem de tribus VII. 15.
nobis. Sed perge ut coeperas.
M. Quaesitum igitur ab illis est [1] placeretne
unum in civitate esse magistratum, cui reliqui
parerent; quod, exactis regibus, intelligo placuisse
nostris maioribus: sed, quoniam regale civitatis
genus, probatum quondam, postea non tam
regni quam regis vitiis repudiatum est, nomen
tantum videbitur regis repudiatum, res manebit,
si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit.
Quare nec ephori Lacedaemone sine causa a 16.
Theopompo oppositi regibus, nec apud nos con-
sulibus tribuni. Nam illud quidem ipsum, quod
in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui
magistratus omnes pareant excepto tribuno, qui
post exstitit, ne id quod fuerat esset. Hoc enim
primum minuit consulare ius, quod exstitit ipse
qui eo non teneretur; deinde, quod attulit auxi-
lium reliquis, non modo magistratibus, sed etiam
privatis consuli non parentibus. Q. Magnum 7.
dicis malum. Nam, ista potestate nata, gravitas
optimatium cecidit, convaluitque ius multitudi-
nis. M. Non est, Quinte, ita [2]. Non ius enim [3]
illud solum superbius populo, sed violentius videri
necesse erat: quo posteaquam modica et sapiens
temperatio accessit conversa lex in omnes est.

[1] est igitur ab illis. [2] ita, Quinte. [3] enim ius.

* * * *

VIII. *Domum cum laude redeunto.* Nihil enim prae-
18. ter laudem bonis atque innocentibus, neque ex
hostibus neque a sociis reportandum.

Iam illud apertum est profecto, nihil esse tur-
pius quam est quemquam [1] legari nisi rei publi-
cae causa. Omitto quemadmodum isti se gerant
atque gesserint, qui legatione hereditates aut syn-
graphas suas persequuntur: in hominibus est hoc
fortasse vitium: sed quaero quid reapse sit turpius,
quam sine procuratore [2] senator legatus, sine man-
datis, sine ullo rei publicae munere? Quod qui-
dem genus legationis ego consul, quamquam ad
commodum senatus pertinere videbatur [3], tamen
approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levis
tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem.
Minui tamen tempus, et quod erat infinitum,
annuum feci. Ita turpitudo manet, diuturnitate
sublata. Sed iam, si placet, de provinciis dece-
datur, in urbemque redeatur. Att. Nobis vero
placet: sed iis, qui in provinciis sunt, minime
19. placet. M. At vero, Tite, si parebunt his legi-
bus, nihil erit iis urbe, nihil domo sua dulcius,
nec laboriosius molestiusque provincia.

Sed sequitur lex, quae sancit eam tribunorum
plebis potestatem, quae est in re publica nostra;
de qua disseri nihil necesse est. Q. At meher-

---

[1] quam quempiam. [2] procuratione. [3] videatur.

cule ego, frater, quaero de ista potestate quid
sentias. Nam mihi quidem pestifera videtur,
quippe quae in seditione et ad seditionem nata
sit. Cuius primum ortum si recordari volumus,
inter arma civium, et occupatis et obsessis urbis
locis procreatum videmus. Deinde, quum esset
cito legatus [1] tamquam ex XII tabulis insignis ad
deformitatem puer, brevi tempore, nescio quo
pacto recreatus multoque tetrior et foedior na-
tus est. Quae enim ille non edidit? qui primum, IX.
ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem
eripuit, omnia, infima summis, paria fecit, tur-
bavit, miscuit: quum afflixisset principum gravi-
tatem, numquam tamen conquievit. Atque ut 20.
C. Flaminium atque ea quae iam prisca videntur
propter vetustatem relinquam, quid iuris bo-
nis [2] Ti. Gracchi tribunatus reliquit? etsi quin-
quennio ante D. Brutum et P. Scipionem consu-
les, quos et quantos viros! homo omnium infi-
mus et sordidissimus tribunus plebis C. Curiatius
in vincula coniecit; quod ante factum non erat.
C. vero Gracchus ruinis et inscitiis [3], quas ipse se
proiecisse in forum dixit quibus digladiarentur
inter se cives, nonne omnem rei publicae statum
permutavit? Quid iam de Saturnini supplicio [4]
reliquis dicam? quos ne depellere quidem a se
sine ferro potuit res publica. Cur autem aut 21.

---

1 letatus. 2 bonis viris. 3 runis et sicis iis. 4 Saturnino, Sulpicio.

vetera, aut aliena proferam potius quam et nostra et recentia? Quis umquam tam audax, tam nobis inimicus [1] fuisset, ut cogitaret umquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? Quem quum homines scelerati ac perditi non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris rei publicae perturbandas putaverunt. Quod nobis quidem egregium et ad immortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi
22. cui ne esse quidem licuisset tribuno: sed ille quas strages edidit? eas videlicet quas sine ratione ac sine ulla spe bona futura reddere [2] potuit impurae beluae multorum inflammatus furoribus. Quamobrem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis plebis sua lege iniuriae faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit: Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus, de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere libet, nec laudare possum.

X. M. Vitia quidem tribunatus praeclare, Quinte,
23. perspicis. Sed est iniqua in omni re accusanda, praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consulatus vituperest [3], si consulum, quos

---

[1] inimicus nobis. [2] furor edere. [3] vituperabilis est.

enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali: sed bonum quod est quaesitum in ea sine isto malo non haberemus. Nimia potestas est tribunorum plebis. Quis negat? Sed vis populi multo saevior[1] multoque vehementior[2]: quae ducem quum[3] habet interdum lenior est, quam si nullum haberet. Dux enim suo se periculo progredi cogitat: populi impetus periculi rationem sui non habet. At aliquando incenditur. Et 24.
quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? Quin ipsum Ti. Gracchum non solum nectus[4], sed etiam sublatus intercessor fuerat[5]. Quid enim illum aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegae abrogavit? Sed tu sapientiam maiori nihilo[6] vide. Concessa plebi a patribus ista potestate arma ceciderunt, restincta seditio est, inventum est temperamentum quo tenuiores cum principibus aequari se putarint[7]; in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos quamvis enumeres multos, licet: quum deni creantur[8] nullos[9] in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leves etiam non bonos fortasse plures. Invidia quidem summus ordo caret: plebes de suo iure periculosas contentiones nul-

---

[1] vehementior. [2] saevior. [3] quod. [4] neglectus. [5] servaverat. [6] maiorum in illo. [7] putarent. [8] creentur. [9] nonnullos.

25. las facit. Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re non verbo danda libertas: quae tamen sic data est ut multis praeclarissimis addiceretur [1] ut auctoritati principum cederet.
XI. Nostra autem causa, quae, optime et dulcissime frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. Non enim plebes incitata nostris rebus invidit: sed vincula soluta sunt, et servitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo rei publicae tempore; cui si non cessissem, non diuturnum beneficii mei patria fructum tulisset. Atque hoc rei exitus indicavit. Quis enim, non modo liber, sed etiam [2] servus libertate dignus fuit, cui
26. nostra salus cara non esset? Quod si is casus fuisset rerum quas pro salute rei publicae gessimus, ut non omnibus gratus esset, et si nos multitudinis vis [3] furentis, inflammata invidia pepulisset, tribunicia qui in me [4] populum, sicut Gracchus in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset, ferremus, o Quinte frater, consolarenturque nos non tam philosophi qui Athenis fuerunt, qui hoc facere debent, quam clarissimi viri, qui illa urbe pulsi carere ingrata civitate, quam manere in improba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum

---

[1] adduceretur. [2] [etiam]. [3] *om.* vis. [4] tribuniciaque vis in me.

ei quid esset optimum videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem: quippe, quam tanto opere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit causam nec perniciosam, et ita popularem ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere.

Q.[1] Scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici admodum, aut prorsus ita est. Haud[2] equidem assentior: tu tamen ad reliqua pergas velim. M. Perseveras tu quidem, et in tua vetere sententia permanes. Att.[3] Non[4] mehercule ego[5] sane a Quinto nostro dissentio. Sed ea, quae restant, audiamus.

M. Deinceps igitur omnibus magistratibus au- XII.
spicia et iudicia dantur; iudicia, ut esset populi 27.
potestas ad quam provocaretur; auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent morae: saepe enim populi impetum iniustum auspiciis dii immortales represserunt.

Ex iis autem qui magistratum ceperunt quod senatus efficitur, populare sane neminem in summum locum nisi per populum venire, sublata cooptatione censoria. Sed praesto est huius vitii temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas.

---

[1] *om.* Q. [2] Q. Haud. [3] Q. [4] nunc. [5] mehercule. Att. Ego.

28. Sequitur enim: *eius decreta rata sunto.* Nam ita se res habet, ut si senatus dominus sit publici consilii, quodque is creverit defendant omnes, et si ordines reliqui principis ordinis consilio rem publicam gubernari velint, possit ex temperatione iuris, quum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status, praesertim si proximae legi parebitur.

Nam proximum est: *is ordo vitio careto, ceteris specimen esto.* Q. Praeclara vero, frater, ista lex [1]: sed declarat et [2] ut vitio careat ordo, ut
29. censorem quaerat [3] interpretem. Att. Ille vero etsi tuus totus est [4] ordo, gratissimamque memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare. M. Omitte ista, Attice. Non enim de hoc senatu, nec his de hominibus qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere voluerint, haec habetur oratio. Nam quum omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum ordinem quisquam vitii particeps: id autem difficile factu est, nisi educatione quadam et disciplina, de qua dicemus aliquid for-
30. tasse si quid fuerit loci aut temporis. Att. Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum: tempus vero largitur longitudo diei. Ego autem, etiam si praeterieris, repetam a te istum de

---

[1] lex est. [2] sed et late patet. [3] et cens. quaerit. [4] est totus.

educatione et de disciplina locum. M. Tu vero et istum, Attice, et si quem alium [1].

Ceteris specimen esto: quod si est, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia. Vir magnus et nobis omnibus amicus, L. Lucullus, ferebatur quasi commodissime respondisset, quum esset obiecta magnificentia villae Tusculanae, duo se habere vicinos, superiorem equitem Romanum, inferiorem libertinum; quorum quum essent magnificae villae, concedi sibi oportere quod iis [2], qui tenuioris ordinis essent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. Quis enim ferret 31.
istos, quum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? Quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi qui [3] frangere deberent cupiditatis eiusdem tenerentur? Nec enim tantum mali est XIV.
peccare principes, quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse, quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eamdem in populo secuturam [4]. Idque haud paulo est verius quam 32.

---

[1] alium praeterii. [2] his. [3] qui eas. [4] secutam.

quod Platoni nostro placet: qui musicorum cantibus ait mutatis, mutari civitatum status: ego autem nobilium vita victuque mutato, mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt quod ipsi [1] corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo quam peccato nocent. Atque haec lex dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest. Pauci enim, atque admodum pauci honore et gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis, vel corrigere possunt. Sed haec et nunc satis, et in illis libris tractata sunt diligentius. Quare ad reliqua veniamus.

XV. 33. Proximus [2] autem est de suffragiis: quae iubeo *nota esse optimatibus, populo libera.* Att. Ita mehercule attendi, nec satis intellexi quid sibi lex, aut quid verba ista vellent. M. Dicam, Tite, et versabor in re difficili, ac multum et saepe quaesita; suffragia in [3] magistratu mandando, an de reo [4] iudicando qui in lege [5] aut rogatione [6], clam an palam ferre melius esset. Q. [7] An etiam id dubium est? Vereor [8] ne a te rursus dissentiam. M. Non facies, Quinte. Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius: sed obtineri an

---

[1] ipsi quod. [2] proximum. [3] *om.* in. [4] aut reo. [5] [aut] lege. [6] rogatione sciscenda. [7] Att. [8] Q. Vereor.

possunt[1] videndum est. Q. Quia[2], frater, bona 34.
tua venia dixerim, ista sententia maxime et fallit
imperitos, et obest saepissime rei publicae, quum
aliquid verum et rectum esse dicitur, sed obti-
neri, id est obsisti posse populo negatur. Primum
enim obsistitur quum agitur severe. Deinde
vi opprimi in bona causa est melius, quam malae
cedere. Qui[3] autem non sentitur[4] omnem au-
ctoritatem optimatium tabellariam legem abstu-
lisse? quam populus liber numquam desideravit,
idem oppressus dominatu ac potentia principum
flagitavit. Itaque graviora iudicia de potentissi-
mis hominibus exstant vocis quam tabellae.
Quamobrem suffragandi nimia libido in non bo-
nis causis eripienda fuit potentibus, non latebra
danda populo, in qua, bonis ignorantibus quid
quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret
suffragium. Itaque isti rationi neque lator quis-
quam est inventus, nec auctor umquam bonus.
Sunt enim quatuor leges tabellariae, quarum XVI.
prima de magistratibus mandandis. Ea est Ga- 35.
binia, lata ab homine ignoto et sordido. Secuta
biennio post Cassia est, de populi iudiciis[5], a
nobili homine lata, L. Cassio, sed, pace familiae
dixerim, dissidente a bonis, atque omnes rumus-
culos populari ratione aucupante. Carbonis est
tertia, de iubendis legibus ac vetandis, seditiosi
atque improbi civis, cui ne reditus quidem ad

---

[1] possit. [2] om. Quia. [3] quis. [4] sentit. [5] iudicio.

36. bonos salutem a bonis potuit afferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis: dedit huic quoque iudicio C. Coelius tabellam, doluitque quoad vixit se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse rei publicae. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio quoad vixit restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim fletus [1] in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius eius [2] in Aegeo excitavit mari. Ac nostro quidem, qui [3] quum res esset ad se delata, M. [4] Scaurus consul, Utinamque [5], inquit, M. Cicero, isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum versari,
37. quam in municipali maluisses! Quamobrem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi Romani, sed aut repetimus ereptas, aut novas scribimus, non quid hoc populo obtineri possit, sed quid optimum sit tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu si tabellariam tuleris, ipse praestabis: nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e vultu eius intelligo.
XVII. Att. Mihi vero nihil umquam populare placuit: eamque optimam rem publicam esse dico [6], quam hic consul constituerat, quae sit in potestatem optimorum.

---

1 fluctus. 2 eius Marius. 3 *om.* qui. 4 *om.* M. 5 *om.* que. 6 duco.

M. Vos demum, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam [1] largior populo, ut auctoritate et valeant, et utantur bonis [2]. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: *optimatibus nota, plebi libera sunto.* Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tolleret quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet; pontes etiam lex Maria fecit angustos: quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo: sin valuerint tamen [3] leges ut ne sim ambitus, habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis, dummodo haec optimo cuique et gravissimo civi ostendatur ultroque offeratur; ut ine [4] sit ipso [5] libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet quam solebat vox; quia populo licere satis est. Hoc retento, reliqua voluntas auctoritati aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis quid optimi viri sentiant? Quamobrem lege nostra libertatis species datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis causa tollitur.

38.

39.

[1] istam libertatem ita. [2] boni. [3] tantum. [4] ut in eo. [5] ipsa.

XVIII. 40. Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi aut cum senatu: gravis, et ut arbitror praeclara lex.

Quae cum populo, quaeque in patribus aguntur[1] *modica sunto*, id est modesta atque sedata. Actor enim moderatur et fingit non modo mentem ac voluntates, sed pene vultus eorum apud quos agit. Quod in senatu non difficile est[2] enim ipse[3] senator is, cuius non ad auctorem[4] referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit.

Huic iussa tria sunt: ut *adsit*; nam gravitatem res habet, quum frequens ordo est: ut *loco* dicat, id est rogatus: ut *modo*, ne sit infinitus: nam brevitas non modo senatoris, sed etiam oratoris, magna laus est in sententia; nec est umquam longa oratione utendum, nisi ut[5] peccante senatu, quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adiuvante, tolli diem utile est, aut quum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum, vel ad docendum. Quorum generum in utroque magnus noster Cato
41. est. Quodque addit, *causas populi teneto*; est senatori necessarium nosse rem publicam, idque late patet: quid habeat militum, quid valeat aerario, quos socios res publica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, foedere, tenere consuetudinem de-

---

[1] agentur. [2] difficile est; est. [3] *om.* ipse. [4] actorem. [5] aut.

cernendi, nosse exempla maiorum. Videtis iam genus hoc omne scientiae, diligentiae, memoriae esse, sine quo paratus esse senator nullo pacto potest.

Deinceps sunt cum populo actiones. In qui- 42.
bus primum et maximum, *vis abesto*. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium iuri ac legibus, nihil minus civile est [1] et humanum quam, composita et constituta re publica, quidquam agi per vim. Parere iubet intercessori: quo nihil praestantius. Impediri enim bonam rem melius, quam concedi malae. Quod XIX.
vero actoris iubeo esse fraudem, id totum dici [2] ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia, quem est senatus secutus [3], quum decrevisset, C. Claudio consule de C. Carbonis seditione referente, invito eo qui cum populo ageret seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium simulatque intercessum turbarique coeptum sit dimittere: quod, qui permovet quum agi nihil potest, vim quaerit, cuius impunitatem amittit hac lege.

Sequitur illud: *intercessor rei malae salutaris civis esto*. Quis non studiose rei publicae sub- 43.
venerit, hac tam praeclara legis voce laudatus?

Sunt deinde posita deinceps quae habemus etiam in publicis institutis atque legibus: *auspicia servanto, auguri parento*. Est autem boni auguris meminisse [4] maximis rei publicae tempo-

---

[1] minus et civile. [2] dixi. [3] consecutus. [4] meminisse se.

ribus praesto esse debere, Iovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos quos in auspicio esse iusserit, coelique partes sibi definitas esse traditas, e quibus saepe opem rei publicae ferre possit.

Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibusve audiendis.

44. Tum leges praeclarissimae de duodecim tabulis translatae duae. Quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat: et nondum intis [1] seditiosis tribunis plebis negotiis [2] quidem, admirandum tantum maiores in posterum providisse. In privatos [3] homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium, quo quid est iniustius? quum legis haec vis sit scitum est iussum [4] in omnes. Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt. Descriptus enim populus censu, ordinibus, aetatibus plus adhibet ad suffragium consilii, quam
45. fuse in tribus convocatus. Quo verius in causa nostra vir magni ingenii [5] summaque prudentia L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis: praeter enim quam quod amicia [6] illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. Sed

---

[1] natis. [2] ne cogitatis. [3] privos. [4] sit, ut sit scitum et iussum. [5] magno ingenio. [6] comitia.

visum est et vobis [1] et clarissimis viris melius, de quo servi atque patrones [2] scivisse [3] aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam, quid sentiret, ostendere.

Sequitur [4] de captis pecuniis et de ambitu leges. Quae quum magis iudiciis quam verbis XX. 46.
sancienda sint, adiungitur, *noxiae poena par esto:* ut in suo vitio quisque plectatur, vis capite, avaritia multa, honoris cupiditas ignominia sanciatur.

Extremae leges sunt nobis non usitatae rei publicae necessariae. Legum custodiam nullam habemus. Itaque hae leges sunt, quas apparitores nostri volunt. A librariis petimus: publicis literis consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius: apud quos nomophylaces creantur: nec solum [5] literas, (nam id quidem etiam apud maiores nostros erat) sed etiam facta hominum observabant ad legesque
revocabant. Haec detur cura censoribus; quando- 47.
quidem eos in re publica semper volumus esse. Apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant quid in magistratu gesserint, deque iis censores praeiudicent. Hoc in Graecia fit publice constitutis accusatoribus: qui quidem graves esse non possunt nisi sunt [6] voluntarii. Quocirca melius est rationes referri causamque ex-

---

[1] nobis. [2] et latrones. [3] scivisse se. [4] sequuntur. [5] nec hi solum. [6] sint.

poni censoribus: integram tamen legem accusatori iudicioque servari.

Sed satis iam disputatum est de magistratibus: nisi forte quid desideratis. Att. Quid si nos tacemus, locus ipse te[1] non admonet quid tibi sit deinde dicendum? M. Mihine? De iudiciis arbitror, Pomponi: id est enim iunctum magi-
48. stratibus. Att. Quid? de iure populi Romani, quemadmodum instituisti, dicendum nihil putas? M. Quid tandem hoc loco est quod requiras? Att. Egone? quod ignorari ab iis, qui in re puplica versantur, turpissimum puto. Nam, ut modo a te dictum est, leges a librariis lego, sic animadverto quosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Quamobrem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, quum[2] de religione leges proposueras, faciendum tibi est ut, magistratibus lege
49. constitutis, de potestate tum iure[3] disputes. M. Faciam breviter, si consequi potuero. Nam pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite, meo quidem iudicio, et diligenter. Nos[4] at de iure naturae cogitari[5] per nos et quae[6] dicere debemus, de iure populi Romani quae relicta sunt et tradita. Att. Sic profecto censeo, et id ipsum, quod dicis, exspecto.

---

[1] *om.* te. [2] quoniam. [3] potestatum iure. [4] *om.* nos. [5] cogitare. [6] atque.

CODICUM MANUSCRIPTORUM DESCRIPTIO.

Libri, quorum auctoritatem secutus sum, hi sunt:

E BIBLIOTHECA LUGDUNO-BATAVA.

A. Cod. Vossianus, (MSS. Vossian. Lat. fol. 84. Catal. p. 374.) quo continentur *De Natura Deorum*, *De Divinatione*, *De Universitate*, *De Fato*, *Topica*, *Paradoxa*, *Lucullus*, *De Legibus:* membranaceus, forma maxima, scriptura satis minuta sed eleganti, hic illic paullum evanida. Aetatem huic libro periti iudices assignant seculum XI^{um}. Scriptus est accurate, antiqua item manu subinde correctus, nulla varietate lectionis in margine instructus; tum neglecta sunt personarum loquentium indicia. Totus liber constat numeratis quaternionibus XV, quorum singuli habent octo folia, praeter septimum et decimum quartum, qui senorum sunt foliorum: extremo quaternioni ad integrita-

tem deest tertium folium, continens locum II, 21, 52, a verbis *et Coruncanio*, usque ad 25, 64, verbis *mos a Cecrope:* quod folium nescio quo casu ex hoc volumine exturbatum adhaesit alii, longe diversissimo, cuiusque maximam partem occupant Gregorii M. Epistolae (MSS. Voss. Latin. Quart. n°. 17. Catal. p. 378.) ut hoc demum reperto prius volumen compleatur.

B. Cod. Vossianus (MSS. Voss. Lat. fol. n°. 86. Catal. ibid.) quo continentur *De Natura Deorum*, *De Divinatione*, *Topica*, *Paradoxa*, *Lucullus*, *De Legibus*, *Timaeus:* membranaceus, forma maxima, scriptura aliquanto grandiori quam superior liber, sed item prae vetustate nonnumquam evanida: neque plus uno seculo recentior illo est. Scriptus est minus accurate, saepe male iunctis aut disiunctis vocabulis et elementis; tum antiqua manu correctus: neglecta item sunt personarum loquentium indicia. Constat quaternionibus XXIV, quorum singuli octo folia habent. Ceterum descriptus esse videtur e libro, cuius quaterniones misere disiecti essent: locis quippe plurimis, continuata scriptura, alienissima interponuntur, omniumque ordo et series turbantur, quae tamen ne legenti fraudem faciant vetus manus in margine subinde solet indicare. Ita, ut exemplo utar, fol. 166. verso his verbis Lib. II. De Legibus cap. 2, 4, — *ubi disputare sit solitus: studioseque eorum etiam*, subiicitur *M. Tullii Ciceronis De Divinatione liber II explicit*, *incipit Timeus*, sequiturque hic libellus, ne ipse quidem sine turbato locorum ordine, usque ad eum finem qui edi

solet, verbis *neque dabitur:* quibuscum statim nectuntur fol. 174. haec, *Quia pertinet ad mores* cet. i. e. truncatum initium libelli De Fato, usque ad verba cap. 2. fin. *proinde ordire considamus hic.* Rursus subiiciuntur haec, *non est igitur tam explorata ista ratio* cet. e I Natur. Deor. cap. 23, 64, continuanturque usque ad verba, *vellem diceretis; deorum cognationem*, ibid. cap. 32, 91, nectunturque haec e II De Legibus cap. 5, 13, *aliquas consessu suo* cet. Haec exempli causa sufficiant, simul ut ostendatur *Timaeum* quoque (quod in edito Catalogo non notatur) hoc volumine contineri. Restant alia animadvertenda. Nam fol. 103 ipsis postremis verbis truncatae sententiae libelli De Fato, *vel si volunt omnibus naturaliter*, subiiciuntur *non potui igitur tibi saepius hoc roganti* cet. de exordio Topicorum cap. 1, 4: verum eo loco illigata est membrana folii dimidiati, omissam istius exordii partem cum inscriptione, *Incipiunt Topica*, continens, scriptura non tantum diversa a reliquis, sed simili potius eius, quam in A notavimus: quumque in A fol. 76. pariter cum extremis De Fato verbis iungantur illa Topicorum, *non potui* cet., suspicari licet dimidiatum illud folium destinatum fuisse complendo illi libro, ab eodem librario profectum, nec nisi casu translatum esse in alterum volumen, a cuius scriptura manifesto longe distet. Accedit, quod in B omnia recte continuantur deinceps usque ad verba cap. 5, 28, *iurisperitorum auctoritate*, *edictis magis*, quod postremum vocabulum diversa scriptura expletur

tratuum more aequitate consistat: sed sua manu Codicis librarius subiicit *Ergo argumentatio quae dicitur* cet. cap. 19, 73: tria autem folia inserta sunt, quibus continentur omnia illa quae omissa erant, quaeque nunc etiam absunt ab A in quo eadem lacuna est. Praeter haec, horum librorum collatio facile demonstrat utrumque e communi fonte fluxisse. Hic liber in fine truncatus est, extrema quippe verba sunt e III Legg. 18, 40 *peccante senatu quod fit ambitione.* Non negligendum est, ad illa extrema De Fato verba in margine notari »hic deest finis huius libri quem »invenies quaternione XXI folio secundo." Sed neque istic, nec usquam ista inveniuntur, neque, credo, in ullo Codice hucusque deprehensa sunt.

C. Codex Bibliothecae Publicae (Catal. p. 330. n°. 118.) continens *De Deorum Natura*, *De Divinatione* et *De Legibus:* membranaceus, forma quarta (aut fol. min.) scriptura Longobardica accurata et constanti, hic illic evanida, seculi, ut videtur, XII^{mi} aut XIII^{tii}: ceterum corrigitur oratio subinde vel suprascriptione, vel in margine: negliguntur personarum indicia: neque sunt omnia integra, quippe tum satis magna in II De Deorum Natura lacuna relinquitur, tum utriusque libri De Divinatione extrema pars omittitur; ac. praeter minores in libris De Legibus lacunas, extrema in Cod. sunt haec, *moderatissimeque constituta esset a maioribus nostris nihil*, III, 5, 12. Constat foliis 102, non numeratis quaternionibus. Fuit Nicolai Heinsii. Hunc librum e diverso fonte fluxisse quam superiores illos, dubium esse non potest.

Hos tres Codices contulerat Oudendorpius, quo nemo facile diligentius libros MSS. Latinos Bibliothecae Leidensis usurpavit, postquam Leidam venerat, eiusque industriae plurima documenta reliquit in commentariis ad Suetonium, et in curis posterioribus ad Frontinum. Adscripserat collationem in margine exempli Davisiani, quod in Bibliotheca servatur, eaque quater utitur ad Suetonium, August. 65. ibid. 73. Tiber. 11. et Vespas. 19: e quibus animadversionibus postremam, ad Legg. III, 19, 45, neglexit Goerenzius, in tertia commemoranda lapsus est, quum scribit, ad I, 4, 14, Oudend. ad Sueton. Neron. 12: quam referendi negligentiam imprudentes secuti sunt Madvigius in Emendatt. p. 6. et Orellius ad illum locum: nam Moserus, quamquam magno labore quidquid esset variantium lectionum corradens, Oudendorpianis nusquam usus est.

D. Codex Vossianus (Catal. p. 384. n°. 100.) continens libros *De Legibus*, foliis 48, forma quarta: membranaceus, nitidissime sed recenti manu scriptus, additisque personarum indiciis. In fronte inscribitur: *Ex bibliotheca I. Huralti boistallerii em a Camillo Cruccio.* Profectus hic liber esse videtur ab exemplo male sedulo correcto, et eius generis, unde multae editiones fluxerunt.

E. Codex Perizonianus (Catal. XVIII. n°. 25.) continet *De Officiis* initio truncatum, *De Finibus*, *Academicorum Poster. lib. I.* (falsa inscriptione *De finibus Bonorum et Malorum quaedam Tullii oratio*), *Tusculanas*, *De Natura Deorum*, *De Divinatione*, *De Fato*, *De Legibus*, quibus sub-

iicitur *De quondam Karolo rege Francorum quaedam prophetia:* tum *De Senectute, De Amicitia, Paradoxa:* membranaceus est, forma maxima, manu satis recenti scriptus, nec ab homine intelligenti, sed ita ut de melioribus libris, quales sunt A et B, fluxisse appareat; neque personarum indicia addita sunt.

Hos quinque Codices ipse quanta fieri potest summa fide contuli, ita tamen, ut neque manifestos in propriis nominibus errores, nec orthographiam semper, nec sententiarum distinctiones religiose enotarem.

Et hoc loco non praetereunda est suspicio Madvigii, in *Epist. Crit. ad Orellium p.* 5. *not.* et in *Disput. de emendandis Cicer. libris de Legg.* p. 5. (Pogramm. a. 1836.) Codicem Vossianum, e quo a Gudio enotatae sint variae lectiones in exemplo edit. Commelin., in Bibliotheca Universitatis Havniensis servato, nunc esse Leidensem. Quod ut definirem, contuli lectiones Havnienses a Mosero memoratas cum libris Vossianis, reperique primum conspirare cum antiquissimo (A), ut vix dubium sit quin ex illo praestantissimo codice sint enotatae: tum nescio qua de causa, substitisse Gudium in Lib. II, 8, 20 (nam ipse Codex ad finem usque libri tertii cuncta complectitur): postremo diligentiam desiderari vel in Gudio qui enotavit, vel in Muentero qui descripsit, vel in Mosero qui descriptas memoravit. Uno alteroque exemplo defungar. Monet Madvigius in *Disput. l. cit.* extremam a Gudio notatam scripturam esse in II, 8, 20 *providendo* pro *providento.* At ea a

Mosero non commemoratur, ipsius an Muenteri culpa, non definio; et postrema quam in elaboratis illis annotationibus excitari video, est ibid. *futuraeque*, pro *feturaeque*, sicut diserte exstat in Codice: alterum illud, *providendo*, neque hic liber Vossianus, neque ullus Codex habet, qui quidem ad meam notitiam pervenerit, fierique potest ut in minuta scriptura istius libri specie quadam deceptus fuerit Gudius. Tum in reliquorum mirifico consensu, discrepat lectio Havniensis I, 1, 4, *quaerunt* exhibens: nam Vossiani duo praestantissimi solemni compendio, *quaerunt*} solus tertius (D), sed qui ceterum minime cum Havn. conspirat, *quaerunt*; in quo incredibile est virum doctum et exercitatum errare potuisse. Rursus I, 2, 7. fin. Moserus ex eodem libro memorat *quenquam*, pro *quemquam*: tamen et in illo Vossiano libro, et in omnibus reliquis, de more, scribitur *quēquā*. Postremo multum abest ut omnes discrepantiae in libro Havn. e Vossiano Codice memoratae sint, si tamen descriptas omnes diligenter reddidit Moserus. Sic igitur fortasse statuendum est, Gudium contulisse praestantissimum Codicem Vossianum (A), verum neque omnia enotasse, et subinde humani quid passum esse. Integrum viris doctis relinquitur huius rei iudicium, quod ipse accuratissime librum illum excussi, cuius lectiones possunt cum Havniensibus conferri. Neque hoc obiicietur, opinor, collationem Havniensem non ultra cap. 8. Lib. II. pergere: multis quippe exemplis novimus taedio laboris in medio opere substitisse viros doctos. Neque tamen omittendum est, per tem-

porum rationes fieri non potuisse ut librum illum in Bibliotheca Lugduno-Batava usurparet: tum eam simultatem I. Vossium inter et Gudium exstitisse eamque invidiam, ut vix dicas credibile esse talis libri alteri ab altero copiam factam esse.

E BIBLIOTHECA AMBROSIANA.

Servat haec Bibliotheca ingentem numerum Codicum in quibus Tulliana continentur, quorum catalogum diligentissime confecit ediditque A. Maius, in volumine cui titulum fecit *M. Tullii Ciceronis Sex Orationum partes ante nostram aetatem ineditae* cet. *Mediolan.* 1817. p. 227. seqq. In iis Codicibus quinque sunt, in quibus libri De Legibus exstant descripti, sed omnes recentis aetatis. Horum unum (F. 137. P. sup.) ipse in Ambrosiana accurate contuli ad editionem Schutzii; duorum aliorum collationes postea nactus sum opera et auctoritate Mancinii, viri humanissimi, unius de Bibliothecae praefectis, cui acceptum refero quidquid Maii descriptioni nunc accedit.

α. F. 137. P. sup. membranaceus, forma maxima, seculi XV. Continentur *De Universo*, *De Legibus*, *De Finibus*, *De Divinatione*, *De Natura Deorum*, *De Fato*. Non est unius manus scriptura, sed utraque nitida et elegans: habetque notulas in ora adscriptas. Constat foliis CLXXXXIX. Fuit Francisci Cicerei, Mediolani Eloquentiae Professoris, (de quo vid. Argelati Bibl. Script. Mediol. T. I. p. alt. col. 429) a cuius heredibus emtus a. 1604.

β. D. 94. P. sup. membranaceus, forma maxima, sec. XV, eleganter scriptus: continet *De Finibus*, *De Legibus*, *De Nat. Deor.*, *De Divin.*, *De Fato*, *Acad.*

Quaest. lib. quartum, *De Universo*, *Somn. Scip.*, *Acad. Quaest. lib. primum*, adspersus nonnullis notulis. Constat foliis CLXXX: fuit Io. Mariae Catanei, cuius sunt notae manu propria exaratae: dein Bibliothecae Ambros. fundatoris iussu emtus a. 1606.

γ. S. 64. P. sup. membranaceus, forma maxima, sec. XIV: continet *De Legibus*, *De Fin.*, *De Divin.*, *De Univ.*, *De Fato*, *Tusculan.*, *Paradoxa.* Horum libri De Legibus et Paradoxorum scripti sunt a Desiderato Lucio, reliqui diversa manu exarati. Constat foliis CCLXXXVIII, scholiisque nonnullis adspergitur. Fuit Rovidii, senatoris Mediolanensis, e cuius hereditate emtus est a 1606.

E MUSEO BRITANNICO.

δ. Codex Burneianus n°. 148: continens *De Natura Deorum* et *De Legibus*: membranaceus forma quarta: non eleganter nec accurate scriptus, neque aetate ultra sec. XIV, aut XIII finem, ut puto, adscendens: caret quoque personarum indiciis. Hunc librum ipse exploravi, ita tamen ut potiores tantum lectionis varietates excerperem.

E BIBLIOTHECA REGIA PARISIENSI.

ε. Codex MS. n°. 2906. Huius libri diligentissimam collationem debeo Bootio meo, viro doctissimo, qui quum anno 1836 Parisiis degeret hoc officio humanissime functus est, sed constitit eius opera intra duo priores libros. De ipso libro nihil mihi significavit, nisi videri cum sec. XV^{to} scriptum esse; quod ita confirmari puto, quod adsunt persona-

rum indicia, secus quam in vetustioribus Codicibus fieri solet. Huius Codicis, ut duorum aliorum Parisiensium, non nisi partis Libri Primi collationem habuit Moserus, qui in commemoranda finem facit ad I, 6, 18.

E BIBLIOTHECA COLLEGII ROMANI.

De ingenti opera qua Hier. Lagomarsinus ad plurimos libros Ciceronis quae supersunt contulit, accuratissime refert Am. Peyronus in *Ciceronis Orationum fragmentis ineditis p.* 237. *seqq.* Conf. *Blumii Iter Italicum III. p.* 150. *not.* Quae quum cognovissem, coepi operam dare ut mihi quoque thesaurum illum inspicere liceret, indeque depromere quod ad libros De Legibus recensendos conferret. Itaque conciliante Lennepio V. Cl., cuius optimi viri officium numquam frustra requisivi, si quid esset quo studia mea ornare se posse speraret, Roothaanius Vir admodum Reverendus, Praepositus Generalis Societatis Iesu, humanissime curavit eam Collationis Lagomarsinianae partem, quae libros de Legibus continebat, describi et ad me perferri. Quae accepi, haec erant. Primum libelli quatuor, in quorum singulis vel unius Codicis, vel duorum aut trium notata est collatio. Et horum unus continet collationem integram duorum librorum, quos numeralibus 10 et 11 designaverat Lagomarsinus, adiecta tamen hic illic mentione num. 48 et 58, rarissime num. 3 et 49. Alter habet praecipue eos, quos num. 48 et 49 designat, rursus adiecta subinde num. 3 et 58 mentione. Tertius integram videtur continere collationem num. 3 et 58, nullius praeterea libri adiecta

mentione. In quarto rursus isti omnes colliguntur, nempe num. 3, 10, 11, 48, 49, 58. Omnes hi libelli ita compositi sunt, ut, singulis paginis in duas laterculas distributis, in harum altera verba tantum ea ex editione, ad quam facta erat collatio, exponantur de quorum varietate esset monendum, in altera ipsa varietas, addito numero libri, notetur: praeterea in primo libello margo subinde hanc continet notam, *ad Comment. pert.*, ex qua intelligo Lagomarsinum consilium habuisse de praecipuis locis commentandi. Praeter ista sunt duo maiora volumina, plenissimam omnium, quos inspexerat, librorum collationem continentia, non tamen eodem modo confecta. Nam alterum continuatis versibus integram continet Ciceronis orationem, interpositis identidem librorum varietatibus, alterum in prima latercula singula editionis verba habet, velut totidem versuum initia, numeratis adeo cuiusque paragraphi verbis, tum singulis apponitur si quid discrepent libri. Sic confirmantur ea, quae de opera Lagomarsiniana a Niebuhrio accepta retulit Peyronus, seduloque excussis illis copiis ipse quoque testari possum incredibili diligentia Lagomarsinum molestissimo conferendi negotio functum esse, non tantum nihil ut omisisse videatur, ne ea quidem quae futilia videantur, sed ut adderet etiam si quid deletum, aut correctum, aut alia manu suprascriptum esset, et similia.

Factam esse collationem ad editionem Gronovianam a. 1692, ipse Lagomarsinus profitetur. Sed operae pretium est inquirere qui libri numeralibus illis, quibus utitur, designentur.

3. Lagomarsinus hanc notam apposuit in principio

quarti libelli; *Codex editus Romae anno* 1471, *quem n°.* 3 *designabimus.*

10. *Scti Marci.* Abest titulus: cum hac subscriptione, *Deo laus* ::::::: 1423 *Veneris VIII Iunii. ora. X*>.

11. *Scti Marci. Incipit de Legibus liber primus:* subscriptio, *M. Tullii Ciceronis de Legibus liber tertius explicit feliciter.*

39. Huius indicium non reperi, nec nisi inscriptionem memorari hanc, *M. Tullii Ciceronis de Legibus liber primus. Collocutores sunt Atticus Quintus et M. Tullius.* Sed ex ipsa collatione manifesto apparet Codicem esse Ms., creberrime memoratis expunctionibus et correctionibus. In Italia scriptum esse multa indicant, quale est *scritta* pro *scripta.*

47. Neque huius libri ullum indicium praesto est praeter inscriptionem, *M. Tullii Ciceronis de Legibus liber primus.* Ipsa autem collatio mihi persuasit esse librum Ms., plurima quippe expromuntur, quae nec ab aliis ex libris editis memorari vidi, neque ipse in ulla editione deprehendi; exemplo sit *amitti*, III. § 42. fin., pro *amittit.*

48. Eadem de hoc libro monere et suspicari licet: exemplo sit *nobis hominibus*, pro *nostris hominibus*, I. § 6. In fine apposuit Lagomarsinus *explicit collatio die* 25 *Martii* 1740.

49. Ipso Lagomarsino indicante est *Victorii editio Parisiis apud Robertum Stephanum a.* 1539.

50. Nihil quidem indicat Lagomarsinus, sed conferendo deprehendi hanc esse Lambinianam editionem a. 1566.

58. Inscriptionem prodit Lagomarsinus hanc: *Primus M. T. C. de Legibus liber primus incipit*, subscriptionem *Deficit finis. Deo gratias:* additurque ab ipso, *explicit collatio die trigesima Augusti* 1740, *in vestibulo Laurentianae:* unde quum iam suspicari liceat esse Codicem Ms., confirmant plane hanc suspicionem permulta quae inde apponuntur ab omnibus editis libris discrepantia, veluti statim initio (*et*) *haec Arpinatium*, tum § 2. *dedi* pro *Deli.* Omittuntur personarum indicia.

65. Inscriptio exhibetur haec: *M. T. Ciceronis de Legibus liber primus incipit feliciter.* Liber in fine truncatus, siquidem desinit in his verbis III. § 49. *M. Iunius.* Tum universa collatio demonstrat esse Codicem Ms., tum notabilis lectio I. § 14, *incogniti de tenui est in usu*, quam editus nullus habet. Omittuntur personarum indicia.

96. Est hac inscriptione; *M. T. C. de Legibus ad Quintum liber primus incipit;* subscriptione *de legibus explicit liber tertius et ultimus.* De hoc libro eadem valent quae de 58 diximus I. § 1. habet *verus* pro *vetus*, *culta* pro *cultu*, §. 2. *dedi* pro *Deli*, cet.: tum omittuntur personarum indicia.

120. Inscriptio eadem, quae 48: tum quatuor exemplis defungar, ut ostendam hunc quoque librum esse Ms. I. § 14. habet *qui interpretari*, omisso *id:* ibid. § 16. *audire quam cupio:* § 36 *cesent* pro *censent:* § 38. *confractam:* quorum nihil in editis deprehendi. Subscribitur *finis.* Habet personarum indicia.

122. Eadem iterum inscriptio: in fine, ***multa desunt.*** Et ex hoc exempla profero eorum, quae nusquam edita sunt: I. § 37. ***duxerint*** § 43. ***ubi autem bene:*** § 45. ***prudenem.*** § 11. ***caeciderat.*** II. § 3. ***huius fratris*** omisso ***mei.***

124. et

126. Tanta est horum librorum constantia in lectionibus iam aliunde cognitis, ut eorum collationem duabus vetustis Editionibus deberi suspicer: quae sint eae, affirmare non possum, quoniam non omnes usurpare mihi licuit: e multis tamen indiciis colligam esse Parisinam Turnebi, et Manutianam, aut quae ex illis fluxerunt.

127. Hunc contra librum Ms. esse ex iis indiciis colligo, qualia in superioribus monstravi. II. § 12. verba *quod eo careat* eo modo transponuntur, quo in Cod. M. apud Moserum, sed in nulla editione: ibid. § 13. ***esciscuntur:*** ibid. ***cuicuimodi fuerint***, ut a multis aliis abstineam.

Has igitur collationes sic reddo, ut minuta tamen negligam, nec, quod fecit Lagomarsinus, ***si quis*** pro ***siquis***, aut ***caussa*** pro ***causa***, aut ***caelum*** pro ***coelum*** inveniri memorem. Ceterum, quas Editiones esse ipse indicavit (3. 49.) tum Lambinianam (50), omisi.

EDITIONES VETERES.

R. Est Romana princeps a. 1471. (Lagom. 3).

V. Veneta apud Vindelinum de Spira, a. 1471. Utramque, utpote ex Codicibus descriptam, accuratissime conferendam existimavi, quod a recentissimis Editoribus neglectum est.

Quum in Museo Britannico essem, inspexi quoque peculiare volumen continens libros De Legibus, quae pars est vetustissimae editionis *s. l. et a.*, quam multi descripserunt, nuperrime Orellius in *Indice Editionum* p. 308 et p. 331. Sed quum nescio quo errore putarem eamdem editionem servari in nostra quoque Bibliotheca, (erravisse me statim domum redux sensi) non excerpsi tum totum volumen, sed hic illic quaedam tantum enotavi, satis tamen quo affimarem falli Dibdenum, in Catalogo Spenceriano, qui suspicabatur peculiare volumen illud, quo libri *de Legibus* continentur, esse partem Venetae editionis apud Vindelinum de Spira. Primum, in illo volumine personae loquentium non indicantur, idque documento est e vetustissimo Codice esse descriptum. Tum innumerabilibus locis eas habet corruptelas, quas nullus alius liber: II. 18, 45, *nemo ista nunc de sacris*, ibid. § 58 omittuntur verba *quam ad ius — inquit lex:* ibid. § 63. omittuntur *frugibus — solum autem.* Sed reliqua, quae excerpsi, suo loco in annotationibus memorabo.

COLLATIONES CODICUM MANUSCRIPTORUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

§ 1.

Lucius *α γ*.
(et) haec 58.
et (haec) 10.
Arpinatum V.
agnosatur *γ*.
(a) 65.
electus *α*.
sin manet A B C D E *α β ε* 11. R V.
sane verus 96.
est fama vetus V.
sata enim est *α* 10.
sita 58. 65. 120. 127.
sita est (enim) ingenio V.
nulline autem *γ*.
nullius (autem) 10.
culta 10. 96.
culti stips V.
stips A B 11. 58. 65.
tam diuturnata *α*.
quam (*corr.* tam) diuturna 39.
poetarum versu *α*.
versus 127. V.
quo tantummodo *γ* 39. *corr.*
quare est istud *γ*.
istud E 10. 39. R V.

§ 2.

verum verum tamen A B C D E *α γ ε* 10. 11. 39. 65. 96. 120. R. V.
latine A C E *α* 10. 48. 65.
latrant *ε*.
loquantur *α* V.
vero ut ait *γ*.
fratris mei Marii D *γ* V.
canescit E.

canescaet 10.
tenere poterunt γ.
tenere putaverunt δ V.
(aut quod — stare potuerunt) β.
Dedi se 58. 96.
se vidisse 96.
dixit A B C D E α *Lagom. omnes* R V.
monstrat D.
monstrant eadem 58.
multis in locis α.
multis aliis locis 10.
commemoratione gaudent que quidem natura 10.
poterunt γ.
grandifera D 10.
numptia silva Iunonis 10.
nunc sic est sed 10.
vetustasque 96.
vetustasne R.
in his locis D.
locis (quercus) 47. 122. 124. 126.
maiorianam quercum invocant E.
quem Marianam β.
Marinam 11. 48. 65.
(quercum) 96.
vocant A B C D α β γ ε 10. 11. 39. 48. 58. 65. 120. 127. V R.
vo
dicant δ.

§ 3.

at non dubito D.
sed haec A B 10. 11. 39. 48. 58. 65. 96. 124. 126. R.
sed haec eam α.
(non ex te) ε.
(non) A B E 65.
quercum hanc R.
serverint 10. 11. 39. 58. 65.
ut scriptis asseris 10. 39.
accipis 58.
(equidem) 10.
sed non antiquam B E.
tu ipse mihi D α ε 47. 122. R.
certen longe A B 11. 65.
certe num longe D ε.
certe non longe C α γ V.
certe (non) longe E.
Attice num longe 47. 58. 120.
tuis sedibus 96.
Romulus procul dubio 39.
dixit α β.
dedicare A E 10. 39.
eo in loco 10.
in eo loco quo iusserit δ.
(in eo loco) ε.
iussit 39. V.
iuxerit 10. 96.
(verumne sit) 120. 122. 127.
ut verum ne sit ε.
atnis non longe A B 11.
an is D α β 39. 58. 96.
atqui 65.
an vero his 10.
avis γ.
annis R.
(non) longe ita 10.
(illa) 120. V.
domo antiqua 96.
domo illa antiqua δ.
hic enim est 48.

§ 4.

et cur ita quaeris 10.
aut cur ita q. γ.
minus diligenter V.
inquiris 39.

sint prodita A B C E *Lagom. omnes praeter* 96. R. V.
sint memoriae prodita α.
atque multa α 10.
quaerunt D E 39.
a nonnullis quidem in 10. R.
(a) nonnullis V.
quod (et) in recenti D ε.
vel se^d^veritas A.
(vel) sed veritas D α 11. 39. 47. 48. 58. 65. 96. 120. 122. 124. 126. 127. R V.
sed veritas (severitas) ε.
(a te) 65.
postulantur 10.
et hercule E.
(me) cupio D 39. 58. 96. 120. R V.
(nonnulli) isti Tite non faciunt (*sic*) A.
sed tamen nulli isti Tite n̄t faciunt B.
nonnullis instituto nostri faciunt 10.
(nonnulli) 11. 48. 65. 124. 126. 127.
(isti) 120. V.
Attice noster E.
Attice nostri V.
(noster) D.
nostri faciunt γ 39. R.
non faciunt 11. 65.
in isto opusculo 47. 48. 120. 122. 124. 126.
non ut (a) poeta sed ut est ate veritatem A.
(a) poeta et ut B.
sed ut estte 11. 65. 120.
a testa R.
veritatem examinant 10. 39. V.
collocutum anima γ.
collocatum (Numam) 10.
aquilo 65.
imposito A 11.

§ 5.

te fere alias α.
servandas C. (*e corr.*) D α 58. 96. 120. R.
quippe cum illae B.
cum in illa C D 47. 48. 58. 120. 122. 127. R. V.
(Quinte) 10.
ferantur omnia in 58.
referatur 124. 126.
in hac A B C D E α β γ δ *Lagom. omnes praeter* 124. 126. V.
sin innumerabiles D.
sint α 10. 39. 58. 120. R.

CAPUT II.

optatam E.
obmittam A 11.
omictam 96.
quo tandem E.
que tandem 10.
tamdiu α.
postulatur at etiam diu δ.
et flagitatur A B (*e corr. pro* vel) 11. 65.
flagitatur (potius) α 10.
flagitatur post 39.
gracie nihil E.
nihil etiam Graeciae cedamus 39.
non modo 96.
literis qui studiis delectantur D β ε.
qui in literis A (*corr.* tuis).

(tuis) C α 10. 39. 58. 96. 120. 122. 127. R V.
delectamur 58.
sed etiam parem debere 10.
sed etiam praestare debere α 39.
sed quoque patriae δ.
per te eadem 10.
sit ordinata 39. V.
at est enim A B E 10. 11. 39. 65.
adest enim C (*corr.*) α γ V.
literis (nostris) E 39.
ut (et) 10.
audivi 10.
(ut) tibi quod videri 39.
oratorum maximum α.
orathorum maxime 10.

§ 6.

aggredere qs̄ et sume E.
(a) nostris α.
a nobis hominibus 48.
(aut) ignorata 10.
ignoratur aut relicta est C. (ta)
iocundius E.
aut (ad) Fannium 58.
Vennonium *plerique.*
Nemonium V.
(venias) 10.
alius plus alio habet R.
habeat 10.
Fannio autem 124. 126.
coniunctus pater paullo A B C D E α γ ε 10. 11. 39. 58. 96. 127. R.
patere V.
vehementiusque habuit vires 39.
vites V.
orridas 10.

atque palaestra D ε.
ammonere C.
admovere γ. (n)
reliquos admonere α.
id accuratius B.
bello Clodius R V.
libello Clodius asilo D.
bello Glodius asilio A B C E. *et plerique.*
gladii a silla 10.
asilo R V.
nihil ad odium ε. (taedium)
et inscitiam B C. *corr.* E γ 10. 11. 39. 48. 65. 120. 124. 126. 127. V.
inscientiam 58. *corr.*

§ 7.

nunquid acrum numerem E.
acrum A B C D α β ε 39. 65. 96. 124. 126. 127. V.
actium γ R.
accium 48. 120. 122.
acium 47.
aenum 11.
attinet 10.
aorum 58.
enumerem 10.
memorem 47. 48. 120. 122. 124. 126.
aliquid argutiarum habet 10.
ne id tamen V.
copia Graecorum 10.
librariosis D.
libraliolis 120.
ex liberalio linguis C (*corr. ex* librariolis).
multas ineptus (*corr.* multus et ineptus) A B C.

multus ineptias 10. 39.
ineptus ad summam impudentiam *α*.
summam impudentiam C E. 10. 11. 39. 47. 120. 122.
multas ineptias ad summam impudentiam *γ* V.
Siserna D.
noin'
Sissenna *γ*.
forte qui nondum 39. 120. 124. 126. V.
(forte) 96.
ediderint 39. V.
extimare 10.
non potuit D.
oratorum numero 39.
arator 58.
numero nostro *α γ* 10. 120. V.
nostrorum 39.
numquam 10.
(unum) 10.
diterarum (*corr.* Clitarchum) C.
dictarium E.
Dicearcus 10.
quemquam praeterea 120. 124.
vellem duntaxat *α* 39. V.
aliquantulum D 10.
ad optimo B.
tuum (est) 10.
a te hoc exspectatur *ε*.
expetatur 120.
(quid) 10.
exspectatur T. mihi vero Quinte videtur 39.

CAPUT III.

§ 8.

est inter nos parva quaedam diss. *α*.
inter nos quaedam pauca diss. 120.
nos inter parva 127.
inter nos quaedam V.
capiatur A B C D *β ε* 11. 39. 47. 48. 58. 65. 96. 120. 122. 127. R V.
ego quidem ab ultimis *α*.
ego enim vero 10.
ut negligantur D *α ε* V.
neglegantur 10. 11. 39. 58. 65. 96. 127. R.
aetatis suae A B E *α β γ* *Lagom.* *omnes* R V.
aetati 10.
quibus (ipse) 65.
potius huic assentio 39.
atque in hac aetate 96.
et aetate (nostra) 10.
tu autem hominis *β*.
i
illustrabat C.
illustrabat V.
illustrabant 39.
(et) memorabilem C D *α* 10. 47. 48. 58. 96. 120. 122. 124. 126. 127. R.
quem ab isto C (*e corr. pro* quae) D. *α* 11. (*e corr.*) 39. 47. 48. 58. 65. 96. 120. 122. 127. R.
intelligo quidem 10.
tribueretur ullum D *β ε*.
utroque 47. 58. 65. 122. 124. 127.
utrum 96.
(et) cura E.

§ 9.

at cetera 48.
quisque e nostris. *α*.
quod quidem tandem *β*.
qui tibi tandem 10.

tibi dandum V.
vacuum tempus D 11.
fuit vacuum 39.
concensus A B E.
concessus γ 11. 65.
(concessum) 10.
subsecuta quaedam 58.
succisiva 120.
subcissiva V.
subosiva R.
patiar γ.
rustificandum 11. 65.
dati sunt D 10. 39. 127. V.
accommodarentur 10.
ne institui quidem potest 10. 120.
otio praeparato D.
potest non † praeparato α γ.
non parato 10.
sine praeparato 96.
anipendere 39. 47. 127.
animpendere 96.
(si) traducor β 48. 65. 124. 126.
nec tam 10.

§ 10.

de qua nihil 11. 65.
nihi omnino A.
omnino nihil D.
visum (est) 10.
nihil bonis nobis D.
nobis 10. 39. 120. 127. V.
et a clarissimis *β*.

de (quo) 10. 120.
(servi) 39.
de quo acque patronis scivisse D.
serviatque patronis civesque aliquid 65.
serviat patronis civis se aliquid A.
melius decii servi et patronis cuius se aliquid E.
melius de C. servi et patroni tui se aliquid dicere V.
serviat (que) 11.
de quo servi atque patronis scivisse aliquid se dicerent α.
C. Servi 96.
C. Servii 47. 120.
glervii 10.
Servii 48.
scivisse servi 58.
et 10. 47. 120. 122. 124. 126.
patronis avis (tui) scivisse se γ.
patronis 10. 11. 58. R.
patroni 39. 48. 96. 127.
patronis civis se aliquid δ.
patroni tui 47. 120.
latrones 122. 124. 126.
(scivisse) 120.
civis aliquid se 10.
scivisseque aliquid 48. 96.
civisse 11. (*corr.* civesque.)
civesque aliquid 127.
se aliquid β 47. 58. 120. 122. 124. 126.
dicere 10. 39. 120.
cuncta Italia γ 10.
cantum Italiam E.
quis sentiret 96.
sentirem A E 11. (*corr.*)

CAPUT XX.

§ 46.

sequuntur de vi de capitis 48. 124. 126.
sed quod de β.
sed quid de capitis 10.
se quid de capitis E.
capitis D.
se quid de captis δ.
(et) D 39. 47. 58. 96. 122. R.
atque (de) 10.
ambitu legis D E α β γ *Lagom. omnes exc.* 124. 126. V.
(et de ambitu — maiores nostros erat) δ.
quae tam magis 10.
sanciende E.
sanciendae A 11. 65.
santienda R.
sentienda 120. 127. V.
fueiundae 10.
facienda β.
sunt D E 10. 11. 39. 58. 65. 120. 127. R V.
adiungit R.
noxie pene α.
pena presto E.
pene parunto (ut) 10.
paene parento β.
et in suo A E.
ius capite D α β γ 39. 96. 120. V.
avari a multa E.
et ignominia R.
sanctiantur 10.
(nobis) E 124. 126.
nonsitate E.
(non) recitate 10.
r. p. nece 10.

rei p. necesse D.
legum legum custodiam E.
(itaque — habemus) γ.
hec leges 10.
eae A 11. 58. 96.
heae 65.
ea E.
et leges R.
apperitores V.
a liberariis pecuniis publicis 10.
libritariis β.
consignata 11. 65.
nullam habemus publicam R.
nomophilates V.
credatur nec 10.
nec hi solum γ 10. 39. 47. 122.
necii solum V.
nec ii solum 48. 65. 120. 124. 126. 127. R.
nei solum 11.
nam (id) quidem et apud 10.
quidem et apud α.
(nostros) 10.
observant 39.
ad leges (que) nocebant 10.

§ 47.

cura de censoribus 10.
quoniam quidem 10.
(in) r. p. 65.
magistratus abierant 10.
magistratum 39.
quod in magistrati E.
in magistratu censaerint de quo incensore praeiudicent 10.
deque iis incensores β.
deque incensore praeiudicent E δ.
tum
sit constitutis accusatoribus β.
(qui) quidem δ.

possent E α β 10. 120. 124. 126. 127. V.
si 96.
ni sunt voluntariis E.
sint D α 39. 47. 48. 58. 65. 96. 122. 124. 126.
essent β 10. 120. 127. V.
quocircum δ.
melius (est) A E δ 11. 65.
rationis β.
in censoribus β.
integram tum 10.
integram tamen legi δ.
legi A E 11. (*corr.*) 124. 126.
satis etiam A E β δ 10. 11. 65.
disputatum (est) 124. 126.
(nisi — desideratis) 39.
(nisi — iunctum magistratibus) D γ.
forte quidem α.
(quid) E.
quod si R.
si n̄ tacemus A.
si non tacemus E 11. 39. 47. 48. 58. 65. 96. 120. 127. V.
si nos non tacemus β.
locus tamen ipse α 47. 120. 122. 127. V.
locus tamen admones ipse 39.
non tamen admonet β.
ipse tamen (non) 10. 58. 96. 122. R.
ipse re non 11. 48. 65. 124. 126.
optinet 10.
(tibi) α 10.
sit dictum dicendum 39.
deinde dicere E δ.
(de) iudiciis 58.
idem enim 10. 39. R.

vicium magistratibus 10.
(Pomponi — magistratibus) δ.

§ 48.

quod de E δ 11. (*corr.*)
iure r. p. 10.
instituti 58.
dicendum mihi putas 10.
hoc loco (est) 39.
quid requiras A E γ δ 11. 65.
quid ignorari γ.
ignoravi 10.
ignorare R.
ab his A δ 11. 65. 124. 126.
ab hiis E β.
inpessimum puto 10.
impiissimum̃ β.
(tur) pissimum E.
piissimum δ.
legis δ.
a librariis peti 124. 126.
lego ego sic γ.
animadvertor α.
animadvortor hosque (in) magistratus 10.
animadvertoresque in magistratibus E.
animadvertor hosque β.
animadvertorosque δ.
quo usque 65. 96.
plerosque 124. 126.
quam .... apparitores 10.
si id de sacrorum γ.
qm̃ de religione A E.
tum de religione 47. 96. 122. R.
cum de religione D α.
quoniam 10. 11. 58. 65. 120. 124. 126. 127.
legis preposueris 10.

ab lege constitutis 120.
lege obconstitutis A E δ V.
abconstitutis 10.
ₛobstitutis 11. (*ex corr.*) 65.
leges obconstitutis β. (ob *above*)
legi constitutis γ.
potestate cum iure disputes E 10.
potestatum tum de iure β.
tum de iure D α 39. 47. 122. R.

§ 49.

factum breviter 65.
non pluribus A E δ 10. 11. 65.
nam non pluribus β.
tuum β. (suum *above*)
suum 10. 47. 48. 120. 122. 127. V.
M iunii E.
(sodalis — quod dicis exspecto) 65.
sodalie peritum A E β.
eo quidem E β.
perit eo quidem 10.
diligent nos at de iure nate A E.
diligent nos at de iure β. (ac *above*)
(nos) 39. 47. 48. 58. 96. 120. 122. 124. 126. 127. R.
nos adde iure nate δ.
ac de iure 10. R.
(cogitari) 96.
cogitare 124. 126.
peruos et quae dicere et 10.
(et) quae dicere D.
et que E.
atque dicere 11. 124. 126.
de iure r. p. 10.

populi r. p. V.
reip. β 120.
et tradita α.
(et tradiita) D 39.
sit pcum censeo A δ.
sic procum censeo 11.

sic pconcenseo E.
que dicis E δ 11. 39. 58. 96. B.
quae dicis D.
quod
quae dicis β.
specto A E β δ.

ANNOTATIO.

ANNOTATIO.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

§ 1. *Lucus quidem ille, et haec Arpinatium quercus — lectus in Mario*) Syllepsin non ita tritam in Cicerone post alios explicuit diligentissimus Wesenbergius in Observatt. Critic. in Sestianam, p. 13: neque hoc ipsum exemplum neglexerat Manut. ad Epp. ad Div. I. 7, 11. Eximit ex illo genere Wesenbergius locum Sextianae 53, 113, ubi editur, *prae se populus Romanus ferebat sibi illum in tribunatu Cn. Domitii animum constantem et egregium et Q. Ancharii fidem ac fortitudinem, etiam si nihil agere potuissent, tamen voluntate ipsa gratum fuisse*: in quibus syllepsin (*gratum*, quod ad *animum* referatur) ideo non probat, quod non de unius laude, sed de duobus agitur, et sua utrique laus et virtus tribuitur: itaque corrigendum esse *grata.* Contra mihi videtur non de duobus, sed de utriusque una eademque virtute agi,

quae grata et probata fuerit populo. Accedit, quod Domitii et Ancharii nomina praeter consuetudinem hic interponuntur: quae interpolata esse, quum abunde intelligi possint ex eo, quod praetores eos factos esse modo dixerat Cicero, probat quodam modo Schol. Vaticanus, de industria monens quos *intelligere debeamus* tum populares illos duo, (quorum rectissime nomina reticentur) tum hos tres minime populares. Neque, quum *animum constantem*, et *fidem et fortitudinem* laudat, suam cuique tribuit laudem; siquidem sunt illa unius generis. Restat ut locum sic constituamus: — *sibi illum in tribunatu animum constantem, et egregiam fidem et fortitudinem,* — *gratum fuisse*, aptissima syllepsi. Aliud genus reperire sibi visus est Madvigius in praestantissima editione librorum de Finib. III, 10, 35, fin. verbis, *omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis:* nam *omnia ea* non esse subiecti, sed praedicati, et remotiori (*iudicia*) accommodari, forma componendae orationis sane inaudita. In promptu erat corrigere *opinionis:* sed Tusc. IV, 7, 15 quoque, ne alios locos excitem, sic *iudicia et opiniones* in eodem argumento iunguntur. Potius autem duco tenere id, quod ad init. eius §[i] iure monuerat Madv., totum hunc locum de animi perturbationibus non apte interpositum videri: quem quare totum eiiciendum censeam, duobus conficiam argumentis. Primum, disputationem de sapiente qui careat perturbationibus animi, alienam esse a Catonis consilio, tum per se intelligitur, tum apparet e diligenti huius libri Tertii refutatione, quae in sequenti exponitur, in qua *perturbationes* ne verbo quidem memorantur. Deinde, tam dissoluta sunt haec ipsa, tam inania et propemodum stolide composita, ut religioni sit ea Ciceroni tribuere.

Qui viri docti cum hac *quercu* Platonis in Phaedro *platanum* coniungunt, ii mihi videntur obscurare magis quam illustrare scriptorem quem interpretantur..

Si manet) i. e. superest, durat: de quo usu non Burmannus, ut Moserus annotavit, ad Phaedr. IV, 4, 30, sed Praschius et Schefferus explicuerunt: aliud exemplum est, in simili re, apud Tacitum Annal. III, 61: conf. Gronovius Observ. II, 18. — Davisianum, *si enim manet*, recte repudiatum est. Vitiosa librorum multorum lectio *sin manet* orta ex *sīmanet*.

etenim est sane vetus) Verissime credo Madvigium, in Part. II Disputationis de emendandis Cic. Oratt. de Prov. Consul. et pro Balbo, p. 6, coniunctionis *etenim* hanc vim declarare, ut *enim* non referatur ad proxime antecedens argumentum, sed ad totum id, quod propositum sit ad demonstrandum: conf. eius annotatio ad Fin. I, 1, 3. Exempla haec sint: Legg. I, 7, 21. 10, 30. 18, 48: eiusdemque consilii est *neque enim*, II, 4, 10: et *nec enim*, III, 14 init. in demonstratione quae negatione utitur: porro Offic. I, 15, 48. 19, 65. 43, 153. 45, 160, cet. Rosc. Amer. 5, 13. 6, 16. 9, 24. 11, 32, cet. Leg. Agrar. I, 3, 10. II, 9, 23. Rabir. 10, 30: ut innumerabilia alia premam. Quae si perpendimus, dubitari vix potest quin h. l., in quo ne umbra quidem demonstrationis est, corrigendum sit *est enim sane vetus*. In Coeliana 3, 6, *sunt enim* corruptum fuit in *sunt etenim:* facilior fuit illa corruptio, ut verbum *est* absorberetur, quod dein alio loco propter sententiam additum fuit. Sed *etenim* restituendum arbitror Fin. I, 20, 70, in quo loco Editores, et postremus Madvigius, haeserunt; legendumque esse *saepe etenim videmus*, (pro *et saepe enim*): quod in interposita sententia recte fieri, ostendunt exempla apud Hnadium Tursellin. II, p. 543, pr.

manet — et semper manebit) Asseverandi forma Ciceroni et optimo cuique usitata: Verr. I, 35, 89. Sull. 12, 35. Horat. Epp. I, 2, 43, cf. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 40, 7.

Attice) Sero demum hoc cognomine T. Pomponium

appellare coepit Cicero: conf. Fin. V, 2, init. ad Att. II, 9, fin. II, 20, 5: neque in illis epistolis ante libr. VI, utitur: VI, 2, 8, sq. VII, 1, 4.

sata est enim ingenio) Nihil erat, quod auctoritate *α* et 10 transponeremus *enim est*. Ceterum, ut *serere* dicitur de condendis ingenii monumentis, (quo tamen referri nollem a Wyttenbachio apud Moserum, Orat. II, 65, 261,) ita hoc loco nove dicitur, ut ex Attici verbis apparet (*quo tandem modo?*) de commemoratione plantae aut arboris, quam scriptor aut poeta fecerit: sicut Orat. I, 7, 28, *quae* (platanus, in Platonis Phaedro) *mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse*. Non dissimiliter diu post Fronto scripsit Ep. VII. p. 398. ed. Francf., cuius loci postremam particulam ingeniose tractat Wordsworth in libro Anglice scripto De Athenis et Attica p. 165. Ceterum, diversum est Livianum, VII, 2, 8, *argumento fabulam serere*, optime expositum ab Ernesto ad Cic. Coel. 27, 64. — Quae e libris memorantur, *nullius enim* (Paris. C Moser.) aut *nullius*, omisso *autem*, negligentiae debentur. *Agricolarum cultum* appellat quoque Agrar. II, 25, 67.

suffragari tibi) Notandus est Goerenzius, qui docet *suffragari laudibus alicuius* dici, quum deberet *laudi*. Lentulus ad Ciceronem Ep. XII, 14, 4: *velim — et in senatu et ceteris rebus laudi nostrae suffragere*. Plancus Ep. X, 7, 2: *peto ut dignitati meae suffrageris*. Eadem sententia ipse Cicero ibid. I, 7, 8: *nostrae laudi dignitatique favisti*. Et quid inter *laudem* et *laudes* intersit, intelligetur v. c. ex Ep. XV, 4, 11.

§ 2. *sit ita sane*) Meorum quoque, ut plerosque alios, librorum magnam partem occupaverat vitiosum emblema, *sit ita sane verum verumtamen*. At non ubique adiectivum hoc resecandum esse, docet locus Acad. II, 38. init. ubi non sollicitandum est, *sint ista vera*. Alio additamento

liberavit eamdem formulam Cortius, in Plin. Epist. I, 2, 6, fin.

dum Latinae loquentur literae) Non curandam esse apparet in talibus librorum auctoritatem, quorum magna pars tenet *Latine*. Sed novissimos Editores labi in interpretando, et iniuria Davisium Ernestumque deseruisse, demonstrabo. »Sunt literae in universum, quae loquan»tur (inquit Goerenzius), et hae modo possunt desinere »loqui *latine: latinae* vero *literae*, dum sunt, non pos»sunt non quin loquantur." Defendit id (*latine loqui*), quod sane turpe est negligere: neque sensit, ipsum illud, quo veram lectionem evertere conatur (*dum sunt*), continere eius lectionis interpretationem. Moserus interpretatur »quamdiu literae, doctrinae et artes, literarum »monumentis conscriptae, *latina lingua* loquentur." Confundit scilicet quae diversissima sunt. Singulae sane artes per prosopopoeiam dici possunt Graece aut Latine loqui, aut quocumque alio sermone: nam proprie de persona dicitur, ut de Iove, *si Graece loquatur*, Brut. 31, 121, et *Musas Latine loqui*, Plin. Epist. II, 13, 7: figurate Cicero ad Catonem, Fin. III, 12, 40, *mihi videris Latine docere philosophiam* scil. loqui: cuius haud multum dissimile est (quamquam tum Heusingerum, tum Klotzium fugit) quod dicitur in Corn. Nepotis fragm. de Historicis Latinis, Ciceronem *philosophiam ante eum incomtam Latinam sua conformavisse oratione.* Sed *literae* vel universe, nullo gentis nomine adiecto, eruditionem significant e libris hauriendam; qua ratione dicuntur *multae literae esse in aliquo*, aut *literis eruditus*, sed illae *literae* non loquuntur, verum cuiusque animo et ingenio continentur: nec magis dici poterit has literas *Latine loqui*, quam eruditionem, aut scientiam: — vel, adiecto gentis nomine, indicant scripta certo sermone monumenta, ratione habita illarum virtutum, quibus istiusmodi monumentorum laudes cerni solent. Et has literas

intelligit Quintus, siquidem carmine illo (Mario) nitebatur quercus Marianae memoria, quemadmodum Homericorum aliorumque carminum, i. e. Graecarum literarum honore, nitebantur procera palma, et Minervae olea. C. Gracchi immaturo obitu nulla fortasse ars, (nihil enim docuerat aut explicuerat), sed *latinae literae* damnum fecerant, Brut. 33, 125. Et memoriam propagare et conservare, non literarum, sed certarum literarum est: pro Marcello 3, 9, *bellicae tuae laudes celebrabuntur — non solum nostris, sed paene omnium gentium literis atque linguis.* Philipp. II, 13, 33: *quae tam ingratae literae reperientur, quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur.* Eodemque modo *Latinae literae* intelliguntur Tusc. II, 2, 5. Legg. I, 2, 5. Itaque *literas* interpretandas esse de monumentis scriptis, quae certa quadam lingua condita sint, accurate docuit iam magnus Gronovius ad Livium VI, 1, 2. Postremo *loqui* nihil aliud est nisi celebrari, florere, nosci: ut contra *tacere, conticescere*, et *mutus*, et *surdus*, usurpantur de rebus quae negliguntur et latent: conf. Gronov. ad Liv. IX, 6, 12. Adverbium cum adiectivo permutaverunt etiam nonnulli codices in Verr. II, 63, 154. — *Loquantur*, quod habent *α* et V. spernendum est in significatione rei, quam perpetuam fore credebatur.

eaque, ut ait Scaevola de fratris mei Mario) Laborat multis partibus virorum doctorum interpretatio. Turnebus dicit, quo tempore Cicero adolescens Pontifici Scaevolae operam daret, conditum ab eo Marium esse, et Scaevolam suspicatur, ingenium eius admiratum, epigramma scripsisse, cuius haec videlicet particula sit. Moserus, posthabita illa Turnebi suspicione, Scaevolam Augurem intelligi affirmat, idque ipsum dicere Ciceronem Amicit. cap. 1. Nolo dicere, qualis mihi haec argumentatio videatur. Nobbius Turnebi sententiam ita probat, ut huius loci auctoritate demonstrari putet, car-

men istud a Cicerone compositum esse superstite Scaevola Pontifice: vid. eius Argumentum huius deperditi carminis. Eadem sententia est Fabritii in Historia Ciceronis, scriptum Marium referentis ad A. U. 663, Ciceronis XVII[um], *cum Scaevola viveret*: non tamen definit hic uter Scaevola intelligendus sit. Horum igitur sententiae in eo consentiunt, Scaevolam in laudem istius carminis dixisse, *canescet seclis innumerabilibus*. Sed quis umquam ita de ingenii monumento locutus est? Utitur metaphora ipse Cicero Brut. 2, 8, de sua oratione, sed maturitatem et senectutem intelligens. Praeterea neutrum Scaevolam vidisse hoc carmen contendo. Condidit Marium Cicero post clarissimi viri mortem: de quo dubitare non sinit fragmentum in I Divin. 47: necesse est enim omnem Marii vitam persecutus sit. Atqui obiit Marius A. U. 667; ut Fabritii certe sententia falsa sit. Iam, quum Augur Scaevola biennio ante Marium diem obierit, ut probabiliter disputat Fabritius ad A. U. 665, Ciceronis XIX[um], de illo carmine hic certe epigramma condere non potuit. Marii mortem eae turbae sunt in re publica consecutae, per quas credibile non sit carmen de laudibus talis viri compositum editumque fuisse: nec si fuisset, Pontifex Scaevola celebraturus fuisset, qui ipse quatuor post Marium annis in dirissima strage nobilitatis a Marianis fuerit occisus: conf. Cic. Orat. III, 3, 10. Nat. D. III, 32, 80. Vell. Paterc. II, 26, 2. Multo credibilius est Ciceronem diu post eiusmodi consilium cepisse, non eo anno, quum Sex. Roscium Amerinum defendisset, quae Corradi erat opinio in Quaestura p. 256. Ern. Incendium excitasset, quod quantopere vereretur indicat iter paullo post in Graeciam Asiamque susceptum. Multo igitur prudentius idem Corradus, paulo post p. 262, Cn. Lentulo L. Philippo Coss. scriptum Marium esse putat: eoque refert Epist. 5. lib. IV. ad Att. Non certe iuvenilis lusus nomine a Cicerone A. U. 709 petivisset C. Marius, illius nepos, ut

se defenderet: vid. ad Att. XII, 49. Itaque sublatum esse opinor hoc, quod ferendum non erat, ut quod de carmine dixisset quis, id ad quercum referretur. Non tamen alienus est hinc Scaevola Augur, cuius filiam alteram uxorem adeo habuit C. Marius filius: cf. Plutarch. Mar. p. 425. F. Glandorp. Onomast. Rom. p. 618. Sed videtur is loquens in carmine inductus fuisse a Cicerone, qui haec ei de quercu verba tribuerit. Ista enim *Scaevola de fratris mei Mario* nihil aliud sibi volunt, nisi *Scaevola in Mario:* quam interpretationem ne pluribus defendam facit Orellius in Analect. Cic. opp. Vol. IV. P. II. p. 593. fin.: et obscuraverant hanc rationem nonnulli Codd. in Orat. III, 35, 141. Addo, necessariam hanc esse interpretationem propter verbum *ait.* Habemus igitur hoc quartum fragm. Marii Tulliani, reliquis addendum. Carminis ipsius mentionem Salmas. et Casaub. de coniectura restituerunt in loco corrupto Iul. Capitolin. Gordian. 3.

nisi forte — tenere potuerunt) Satis nunc constat, partic. *nisi forte* ei praeponi sententiae, quae contineat consectarium absurdum ex eo, quod adversarius ante posuisset, aut postulasset, quodque sic falsum esse demonstratur. H. l., verbi causa, satis significaverat Atticus quercum illam Marianam diu manere non posse. Igitur non video quid opus sit nescio quam ellipsin supplere, uti volebat Beier. ad Offic. T. I. p. 254. Diligenter illam vim enunciavit Handius in Tursellino II. p. 737. 13: cum Graecis partic. *εἰ μή* contulit Wyttenb. ad Plutarchi Consolat. ad Apoll. p. 109, F, eamque collationem Beierus l. c. cumulavit. Sed nondum satis castigata est Goerenzii praeceptio ad Fin. I, 17, 56 et II, 15, 49. Et postremo quidem loco quare Coniunctivus requiratur, nec tamen evertatur praeceptum de necessario Indicativo post *nisi forte* iunctim positas, et vidit Orellius, et monuit Madvigius. Everti praeceptum putat Beier. l. c. exemplo

petito ex Salust. Iugurth. XIV, 10: quem sana interpretatio Kritzii refutat: est enim pro *nisi forte erat quem:* quemadmodum *respondebis* iterandum in Verr. V, 18, 45, init. *Nisi vero* eodem modo ponitur pro Flacc. 15, 36: tum ipsum *nisi*, de quo Beier. ad fragm. pro Tullio p. 44, b, cuius rationis exemplum est in var. lect. Planc. 29, 71. — Postremo, nihil video cur unius libri lectio *poterunt* praeferatur; siquidem magis de ingenti temporis iam inde a Minerva praeteriti intervallo, quam de futuro cogitandum est.

aut — hodie monstrant eamdem) Non absolvitur altera pars ironiae eodem modo, quo prior, sicuti fit Milon. 7, 17: sed tamen ad eumdem modum explendum est cogitando, *aut*, *nisi forte hodie monstrant eamdem*. Hoc ipsum *monstrant eamdem* est, monstrant ac si eadem esset. Sic infra cap. 10, 30: *sensibus eadem omnia comprehenduntur*, non in obiecto ponitur *eadem*, sed in eventu, pro, omnia ita comprehenduntur ut eadem singulorum sensibus videantur. — Turnebi et Davisii coniecturam, *quam Homericus*, ideo improbandam censeo, quoniam in tota hac disputatione neque quercum illam Marianam, nec Minervae oleam, nec Ulixis palmam vere fuisse conceditur, sed excusandam esse dicitur religionem, quae, quod antiquitus fuisse illa traditio ferret, eadem nunc etiam agnosceret.

Ulixes — vidisse dicit) Non tantum Stephani Edit., sed nonnulli de meis libris sic habent, reliquis in *dixit* conspirantibus. Quae ad poetarum aut scriptorum inventionem et auctoritatem pertinent, ipsorum oratione consignatam editamque, ea, quum praesertim iisdem monumentis hodie etiam utimur, illi *dicere*, non *dixisse* a nobis dicuntur. Ita mox Atticus ad Marcum *ut scribis*, non *ut scripsisti:* de Platone, cap. 5, 15, *describit*, et *disputat*. Conf. Orat. III, 15, 57, fin. 32, 129 (ubi in Cod. Leid. pr. m. erat *profitebatur*) Fin. I, 19, 63, utramque

rationem coniunctam habet: *optime vero Epicurus, quod exiguam dicit fortunam intervenire sapienti* (sunt notissima illa verba Epicuri) —: *in dialectica autem vestra nullam vim existimavit esse, neque — neque —. In physicis plurimum posuit:* quae duo postrema non ipsam orationem Epicuri indicant, sed de eo narrantur: cf. ibid. 20, 65 (*dicit — comprobavit.*) Perf. *lusit*, Orat. III, 43, 171, ad historiam referendum est: de alio loco ibid. 59, 221 alias dicam. Sensisse hoc videtur Madvigius (nam ad plura genera pertinet) quum in Verr. IV, 13, 31 (Ep. Crit. p. 64) non spernendam diceret Cod. Reg. et Leid. lectionem *refert*, pro *retulit*. Alia exempla habet Beierus ad Offic. III, 32, 114. Neque evertit hanc observationem locus Fin. V, 18, 49: *Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxit,* (nam nulla controversia est, quin haec lectio alteri, *finxerit*, praeferenda sit:) quandoquidem hoc quidem loco *fingere*, ab ipsis *cantibus* diversum, ad consilium et institutum poetae, non ad enunciationem refertur.

multaque alia multis locis) Otiosa est varietas *multis in locis:* minus etiam alia curanda quae in hoc loco variant libri. Ceterum studiose hanc repetitionem (*multaque multis*) sequitur Cicero, ut diligenter notavit Beier. Offic. I, 17, 53: add. Philipp. I, 7, 17, Interpr. ad Plin. Epist. V, 3, 9.

commemoratione — quam natura) Oppositio ex eo genere, ex quo notissima illa, *re — verbo*, in utriusque linguae scriptoribus. Simile est *literis — revera*, quod in Or. pro Flacc. 31, 76 bene animadvertit Bremius (Philol. Beytr. I. p. 190.) In eadem oratione 14, 32, *utrum ista classis cursu et remis, an sumtu tantum et literis navigarit:* quale quid dixerat Verr. V, 25, 63, *nomine classis in Sicilia, revera naves inanes.* Quae literis tantum constabant, eas Demosth. Philipp. I. § 19. ἐπιστολιμαίους δυνάμεις appellat: cf. ibid. § 30: quocum conferri potest

Livius XXXI, 44, 9. — De Romanis, qui certas quasdam arbores certis in locis religiosissime coluerint, cf Duker. ad Liv. XXIV, 10, 9, qui de nuce in Sabinis dubitare non debebat.

tempestas vetustasve) Goer. ex nonnullis libris, Moserus ex uno, memorant hanc lectionem, *necessitas tempestasve*, eamque non contemnendam appellant: nam, inquit Goer., *necessitate* fieri dicuntur, quae necessaria naturae lege eveniunt; bene igitur ei *tempestas* opponitur. Dicitur sane apud Ciceronem *necessitas*, de ea conditione naturae qua quis natus est, nempe ut moriatur: sed non dicuntur haec nisi in humanae naturae conditione, non de inanimis: cf. Sext. 21, 47. Philipp. XII, 12, 30, cet. nam philosophorum sermo, sicut in libris de Nat. Deor. de Divin., et De Fato, huc non pertinet. Tam igitur ridicule dicatur *quercum necessitate consumi*, quam *quercum ea conditione seri ut consumatur*. Est praeterea unde quis suspicetur istam absurdam lectionem ortam esse. Nam pro verbis quae antecedunt, *nunc sit haec*, 10 habet *nunc sic est:* quae corruptio videri poterit ansam dedisse excogitando *necessitas*.

quercus, quam Marianam quercum vocent) *Quercus* qui omittant, quatuor sunt de meis libris: unus, qui *quercum*. Recte tamen ab Ernesto discessum est, qui hoc probabat. Et substantivorum post relativa repetitionem bene firmavit Beier. ad fragm. pro Tullio p. 61, b, quibus exemplis nil attinet alia addere: sed in Verr. III, 96, 224, repetitionem postulabat perspicuitas: tum diversi generis est hoc ibid. 79, 183, *quid ea res ad hanc rem pertinet?* Sed consideranda sunt haec, ex Divin. II, 1, 3: *quibus libris editis, tres libri perfecti sunt de natura deorum:* in quibus primum nihil est non dicam quod postulet, sed quod excuset repetitionem substantivi: neque ea utitur paullo post: *atque his libris adnumerandi sunt sex de re publica.* Nonnihil certe istius otiosae abundantiae

tribuendum esse librariis, colligas ex iis quae in sequentibus dicuntur: *interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus:* nam ab optimis Codd. abest *liber*, in uno est *is liber:* tum commodissime intelligitur ex antecedd. Sic ad Att. XII, 14, 3: *feci, quod ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer: quem librum ad te mittam.* — Accedit, quod in vetustissimo et praestantissimo Vossiano 84 (Mosero L. *a*) servatur lectio *quibus rebus editis:* quae mihi non eiusmodi auctoritas est, ut hanc prae altera lectione praeferendam ducam, sed ut utramque interpolationi deberi putem, id quod non sensit H. Alanus, nuperus illorum librorum editor (Londini 1839.) Omnino scripta sunt illa a Cicerone hoc sensu: *quae quum edidissem*, non, *quos libros Tuscul. disput. quum edidissem.* Apertum est primum quasi corpus librorum contineri iis, qui ad locum de vero, tum ad eum de moribus pertinebat: *quibus editis* secuti sunt quinque, qui ad physicam quaestionem referebantur. Neque *edere quid*, pro exponere de aliqua re et sententiam dicere, improbari oportebat a viris doctis propter nescio quem delectum in Indice Ernestino. Crassus certe, Orat. III, 61, 228, *edidi, quae potui:* cf ibid. II, 80, 325: Legg. I, 2, 7, *qui nondum ediderunt*, de historicis: Brut. 5, 20: *ede illa, quae coeperas.* — Non dimittam illam in Moseri editione annotationem ad Divin. l. c., antequam animadvertero parum caute praecipere eum, quum Frandsenium reprehendit, quod librum suum *Haruspices* inscripsisset, non *de Haruspicibus.* Quid enim faciemus Ciceroni ipsi, qui suum peculiarem librum *Oratorem*, non *de Oratore* appellavit? Ne dicam eum ad Att. I, 19, 10, *commentarium consulatus mei* scribere, deque eodem opere ibid. 20, 6, *misi ad te — consulatum meum.*

§ 3. *certene non longe* —) Nihil adiuvant librorum collationes, neque ulla est virorum doctorum coniectura in

qua acquiescendum videatur. Quae Graevii esse dicitur, apud Moserum, *certo ne non longe*, ideo repudianda, quod Latinum non est *certo dixit*, pro *vere dixit*, quod h. l. ferri poterat. Ipsum porro *certe* sic in affirmando ponitur, ut referatur ad id, de quo iam sermo fuerit, non autem absolute affirmet: verbi causa, si hic praecessisset *domi tuae*, recte subiiceretur *certe non longe a tuis aedibus:* in quam rationem non dubito quin omnia exempla includi possint. Copiosior quam explicitior disputatio de istis adverbiis est Handii in Tursellino Vol. II. p. 14. sqq.: sed quod ad Ciceronem attinet, quem credibile non est illis formis sine discrimine usurpasse, quique ideo necessario compluribus locis corrigendus erit, *certe* non nisi in affirmatione aliunde suspensa dicitur, ita ut ad totam enunciationem referatur, non unius verbi aut actionis modum definiat: cf. Fin. II, 31, 102. Divin. II, 8, 21. In praesenti traditione recte diceretur vel illo, quo supra dixi, modo; vel *Romulus deus factus est, certe Proculo Iulio dixit* cet. — Contra, absolutam affirmationem, quaeque novam sententiam inchoet, numquam *certe* indicat. Atque sic conficitur *certe* non esse huius loci. Quaesierat illud de Mario Atticus ex Tullio, quod hic et ipse Arpinas esset, itaque aliquanto certius ista resciscere potuisset. Cui aequum est ut eiusmodi quaestionem reponat Marcus, quae ipsa propter locorum rationem propius Atticum attingeret. Et si hariolari licet, (nolim enim praestare coniecturam,) fieri potest ut antiquitus scriptum fuerit, *Romaene, non longe a tuis aedibus* —. Locum ex hodierna Romae topographia accurate designat Niebuhrius Hist. Rom. I. p. 260. not. 644. Ed. 3tiae. — Mox *dedicare*, quod nonnulli libri deterioris notae afferunt, spernendum erat, quod non quid Proculum facere, sed quid omnino fieri vellet, Romulus iussisse videtur: conf. Republ. II, 10; eademque auctoritate servanda verba *in eo loco*, quae item in uno alteroque Cod. omittuntur.

et verumne sit Athenis —) Edidimus *verumne sit*, quod exceptis deterrimis libri omnes servant. *Athenis* praeter alios habet C quoque, sed idem in marg. *an is*. Nihil erat quod viri docti e glossa intrusum esse putarent *verumne sit*. Unus liber de meis habet *ut verumne sit*. Scilicet particula transponenda erat, legendumque *et verumne sit ut Athenis:* quam structuram firmat Zumpt. Gramm. Lat. § 623. Non credibile est Ciceronem res tanto temporum locorumque intervallo distantes una continuata quaestione proponere voluisse.

a tua illa antiqua domo) Quae Athenis antiquae domus erant, eae admodum humiles vilesque fuerunt; id quod de industria Demosthenes memorat, cuius locos indicabit Boeckh. Oecon. Civ. Athen. I. p. 70. Atticum, qui ubique tam laute aedificatas aedes incolebat, credibile non est, quum diu Athenis haereret, ista humilitate fuisse contentum: quare *antiqua* mutandum mihi videtur in *Attica*. Ceterum illam Attici domum fuisse in Ceramico, recte quidem coniicit Goerenz. ex Platonis Phaedro, sed colligere quoque licet ex Epp. ad Att. I, 10. init.

§ 4. *aut cur ista quaeris*) Repudiandum fuit *ita quaeris:* non quod *ita dicere*, *ita quaerere* non pro *hoc dicere*, cet. accipi possint; sed quod, ubi fabulosa illa obiecisset Cicero, Atticus valentiori pronomine ista indicare debuit.

in ea inquiras) Nullus meorum librorum *anquiras* habet. Sed dudum Davisius, et post eum Beierus ad Offic. I, 30. p. 229, discrimen exposuerunt: conf. Drakenb. ad Liv. VI, 20, 12: itaque recte quoque Tacito Annal. XII, 6 restitutum *anquirendum*. Non tamen Beiero assentior, Nat. D. I, 12, 30 *inquiri* substituendum esse optimorum, ut videtur, librorum lectioni *anquiri:* siquidem Platonis ζητεῖν recte consultandi, et deliberandi, et e pluribus eligendi potestate dictum accepisse videtur Cicero.

memoriae sunt prodita) Deserui receptam lectionem *sint*, quoniam Coniunctivus in hac compositione hoc

indicare mihi videtur, esse posse quae isto modo tradita sint; id quod alienum est ab huius loci sententia. Ubi recte Coniunctivum defendit Madvigius, Fin. I, 4, 10, (*qui Graeca legere malint*) argumentis tamen non utitur idoneis: neque enim quod generaliter loquitur ita scripsit Cicero, sed quod vult, *si qui sint qui Gr. l. malint:* ideoque mox *velint* et *desiderent:* nec ideo mutandum *si suas habent* in *habeant*, quoniam ea certo futura conditio est, quae nihil commune habet cum modo universae enunciationis. Et tulit Madvigius Indicativum ibid. paullo infra I, 10, 33, init.

multa quaeruntur in Mario) Marii vitam nondum quisquam ista aetate de industria scripto consignaverat. Plutarchus quidem tum Sullae et Catuli commentarios memorat, tum Rutilium et Pisonem: Corn. Nepos si scripsisset, poterat hunc, ut fecit in aliis, appellare: huius Marii Tulliani nusquam apud eum fit mentio. De quatuor illis tres priores Mario aequales fuerunt, nec sane amici: C. Piso, *ἀνὴρ ἱστορικός*. quis fuerit merito ambigit Vossius Hist. Lat. I, 6, fin. Quantum ex his Attici verbis colligitur, (nam *in Mario*, i. e. in illo carmine) primus Cicero interiora quaedam et minuta, fortasse ex eius pueritia, quam Arpini transegerat, prodidisse videtur: et quod ad illud portentum attinet, Marium superstitiosum perpetuo fuisse et Plutarchus tradit, et Salustius Iugurth. LXIII. init.

vel severitas) Diu quaerens expedire non potui quae *severitas* in historico, et in eiusmodi carmine historico cogitari possit. Non tantum, inquit, de multis quae tradidisti ambigitur fictane an vera sint, (qui etiam concessisse videntur, ut veris ficta interponerentur,) sed nonnulli etiam vel severitatem a te postulant. Intelligerem, si *severitas* diceretur ea ratio tradendae historiae, in qua omnia ficta et fabulosa omittuntur: sed quis umquam hanc *severitatem* appellavit? Severitas est vel orationis,

quae omnium minime hic cogitanda est; vel morum et agendi, et ipsa hinc aliena; vel iudiciorum, quae minime cum historici officio confundenda est. Postrema haec crebro apud Ciceronem commemoratur, veluti Verr. III, 69, 162, frustra Zumptio ibi *veritatem* defendente: (quemadmodum ne Gronovio quidem assentior, qui in Tacito Ann. I, 75, init. hanc probat lectionem, *sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur;* manifesto quippe *severitas* iudiciorum opponitur ambitioni et mollitiei, quae vitia opprimere studebat Tiberius; confundit adeo alienissima vir praestantissimus: nam in Cic. Coel. 9, 22 *iudicii veritas* non ad iudices refertur, sed ad rem ipsam; quid verum in hac causa sit, inquit, non testibus, sed argumentis et signis demonstrandum est.) Contra in Verr. Act. I. 1, 3, *sin istius ingentes divitiae iudiciorum religionem veritatemque perfregerint*, ut edidit Orell., extra controversiam *severitatemque* restituendum est, quod vel ex proxime antecedd. apparet. Sit enim ita, (quod tamen negat Gronovius) *veritatem* dici pro aequitate, (conf. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 84:) sed *iudicia vera* non nisi fictis et simulatis opponuntur; contra *severitas*, iudiciorum socordiae, ignaviae, corruptioni: cf. Milon. 22, 59, sq. — Iam in praesenti loco, quae nullam recipit *severitatem*, nihil nos adiuvant Codicum discrepantiae, nisi quod ex Paris. C Moserus memorat *vel si veritas.* Scilicet mendum omnibus libris vetustius ita tollere licebit, legendo *nil nisi veritas*: et bene viderat Davisius sequentia (*me cupio non mendacem putari*) in primis suadere ut *veritas* servetur.

et mehercule ego me cupio) Qui *me* omiserunt, errarunt fortasse in eo, quod pronomen in *mehercule* inesse putarunt: falso. Ceterum, quod praefigitur *et*, indicat concedi partim isti animadversioni nonnullorum: sicut in formula *et quidem*, de qua dicemus infra ad III, 10, 24: sic *et fortasse* pro Scauro § 41.

nonnulli isti Tite noster) Codd. alii *nonnulli*, alii *isti* omittunt; alii rursus servant utrumque, recte: nam *nonnulli* cum quadam reprehensionis significatione iteratur. Sic in Sext. 45, 97, init. vindicavi, *quis ergo iste optimus quisque?* Schol. Hypomn. I. p. 106. — *Tite noster* quod edidi, secutus sum non minus affectum maiorem, qui in hac responsione decere videtur, quam optimos libros meos.

in isto periculo) Si vera sunt ea, quae supra de tempore scripti Marii disputavi, Lambini et Scaligeri interpretatio, ut ingenii periclitandi causa carmen scriptum fuerit, probari vix poterit. Praeterea, satis indicant ea quae subiiciuntur, non de toto carmine respondere Ciceronem, sed de illo portento, cuius modo mentio facta erat: eademque de causa, si vel omnino ferri posset, Ernesti reiicienda est interpretatio, ut *periculum* pro libello accipiatur: quod sensisse credo Wyttenbachium, qui corrigat *versiculo*. *Opusculo*, quod habent deteriores mei, mera correctio, eaque inepta est. Mihi quidem duo exempla, quibus mox se defendit Cicero, cogere videntur, ut hoc loco prodigii mentionem factam dicamus; proximeque ad depravationem vocabuli accedemus, opinor, si legimus *in isto miraculo*.

non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigant) Zeugma, in quo priora sic explenda, *non ut a poeta delectationem exspectant:* sed 'errabat Hotomanus, qui tali quodam modo corrigendum putabat. Offic. I, 25, 88 animadversio et castigatio dicuntur non debere *ad eius, qui punitur aliquem aut verbis fatigat, sed ad rei publicae utilitatem referri:* ubi non agnovit Beierus in prioribus intelligendum esse, *ad eius qui punitur aliquem irae aut vindictae expletionem, satisfactionem.* Et ortae sunt hinc nonnumquam interpolationes, ut Planc. 10, 26. *confectum* post *fluctibusque.* Cum praesenti loco maxime convenit Livius III, 40, 4, *si a volentibus nequeat, ab*

invitis ius expetituram. Sed omnino latissime patet illa ratio per utriusque linguae scriptores: et Demostheneum in Mid. p. 515, 16, *πολλὰς δὲ δεήσεις καὶ χάριτας καὶ ἀπειλὰς ὑπομείνας*, recurrit quodam modo in Tulliano Tusc. V, 31, 87, *minis aut blandimentis corrupta.*

cum Egeria — impositum) Talia non primis annalium monumentis, sed carminibus vetustis deberi, tum hic Ciceronis locus suadet, tum fortasse Quinctilian. I. O. II, 4, 18, sq., favetque hoc acutae Niebuhrii disputationi, quam, post Perizonium, ornavit Hist. Rom. I. p. 283. Ed. 3tiae.

§ 5. *leges observandas*) In librorum discordia saepe difficilis optio est inter *observare*, et *servare:* sed illud satis firmat Orat. I, 21, 97, fin. aliique loci.

quippe quum illa ad veritatem, Quinte, referantur, in hoc ad delectationem pleraque.) Putidum est quod Ernestus, post *referantur*, excidisse putabat *omnia:* nec satis Latinum, quod pro *Quinte* substitui voluerunt nonnulli, *quaeque*; quoniam non singula in historia, sed tota historia ad veritatem referenda est. Corrigendum necessario, uti factum in Lagom. 124 et 126, *referatur:* nam *in* ante *illa* optimi libri omittunt, quod quomodo ortum sit, facillime intelligitur e Voss. C, in quo est *cū m illa*, pro *cum illa.* Sic *in* interpolatum erat in Sext. 7, 17. (Schol. Hypomn. I. p. 61.) Ceterum *omnia* iam interpolaverat Lagom. 58. Ut *in hoc* ederemus, non *in hac*, ne illa quidem, quae praesto erat, auctoritate indigebat. Goerenzius de hoc loco meras nugas profert.

apud Herodotum — sunt innumerabiles fabulae) De hoc loco commentatus est Wyttenbachius Philomath. III. p. 302, ostendens, quas *fabulas* in historia appellaret Cicero, opponi *fictis fabulis:* cuius copiis addantur hi loci, Republ. II, 2, 4. Verr. III, 78, 182. Divin. I, 20, 40. Fin. I, 20, 65. Plin. Epp. VIII, 24, 3. Talia si mutuari a magno viro maluisset Moserus, nec sine delectu omnia

effundere quae ille in Scholis subito dictare solebat, aliquanto melius pietati satisfecisset, neque Madvigio reprehendendi ansam dedisset in Emendatt. I. p. 100.

CAPUT II.

teneo, quam optabam, occasionem) In eadem festivitate ponitur *teneo te*, Acad. II, 48, 148: sed quod ibi praecedit, ex Hortensii persona, *tollendum*, perperam, opinor, Schutzius refert ad anchoras tollendas: nec sane humanum esset, si Hortensius ita significavisset nunc Lucullo et Ciceroni tempus esse abeundi. Contra, *tollendum* quum dicit, nihil aliud intelligit nisi, *vos hic retinendos esse:* nam *tollere* est retinere, *ἐπέχειν*· conf. Acad. II, 18, 60, ubi illa permutantur inter se: itaque ipsius Ciceronis responsum ex ambiguo intelligitur, non ex anchoris tollendis.

neque omittam) Quod Lamb. ex Cod. Memmiano memorat, *amittam*, aliunde non enotatur; et recte spernitur. Docet sane Cortius ad Plin. Epp. VI, 5, 3, tam *amittere occasionem*, quam *omittere* dici: verumtamen, quum interpretandum est *sciens non usurpo*, unum *omitto* rectum est. Hinc multis locis, in quibus nullius momenti est Codd. auctoritas, corrigendum est: sicut Tusc. II, 13. fin. legendum, *omittenda igitur fortitudo est*, non *amittenda*. Contra, quidquid disputat Goerenzius, probandum non puto Fin. I, 17, 56, *omittendis doloribus*; neque enim hoc respondet alteri, *detracta voluptate:* quare aut Ernesti suspicio accipienda (*amittendis*), aut alio modo corrigendum. Sed non audiendus Ernestus, quum in Orat. II, 75, 303 (*sua praesidia dimittunt*) *omittunt* legendum censet: *omittimus* enim quae omnino non suscipimus, *dimittimus* quae prius tenuimus, conf. Planc. 39, 94, fin. Rursus Orat. II, 90, 367, *opus hoc censorium est. Id autem committere, vides, quam sit homini turpe*

censorio: corrigendum puto *omittere*, si recte locum intelligo de redemto, tamquam ex lege censoria, illo munere bipartitae cum Antonio de oratoris officio disputationis.

ut in hoc etiam genere). Non premenda lectio est Cod. M. apud Moserum: *ut nihil etiam in genere*, quae corrupta videtur ex *ut in illo etiam genere*, qualis corruptio alibi quoque deprehensa est.

eorum studiis, qui tuis literis delectantur) Iam hic ordo verborum, (quum prius transposita essent *literis — studiis*) extra controversiam est. Sed, quod Mosero non nisi ex vetustis Editionibus innotuerat, restitui ex optimis meis, *tuis*. Neque enim tam universe historia, quam a Cicerone flagitabatur. Idem Atticus ad Ciceronem, Brut. 5, 19, *conticuerunt tuae literae:* ad Div. XV, 4, 12, *in omni varietate literarum mearum.* Unde apparet nec Goerenzium, nec Moserum intellexisse quid essent *literae:* conf. Philipp. II, 8, 20. In Fin. I, 4, 12, *literis*, prae altera lectione *libris*, Madvigius defendere potuerat e Bruto 3, 13: itaque rursus appellat *literas nostras*, ad Div. V, 19, 2, intelligens libros quos in eam sententiam scripserat. Plura congessit Moserus ad Divin. II, 2, 5, quem locum ad illum de Fin. adhibuit Madvigius, quemque tanto minus sollicitari oportebat a Mosero, quod, si *Graecis de philosophia libris* scripsisset Cicero, non indicavisset id, quod requirebatur, ut totum genus illarum literarum complecteretur. Alter verborum ordo bonae Latinitati vim inferret; si quidem non dicitur *studiis delectari*, non indicato cuius rei, aut eo adiecto, quo genus indicetur, sicut Fin. V, 18, 48, *qui ingenuis studiis atque artibus delectantur:* et Orat. 2, init., *optima studia*, quae opponuntur *opificum artibus.* Est hoc ex inclinatae Latinitatis consuetudine, ut *studia* ponantur pro *literis*, ut fecit Plin. Epp. III, 18, 5: et *studere*, pro *literis studere*, animadversum Cortio ad Salust. Catil. LI, 13, fin. conf.

Ruhnk. in Sueton. Tiber. 61. Ita *studia* Velleio Pat. I, 13, 3. II, 59, 4, et Livio iam I, 18, 2. — Mox, quod unus meorum affert, *sed quoque patriae*, vel ipso ordine verborum damnatur. Nec magis probari potest *per te eadem*, quoniam non quid uni patriae contingeret, sed quid ab uno Cicerone exspectaretur significandum erat.

abest enim historia literis nostris) Creuzerus de suo edi curavit *a literis nostris*, repugnantibus meis quoque libris. Tamen recte dici *abest alicui*, de eo, quo quis caret, ostendit locus Brut. 80, 276, fin., nec fugit hoc Beierum ad Offic. I, 14, 43, quo loco ideo recte editur *abest officio*, quod significat, officium non continet illam agendi rationem, s. (ut dicitur cap. 15, 47) *non est in officio*. Et tamen, eodem sensu, praepositio additur Brut. 55, 203: *sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos*. Nam alio modo, nempe pro alienum esse, non pertinere ad, dicitur *abesse ab* Orat. 11, 37. 20, 67.

et te persaepe audio) Lagom. 10 *audivi:* perperam. Brut. 72, 252: *et ipse ita iudico, et de hoc — saepissime audio*. Cf. Orat. I, 28, 129.

opus — unum hoc oratorium maxime) De hac amplificatione superlativi vid. Orell. ad Planc. 41, 97. et Inttpp. ad Scaur. p. 169. seq. Beier. Ponitur etiam ita, ut verbum superlativi locum teneat: Orat. I, 14, 60, *quod unum in oratore dominatur:* Offic. III, 6, 29. II, 8, 30. Corrupit hanc formam partic. *et* inserta in Orat. III, 27, 105, quam maculam dudum a Pearcio abstersam non oportebat reduci a novissimis editoribus. Orat. I, 24, 112, quare *unum hominem*, non *hominem unum* legendum putem, dixi Schol. Hypomn. II. p. 74. Et Graeci quidem in illa forma hoc servare videntur, ut superlativum praeponant: conf. exempla apud Matthiae Gramm. § 461: nam loci Sophoclei Aiac. 1340 diversa ratio est. — *Opus* aliquoties per contemtum dicitur, ut Orat. I, 16, 73, *declamatorium opus*. Nunc de certo genere et professione

literarum: de Caelii historiis, Orat. II, 13, 54: quo modo maxime frequentatur apud cadentis Latinitatis scriptores.

§ 6. *a nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relicta*) Unus meorum librorum praepositionem omittit ante *nostris:* perperam: nam hic quidem locus non cadit in eam formam, in qua fieri licere hoc demonstrat Madvig. ad Fin. I, 4, 11, siquidem resolvi sententia debet ita, »res quam nostri homines aut ignoraverunt, aut »reliquerunt." — Sed castiganda Goerenzii interpretatio est: siquidem *ignorata historia* est, quam ne suspicantur quidem tanto orationis et dispositionis artificio constare, *relicta*, quam non attigerunt: et sic interpretandum Offic. III, 2, 9, ubi perperam Beier. *relictum* exponit, reservatum in aliud tempus: dicitur enim Panaetius agnovisse quidem, non ignorasse (*suscepisse*) tertiam illam partem, sed non persecutus esse (*reliquisse.*) Et *intelligere quid*, aut *quem*, quemadmodum *ignorare*, i. e. quale et quantum quid sit, exemplis firmatur a Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 16, (ubi vitio operarum citatur Gronov. ad Iustin. XII. 1. quum sit XIII. 1.) *Relinquere* esse, de industria non attingere, intelligitur ex Fin. I, 6, 18. IV, 3, 7.

post annales pontificum maximorum) Gloriatur hic Moserus emendatione sua, ex qua legi vult *maximos.* Equidem laudo Orellium, qui hoc non susceperit. Ut enim per se rectum est *annales maximi*, ita *annales maximi pontificum* idem esset, quod *annales maximi pontificum maximorum*, qua ratione dicat quis *edictum aedilitium aedilium.*

iucundius) Conspirant in hac lectione mei quoque omnes, quam nemo sanus, opinor, nunc defendet, minimeque omnium, quod facit Goerenzius, *suavitatem et delectationem in cognoscendo* (Orat. I, 43, 193) ad hanc scribendi generis censuram conferet. Davisius plura excogitavit: sed nil verius est quam *incomtius*, quod facil-

lime in *iucundius* corruptum fuit. *Ieiunius* Niebuhrius quoque probasse videtur, Hist. Rom. I. p. 278. Ed. 3tiae. Sed agebatur nunc de artificio historiae scribendae, et quam illud esset munus oratorium.

qui tibi semper in ore est, Catonem) Nullam Catonis laudandi opportunitatem facile praetermittit Cicero: conf. Brut. 17. sq.: et memorabile est, in eo ipso sermone pariter de Catone Atticum dissentire, 85, 293. sq.

quamquam — plus habet virium) *Habeat* et Cod. Par. C apud Moser., et Lagom. 10: perperam: neque enim dubitanter, sed definite suum iudicium explicat Atticus.

Fannii autem aetate coniunctus Antipater) Sic libri constanter, nisi quod Lagom. 124. 126. *Fannio*, sicut est in Turnebiana. Ablativum *aetate* vix defendere licet, recteque videntur Editores mutavisse in dativum: nisi forte *aetate coniunctus*, ut *aequalis*, ideo cum genitivo iungitur.

paullo inflavit vehementius) Minime cavillatorium hoc, ut volebat Wyttenbachius, sicut neque id quod subiicitur, *habuitque vires*. Perperam autem Creuzerus hoc componit cum iis, quae de Thucydide dicuntur (*canit quodammodo bellicum*) Orat. 12, 39. Veram interpretationem vidit Goerenz. conferendo Orat. II, 12, 54, de eodem Antipatro. — De *ille quidem*, post Beierum accurate exponit Madvigius ad Fin. IV, 16, 43.

admonere reliquos potuit) Deserenda est auctoritas unius libri α. in quo est *reliquos admonere*: nam non in *reliquis* sententiae pondus est, sed hoc dicitur: »si per»fectum exemplum Antipater non fuit quod reliqui se»querentur, tamen excitari ab eo industria eorum potuis»set, ut novi quid auderent." Tum elegantia dictionis notanda: neque enim intelligitur id, quod ipse Antipater fecerit, aut facere debuerit, sed quod ab aliis, qui eum intuerentur, exspectandum fuerit. Exempla haec sint: Rosc. Amer. 25, 70, de Solone, qui nullum supplicium

constituerat in eum qui parentem necasset, *ne non tam prohibere, quam admonere videretur*, i. e. homines tali lege admoniti fuissent, tantum scelus cogitari posse: conf. fragm. pro Tullio § 9. ibique Beier. Sic pro Coel. 14, 34, fragm. pro Scauro § 4: *primus enim* (M. Scaurus) *me flagrantem studio laudis impulit* cet., i. e. impulsus sum exemplo eius intuendo; praesentem enim nec vidit nec audivit Scaurum Cicero. Pro Sext. 58, 123: *neque poetae — tempori meo defuerunt*, qui non ipsi sua accommodaverunt Ciceronis temporibus, sed quorum versus ita ab histrione pronunciabantur, ut insignis significatio Ciceronis exsisteret. Brut. 75, 262, de Caesaris commentariis, *sanos quidem homines a scribendo deterruit.* Milon. 2, 3, *quorum clamor admonere vos debebit.* Delectantur ea ratione ii potissimum scriptores, qui praegnanti genere dicendi utuntur: Livius VII, 6, 3, de illustri M. Curtii facinore, quem *castigasse ferunt dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque esset:* Tacitus Hist. IV, 20, de Batavis, qui obsequium abnuentes ferro viam sibi muniverant et apud Bonnam profligarant Belgas Romanamque legionem fuderant: *victores, colonia Agrippinensium vitata, nihil cetero in itinere hostile ausi Bonnense praelium excusabant*, i. e. ea res apud Romanos excusatio Bonnensis praelii esse poterat.

Gellii) Satis hi firmantur a viris doctis. Quid Niebuhrium moverit, ut Hist. Rom. I. p. 10. not. ed. 2dae legeret *Gellius*, non intelligo.

nihil ad Coelium) Certatim viri docti exposuerunt de praepos. *ad* in comparatione. Sed contra Madvigium agnosco eamdem vim in Fin. III, 16, 52, *quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum.* Quippe vere differentiam h. l. indicat *secundus*, praesertim in hac Stoicorum disputatione, ex qua illa, quae secundum locum obtinerent, nec bona nec mala, sed

indifferentia erant: praetereaque non tam ordinem significat *secundus*, quam id quod alio modo *exigui pretii* aut *honoris* diceretur: neque ordine ullo *bonum*, et *indifferens* iungi possunt. Sed in ipso temporis ordine sic *ad* poni, apparet ex Bruto 13, 49, *ad nostrorum annalium rationem veteres, ad ipsorum sane recentes.* Satis mirari Handium non possum, qui in Tursellino I, p. 91 eam sequitur rationem, quam Madvigius, et paullo post p. 105 comparationem agnoscit.

languorem atque inscitiam) Recte alterum, *inscientiam*, reprobatur. Quid tamen sit *inscitia*, melius Goerenz. et Madvig. ad Fin. I, 14, 46 explicuerunt, quam Moserus ad h. l.

§ 7. *Macrum*) In reliquis quum summa fide librorum lectionem repraesentandam duceremus, in propriis nominibus non tantum tribuimus librariorum peccatis: itaque Sigonium secuti *Macrum* edidimus ex coniectura, quam satis viri docti defenderunt. *Macrum* in *Marcum* corruptum exhibent Codd. Livii IV, 23, 1: alio modo corruptum Glossar. MS. Bibl. Leid. n° 56, v. *acca. mater historiarum II°* leg. *Macer.* Osannus Analect. Liter. p. 65, legendum putabat *Ateium.* — *Memorem* pro *numerem*, deteriores tantum mei habent, ex correctione, ut puto. Sane *memorandus* erat Macer, utpote historiarum scriptor: verum *non numerandum* esse dicit, i. e. praecipue historici nomine dignum censendum: ne dicam *memorare*, pro *commemorare*, rarissimum esse in Cicerone; cf. Zumpt. ad Verr. I, 122.

Cuius loquacitas — datio summa impudentia) Descripsi locum, ut in optimis meis ferebatur: reliqui nil praeter eas corruptiones attulerunt, quae aliunde iam cognitae erant. In virorum doctorum sententiis de totius loci vel emendatione vel interpretatione tempus non teram: unius Madvigii considerabo opinionem, proditam Emendatt. I. p. 1. sq. Et quod de accusativis quidem (*summam impudentiam*) affirmat vir praestantissimus in optimis codicibus esse,

dubitare licet, quum Voss. uterque A et B servet nominativos: neque tamen hoc magni momenti est, positum quippe in una lineola vel addita vel neglecta. Tum *elatio* recentissimorum librorum videtur esse correctio, apud Gruterum: nam quod Moserus ex Graevii nota MS. memorat sic Voss. habere, in meis certe libris non exstat. Sed videamus ipsam illam lectionem Victorianam, quam commendat Madvigius: *in orationibus autem multas ineptias, elatio summam impudentiam.* Haec si grammatice componimus, vel dicitur Macri *loquacitas multas habere ineptias in orationibus*, (at quae loquacitas non inepta est?) vel Macer ipse *multas habere ineptias*, mutato in verbo *habere* subiecto, contra Tullii consuetudinem et omnem elegantis sermonis normam; quum praesertim rursus tertium subiectum diversi generis (*elatio*) subiiciatur. Sed interest definire quomodo ista, *in orationibus autem*, sint accipienda: video enim Wyttenbachium apud Moserum accipere de orationibus, quas Macer historiis suis interposuisset. Et sane sic Thucydidis *orationes* appellat Cicero Brut. 83, 287; saepius autem tales *conciones* nominat, ut Orat. 9, 30. 20, 66, ut Plinius quoque distinguit Epp. I, 16, 4. Sed primum putida diligentia esset Attici, qui, Macri historias diiudicans, alia eius in narratione rerum gestarum, alia in concionibus vitia orationis notavisset: tum ne credibile quidem est istos historicos eo iam progressos fuisse, ut illum praestantissimorum Graecorum morem imitarentur. Contra mihi videtur Atticus, de aequalibus disputans, quum intelligeret oratoriam facultatem et virtutem requiri in bene scribenda historia, non tantum de Macri historiis, sed de eodem oratore etiam sententiam dixisse, sicuti mox facit in Sisenna: neque alienum est statuere eum ex editis Macri orationibus iudicare: eodemque modo Cicero de Demochare iudicat et ex orationibus, et ex historia quam scripserat, Brut. 83, 286. Quod autem

elationem ei tribuit Victoriana lectio, ideo probandum non est, quod *elatio* in virtute ponitur, sicut in Theopompo, Brut. 17, 66. Nihil nos adiuvant libri: nam *datio*, unde *elatio* effinxerunt alii, et ipsum corruptum est, neque *oratio*, quod habet Lagom. 96 (quodque neglexi notare in Variet. Lect.) difficultatem tollit. Quapropter mihi videtur audaciori coniectura opus esse hac: *in orationibus autem multus et ineptus est, clamator summa impudentia.* Severius multo est hoc iudicium, quam ipsius Ciceronis in Brut. 67, 238: sed non in hoc uno a Tullio dissentire Atticum satis novimus: conf. ibid. § 244 et 292 sqq. — Restat ut castigemus Ernestum, qui *eruditam Graecorum copiam* interpretatur *copias* librorum Graecorum optimorum. Imo sermonis et dicendi copia intelligitur, cui opponitur angustum orationis genus, quo librarioli Latini utebantur.

Sisenna eius amicus) Certissimam esse puto Corradi correctionem, *meus amicus*, coll. Brut. 75, 260. fin.

omnes adhuc nostros scriptores — superavit) Cadit hic locus in eam considerationem, qua usum adv. *adhuc* explorat Madvigius ad Fin. V, 6, 16. Nam hoc quidem loco perfectum *superavit* grammatice quidem refertur ad Sisennam, sed sententia haec est, »nemo adhuc cum »Sisenna conferri potest," aut, »nemo eum assecutus »est. Et sane dici poterat *superat* i. e. superior est: sed maluit perfecto uti, quippe tum de edito opere, tum de mortuo, ut videtur, scriptore sermo est. Locum ad Att. VII, 12, in. recte interpretatur Madvigius: de altero Divin. II, 2, 4 (*adhuc haec erant*), dubito an ista epistolarum more scripta accipienda sint, plane alieno ab illis exordiis. Potius videntur illa e continuatione sententiae explicanda; siquidem iungenda sunt *adhuc haec erant*: *ad reliqua tendebamus* cet. *Nunc* (§ 7) *quoniam de re publ.* cet. — Mox *scriptores* sunt historici, ut Gr. συγγραφεῖς.

nisi qui forte nondum ediderunt) Nihili est quod nonnulli libri deteriores afferunt *forte qui*: minusque etiam probandum *ediderint*, quoniam huic hypotheticae rationi nunc locus non est. Tum recte Goerenz. repudiat quod Cassel. habet; *nisi si qui*, quod idem esset ac si cogitasset simul, si edidissent, tum superiorem futurum Sisennam: plane absurdum. Gronovius ad Liv. IV, 41, 2 perperam citat *qui non ediderunt*, utens hoc loco ad explicandum verbi *existimare* usum, pro iudicare: nempe e meis affertur tum *extimare*, tum *estimare*.

neque orator in numero vestro umquam est habitus) Rursus labitur Wyttenbachius apud Moserum, oratorem appellari Sisennam docens propter orationes historiae interpositas. Numeravit eum oratorem ipse Cicero Brut. 64, 228 in iis qui causas attigissent, cuius loci ne haec quidem verba excusabunt magistrum meum, *huius omnis facultas ex historia ipsius perspici potest;* quippe nullas scriptas reliquerat actiones. Multo melius explicuit *facile superavit:* conf. Duker. ad Flor. III, 14, 1.

neque praeterea quemquam de Graecis) Sustuli levissimam distinctionem, quam ante *de* inseruerat Moserus: itaque defenditur hic ordo verborum prae altero, *quemquam praeterea.* Arctissime enim cohaerent *quemquam de Graecis.* Mox *aliquantulum*, quod deteriores libri habent, nimis minueret Attici reprehensionem.

quare tuum est munus hoc, a te exspectatur) Deserui vulgatam interpunctionem (*munus, hoc a te*), quoniam prima enunciatio carere pronomine non potest, recteque *hoc* cum secunda persona coniungitur, docente Manut. ad Epp. ad Div. III, 10, 7. Sensit idem librarius Cod. Voss. B. Ita Fin. III, 2, 8, *hoc quidem proprium tuum munus est.*

nisi quid Quinto videtur secus) Plato Cratyl. p. 427. D, εἰ μή τι ἄλλο Κράτυλος ὅδε λέγει.

CAPUT III.

§ 8. *sed est quaedam inter nos parva dissensio*) Qui libri iungunt *parva quaedam dissensio*, non attingunt Quinti mentem. Nam *quidam*, arctissime iunctum cum adiectivo, huius vim intendit: cf. Beier. ad Offic. T. I. p. 115. T. II. p. 75. Contra Quintus hoc dicit, esse quamdam dissensionem, sed parvam. Ceterum cum toto hoc sermone operae pretium est conferre Plinii Ep. 8. libr. V, in similis rei dubitatione versantem.

capiat exordium) i. e. capere eum oporteat: quo modo verbum activum explicandum esse saepe, breviter exponit Gronov. ad Liv. XXI, 36, 4. Pro Milon. 2, 3, *ut vobis voce praeirent, quid iudicaretis.* Tum sequens *censeo* activum Infinitivi (*capere exordium*) postulat: conf. Inttpp. ad Liv. II, 5, 1.

ego enim ab ultimis censeo) Neutrum eorum quae ex meis libris afferuntur probari potest, neque *ego quidem*, quoniam explicationem praecedentium illa particula non continet, neque *ego enim vero*, quod non est huic asseverationi locus.

aequalem suae aetatis memoriam) Plerorumque librorum deserendam putavi auctoritatem, qui *aetatis suae* habent, quod oppositionis vis requirebat ut pronomen praeponeretur: et sic Goerenzius. *Memoriam notam et aequalem* sic appellat Brut. 69, 244. Quod ex uno libro enotavi *aetati*, defendi non posse puto, vereque regulam statuisse Ruddimannum II. p. 92 not. 49, *aequalis*, quum de tempore dicatur, cum genitivo iungi. Certe non multum tribuo eiusmodi locis, qualis est Brut. 18, 73, (*Ennius — cui quum aequalis fuerit Livius*) nam virgula, quae superscribi solet, neglecta, pro *cuius* legerunt *cui*.

quibus ipse interfuit) Igitur antiquior auctor est huius locutionis quam Velleius Paterc. II, 114, 3, ubi vid. Ruhnken. Quod Rathius coniecit, *interfuerit*, non tan-

tum, ut Mosero videbatur, praeter necessitatem est, sed mutaret sententiam loci; quippe neque causa redditur per relativum, neque restringitur id quod praecedit, sed mera definitio est.

in hac memoria) i. e. illorum temporum quorum nos meminimus. Ita Verr. II, 60, 146, *toties apud maiores nostros, toties hac memoria.* — Quod ex 96 enotavi, *atque in hac aetate*, multum abest ut spernendum sit. Non attinet quidem huc transferre quae viri docti de iteranda praepositione praeceperunt: conf. Madvig. ad Fin. p. 75. sq.: nam simplex ablat. *aetate* recte se tuetur. Sed duo praeterea offendunt in vulgata: primum, quod *nostra* abundat post *hac*, quod eiusdem potestatis est: tum quod vix Latinum videtur *sunt maximae res in hac memoria.* Cui vitio succurremus, legendo *atque hac aetate gestae.*

in illum et memorabilem annum suum) Neque hoc ferri potest, nec nuda coniunctio *illum memorabilem*, (quippe idem utrumque significat,) multoque minus Turnebi coniectura *illummet*, nulla ratione commendata nisi palaeographica. Et *memorabilem* quidem per se offendit, quod non decebat nunc hoc adiectivo, quod de clarissimis rebus usurpari solet, annum Ciceronis ab Attico ornari. Suspicor fuisse qui *incurret in* interpretaretur verbo *memorabit*, indeque ortam esse inutilem prorsus hanc cumulationem.

quae ab isto malo praedicari) Tam bene repudiatum est *quem*, quod multi libri habent, quam *illam* in Milon. 7, 18, *sed quid ego illa commemoro*, ubi frustra Peyronus *illam* defendebat. Verr. II, 38, 95: *rem ad amicos suos detulit: quae ut erant acerba* cet. Sed tam ista nota sunt, ut pudeat confirmare. — Quod *ab isto* maluit, quam *ab ipso*, non video quo modo defendi possit: non enim tam demonstrativo pronomini nunc locus erat. Equidem confidenter reponam *ipso.*

ut aiunt, de Remo et Romulo) Proverbialiter praepo-

nitur haec formula, *ut aiunt:* sicut Parad. VI, 1, 44. Offic. I, 44, 158. Orat. II. 44, 186. Catilin. I, 6, 15, *quot ego tuas petitiones — parva quadam declinatione, et, ut aiunt, corpore effugi.* Sed quid est *corpore effugi?* aut cui oppositum? Legendum: *declinatione, ut aiunt, corporis effugi.* Totus locus ex metaphora a palaestra adumbratus est. Sic absolute *declinare* ponitur Sext. 34, 73. Eodem modo *ut dicitur* poni, ante Beier. ad Offic. I, 23, 80 (ubi eiusdem generis metaphora est) docuerat iam Servius ad Aeneid. IX, 276, locum apponens ex hoc ipso I Legg. 18, 49. De tollenda formula *ut aiunt*, Beiero ad Lael. 5, 19 non assentior.

quem non recusarem) Mutavi distinctionem, quod ab isto relativo refutatio inchoatur; ut vere de illo genere monuit Madvig. Ep. Crit. p. 86. fin. Et hoc modo explicandum est infra cap. 14, 40, *quorum tamen nemo.*

vacuum tempus et liberum) Non attinet haec distinguere, ut alterum *occupatae operae*, alterum *impedito animo* opponatur. Dicuntur talia per cumulationem, et permutantur adeo inter se. Fin. I, 10, 33: *nam libero tempore, quum soluta nobis est eligendi optio, quumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus.* Orat. III, 15, 57 (cuius loci reliqua alias tractabo) *homines — vacui ac liberi temporis.* Verr. Act. I, 9, 26: *animo coepi multo magis vacuo ac soluto, nihil aliud, nisi de iudicio, agere et cogitare.* Verr. II, 75, 185, *ubi animo semper soluto liberoque erat.* Et utitur iisdem adiectivis in utraque re: Republ. I, 9, 14, *nactus es otiosiorem opera, quam animo.* Offic. I, 4, 13, *negotiis curisque vacui.* — Quod Goerenz. edidit *ac liberum*, mei quoque libri ignorant: nec video cur praeferendum sit. — Nec magis idem audiendus, quum *occupata opera* interpretatur *ante, praeoccupata. Occupata* opera dicitur praesentibus negotiis, ut *occupata tempora*, Planc. 27, 66.

§ 9. *cetera, quae scripsisti plura quam quisquam e nostris*) i. e quae scripsisti, quae plura sunt, quam scripsit quisquam. Eamdem breviloquentiam agnosco in Fin. I, 21, 71, *si omnia dixi hausta e fonte naturae*, i. e. si omnia, quae dixi, hausta sunt —: neque opus est ut cogitetur *hausta esse*, quod vult Madvigius. Ita Planc. 1, 3, *labores, quos in hac causa maiores suscipio quam in ceteris*, i. e. quos in hac causa suscipio, quique maiores sunt. Quod significatur verbis *quam quisquam e nostris*, referendum videtur ad Ciceronis aequales: Cato certe plura volumina reliquerat, conf. Brut 17, 65. Sed Catoni ipsi aemulatum esse Ciceronem in hoc genere, coniicias e Planc. 27, 66.

subsiciva quaedam tempora) Pron. *quaedam* adiectum indicat, puto, novitatem metaphorae, ut tempora *subsiciva* appellentur. Ideo infra cap. 4, 13, *subsicivis, ut ais, temporibus:* et Orat. II, 89, 364, *subsicivis operis, ut aiunt:* at sine illa formula Philipp. II, 8, 20, loco cum praesenti comparando. Quod Offic. II, 1, 4, dicitur *scribendi otium non erat*, referendum ad ambitionis tempus et ad philosophiam: quo loco (*quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus*) nullam rectam agnosco syntaxin, nisi legatur *ex amicorum* —: certe Divin. in Caecil. 13, 41, *omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur.* Sed quaecumque istic compositio verborum grammatica defendatur, non concedendum arbitror Beiero, *tempora* interpretanti pericula: neque enim proprie conditio amicorum aut rei publicae, sed negotia ipsa tempusque iis destinandum, dici poterant aliquantum *loci* (i. e. temporis) philosophiae relinquere. — Mox *incurrere* dicitur pro ita contingere et accidere, ut nec dedita opera expetiverimus, nec principio exspectaverimus id, quod *incurrere* dicitur: qua ratione et aliis omnibus locis, qui apponi solent, interpretandum est, et Fin. I, 19, 62.

si qui dies — dati sint) Alterum, quod libri deteriores habent, *dati sunt*, neque in directa, neque in hac suspensa oratione ferri poterat, propterea quod non certa conditio, sed incerta est. Istas rusticationes obiiciebat Clodius Ciceroni: cf. fragm. in Clod. et Curion. p. 101. Beier.

ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus) *Accommodarentur*, quod praeter Paris. C apud Moserum, habet quoque Lagom. 10, nulla ratione defendi potest. Ceterum bene Wyttenbachius (contra quam Goerenz.) *eorum* refert ad *dies:* sed perperam idem huc trahit illud de Tusc. I, 4, 8, *dierum quinque scholas in totidem libros contuli:* aliud est enim tempus habitae disputationis fingere, aliud tempus ad scribendum sumere.

nec institui potest) Quod ex Asc. 2 memorat Moserus, *nec institui quidem p.*, accedat iis locis, quorum deteriorem lectionem explicat Madvig. in Excurs. III. ad Fin. p. 814. Sed ne alterum quidem, quod duo Lagom. afferunt, *ne institui quidem p.*, huius loci est, ne si sequeretur quidem, *multo minus absolvi*. Utrumque enim, et *instituere*, et *absolvere*, adiectis praesertim iis quae definiant, pari loco esse statuitur.

nisi praeparato otio) Lagom. 96 *sine praep. otio.* Alias part. *nisi* corruptiones notavi Bibl. Crit. N. V. 1. p. 29. sq. Quod alii exhibent libri *non praep.*, non satis excludit illa *tempora subsicíva.* Ceterum non intellexit Moserus elegantem locutionem, quum corrigi vellet *praeparata*, quasi materia historiae (sic ait) ante per otium esset comparanda. *Otium praeparatum* opponitur iis temporibus, quae ad otiandum *incurrunt*, intelligiturque eiusmodi otium, quod concessum nobis iri ante novimus, cuique et cogitationes et argumentum studiorum destinare certo potuimus.

quum, semel quid orsus, si traducor alio) Ex meis libris Ambr. β et quatuor Lagom. (quorum tamen unius

tantum 65 ratio habenda est, ut praestantioris) omittunt *si*. Ego unice probo *sic traducor alio*, (in quod incidit etiam »nescio quis" apud Orellium,) i. e. repente: requiri puto hoc, quo melius interruptae operae molestia significetur. Non ubique agnosci puto *ita* haud dissimili poni ratione. In Planc. quidem, 23, 55, *qui ita semper testimonium de ambitu dicunt*, non cohaeret cum sequ. *quasi*, sed per se significat nullo discrimine personae aut criminis, ut modo dixerat *communes inimici reorum omnium*: conf. quos citat Garaton. ad Planc. 26. fin.

§ 10. *ista oratio*) Recte quidem repudiatur id quod Car. Steph. ex uno libro memorabat, *historia*: sed propius tamen hoc ad loci sententiam accedit, quam virorum doctorum interpretatio, »ex his, quae dicis, requirere »videris." Nimirum *ista oratio* est istud scribendi genus, aut compositionis. Orat. 11, 37: *quoniam plura sunt orationum genera — laudationum, scriptionum, et historiarum, et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum*: quo loco non parendum Lambino est, qui *scriptionum* et *suasionum* transponebat: nam et Panegyricus e genere *συμβουλευτικῷ* est, et *scriptionum*, ut generis, *historia* veluti species est. In Aquila Rom. p. 158, corrigendum *historiae scriptioni*, pro vitioso *descriptioni*: mirorque Ruhnkenium maluisse *historiae et descriptioni*: unam historiam cogitasse (et quid ab ea differt narratio?) rhetorem, satis docet locus Ciceronis, unde sua expressit, Orat. II, 15, 64. Quid in descriptione eius orationis sit *tractum et fusum*, non intellexit Catanaeus ad Plin. Epp. V, 8, 10.

cessionem liberam atque otiosam) Ex A manifesto apparet *cessationem* deberi correctioni, quam multi alii libri susceperunt. Et reliquos viros doctos nunc non moror: sed Madvigium satis mirari non possum, qui Emendatt. I. p. 89, illam correctionem praetulerit. Quaero enim, quid effecturus is sit, qui *cessat*, id est, nihil

agit? et quo modo *cessatio* omnino *libera et otiosa* recte appelletur? *Non cessare*, de Varrone, qui magnum opus in manibus habebat, ponitur Acad. I, 1, 2. Ad Div. XVI, 22, 1: *ego hic cesso, quia ipse nihil scribo.* Conf. ibid. 26. fin. ad Att. II, 7, 1. Et requiritur sane eiusmodi nomen, cuius tamquam genere libera legatio velut species contineatur, id quod minime in *cessationem* cadit. Contra Philipp. I, 2, 6, *quum haberem ius legationis liberum, ea mente discessi, ut —.* Non poterat tamen *discessum* appellare, quod nomen in certo genere *profectionis* et *absentiae* usurpare solet Cicero: conf. in Pison. 14, 31. 15, 33. 16, 37. Et *cedere* quum saepe ponatur de voluntaria profectione et absentia, non video cur rem ipsam *cessionem* non recte potuerit appellare, etiamsi hoc uno tantum loco: eique multo melius opponitur id, quod in sequentibus intelligitur, domi manere, quam *cessatio.*

aetatis — vacationi) Nondum hoc postulabat Cicero anno post consulatum: conf. pro Sull. 9, 26. Hanc spem, ut alias cogitationes, accommodavit Crassi personae in II Orat. 33, 142. sqq. conf. I, 45, 199.

quum praesertim non recusarem) i. e. quam vacationem tanto magis mihi concessum iri sperabam, quum non recusarem cet. Hanc vim istarum particularum accurate, exemplis excitatis, persecutus est Madvigius ad Fin. II, 8, 25. Attigit vir praestantissimus in ea disputatione eum quoque locum, quem tractaveram Bibl. Crit. N. V. 1. p. 178 sq., Orat. 9, 32, de Thucydide: *nec vero, si historiam non scripsisset, nomen eius exstaret, quum praesertim fuisset honoratus et nobilis.* Madvigius interpretatur: »nec Thucydidis, quamvis fuisset honoratus et nobilis, nomen ad posteros exstaret, nisi historiam scripsisset.” Hanc interpretationem si rursus interpretari licet, hoc dixit Cicero: »honores ac nobilitas nullo modo nomen famamque conciliavissent Thucydidi, nisi historiam scripsisset.” Video per grammaticam

rationem locum sic accipi posse: malo tamen, pristina sententia repudiata, particulas istas sic interpretari: »quod »tanto magis mirandum esset, quum fuisset honoratus." Nam eorum etiam, qui res publicas tractantes Athenis nil scriptum reliquissent, saepe per traditionem illustria aut acute dicta ex actionibus servabantur, et in rhetorum disciplina praedicabantur, quorum plena sunt Aristotelis Rhetorica: in primisque valet hoc de illa Atticae eloquentiae aetate, quum principes viri nullas scripto mandarent actiones.

sic enim vero mihi liceret —) Corrupta fuit haec scriptura in uno Cod. apud Schefferum, *sic enim veri*. In Lagom. 39. *mihi* omissum, postea additum est, sed *vero* servatur. Nec video, cur haec maior asseveratio repudietur; quippe haec, praecepta spe istius otii, quasi triumphans Cicero pronunciat. — Mox tam *desiderabas* ex *s*, quam *desiderabo* e Paris. B apud Moserum, vitiosum est: sed aptius fortasse Marcus utrique respondens dixisset *desideratis*.

CAPUT IV.

§ 11. *ne istam causam nemo noscat*) *Noscere*, i. e. admittere, accipere, bene interpretantur Goerenz. et Schefferus, ut dudum ante docte explicuerat Gronov. Lect. Plaut. p. 356. Ad Div. IV, 4, 1: *accipio excusationem tuam —: illam partem excusationis — nec nosco, nec probo:* unde apparet diversa esse. Haud dissimili ratione alii scriptores usurparunt. In Tacito Hist. I, 68 verum est *non arma noscere*, frustra tentatum ab Heinsio. Nec aliter intelligendum in Floro III, 7, 1, *si vera volumus noscere*, bene interpretante Freinshemio, quem tamen non oportebat *noscere* et *nosse* confundere, ad I, 8, 6, ubi quod dicitur, plane convenit cum Cicerone Legg. III, 18, 41, *nosse rem publicam*. Sed hoc ipsum

nosse, cui opponitur *ignorare* (Fin. II, 3, 8. init.), minus recte, puto, exponitur a Madvigio in eiusdem loci sequentibus verbis § 8: *verum hoc loco sumo, verbis his eamdem certe vim voluptatis Epicurum nosse, quam ceteros.* Nam *verbis his*, quod absolute poni putat, pro, quum his verbis utitur, nullo exemplo hunc ablativi usum confirmari posse existimo: si quidem in Tusc. III, 18, 42, intelligendum est e praecedd., *haec quidem his verbis dicit.* Contra, *his verbis eamdem nosse vim voluptatis* est, his verbis statuere, probare eamdem vim cet. Et hoc indicari verbo *nosse*, ipsa loci sententia flagitat; quippe agitur de eo, qualem intelligi voluptatem a se suis ipse verbis declaraverit. Quod autem Madvigius *nosse* interpretatur, ostendere se nosse, (i. e. agnoscere), non animadvertisse videtur non posse hoc ad seqq. (*quam ceteros*) trahi; quippe *ceteri* illi non ostendebant, sed intelligebant, statuebant eam vim voluptatis.

et eo magis, quod te ipse mutasti) Non ausus sum recipere quod libri mei non spernendi habent, et nonnulli apud Moserum, *quo te ipse m.* Certe, qui unus locus ab Handio Tursell. Vol. II. p. 416. affertur e Cicerone, ad Div. III, 11, 3, ibi in Orelliana editione sine ulla varietate legitur *quod:* utrobique prima consonans sequentis vocabuli fraudem fecisse videtur librario: conf. Beier. ad Offic. III, 22, 88. p. 348. — *Mutandi* et *commutandi* verbis, in eadem re utitur Brut. 91, 314 et 316. — Quod autem adiicit, *aliud dicendi instituisti genus*, intelligendum de *remissiore dicendi genere*, quod excusat pro Sext. 54, 115. coll. ibid. 44, 96: sicuti postea appellavit *senis sermonem quietum et remissum*, Senect. 9, 28. — Sed *instituere aliud dicendi genus* dubito an recte dicatur, pro, *incipere alio dicendi genere uti.* Et *instituere quid* sic dicitur de eo, qui primus alicuius rei aut artis auctor est: sicut *leges instituere* (Orat. I, 13, 58), *artem rei instituere* (ibid. 41, 186), *historiam instituere* (Legg. I,

3, 9. ad Div. V, 12, 2. init.) Atqui Cicero non condebat novum dicendi genus, sed ista aetate genus dicendi diu cognitum ad causas transferebat, quod ante non fecerat. Hinc suspicio mihi nata est, corrigendum esse *induisti*, sicut dicitur aliquoties *personam induere.*

Roscius — in senectute numeros in cantu cecinerat, ipsasque tardiores fecerat tibias) Perperam Roscii nomini praenomen additur, Q. in A., P. in B. et Havn. apud Moserum: neque Divin. I, 36, 79, ex ullo Cod. notari praenomen video. — Vitiosum *cecinerat* reliqui propter magnum librorum consensum. *Ceciderat*, quod antiquae habent Editiones, afferunt etiam Lagom. 47, 124, 126, quibus numeris suspicor editiones indicari: sed eamdem coniecturam probatam videri Mureto, annotavit Ruhnken. ad Muret. Opp. T. I. p. 319, ipse »nihil certi" addens. Scilicet probari *ceciderat*, quod tamen plures fuerunt qui defenderent, ideo non potest, primum quod *caedere numeros* nusquam dicitur: *concidere numeros* dixit Cic. Orat. 69, 230 (*sunt etiam qui illo vitio — infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abiectum incidant;* ubi certe corrigendum *frangendis:* nam *infringere* poni solet ut imminuere, detrahere, ut *gloriam*, Milon. 2, 5, *florem dignitatis*, Balb. 6, 15, *spem* Orat. 2, 6: atqui numeri non minuuntur, sed *franguntur*, i. e. in minuta conciduntur, quemadmodum *frangere* ponitur Fin. II, 9, 26.) Sed ipsum illud *concidere* non erat eius qui aliena pronuntiaret, sed qui sua conderet. Magnum sane praesidium Lambinianae coniecturae *remiserat* praestare videtur Orat. I, 60, 254, ubi in eadem re de Roscio dicitur *cantus remissiores facere:* eamque propterea quoque veram esse existimo, quod inde corruptum videtur *retinuerat* in Lagom. 10. Et *numeros in cantu remittere* nihil aliud est, nisi, minori contentione versus pronunciare.

quotidie relaxes aliquid) Adeo non spernenda est cor-

rectio in B., in quo est *relaxis*, ut fere opus esse credam sententiae continuationem sic mutare, *et*, *quemadmodum Roscius — sic tu — quotidie relaxas aliquid.* Neque enim istud *relaxare* in eventu mutati generis dicendi ponitur, sed modum describit.

ut iam) Quae hic in meis nonnullis, et in Goerenzii libris est corruptio, *utinam*, eamdem Erl. habet in Fin. IV, 24, 66. Nihili autem est, quod coniicit Goerenz., *ut iamiam*. Sed castigandus est Handius, qui Tursell. Vol. III. p. 139. fin. in hoc ipso loco particulas *ut iam* sic coniungi dicit, quasi esset *ut hoc ipsum efficiatur*. Imo *iam* per se in hac compositione significat praesentem statum rei, sicut ex ante memoratis oriebatur, aut ex ante disputatis conficiebatur et concludebatur: neque diversum est exemplum infra cap. 7, 23. et Orat. 17, 56: corruptum locum Acad. I, 12, 45, melius omisisset. Alios Handii errores indicat Madvig. ad Fin. l. c. Alienissimo autem loco Moserus, e vitiosa lectione Cod. M., in sequentibus, *tibiam causis*, *iam* intrudere volebat, legendo *tibi iam a causis*.

a philosophorum lenitate) *Lenitatis* esse remissum illud dicendi genus, satis cognitum est. Perperam olim tamen *lenitas* legebatur in Opt. gen. orat. 2, 5: *verborum structura quaedam, duas res efficiens, numerum et laevitatem*, sicut bene nunc edere solent. Sed eodem modo, etiam sine libris, corrigendum est Brut. 25, 96, de M. Aemilio Lepido Porcina, quem summum oratorem appellat: *hoc in oratore Latino primum mihi videtur et laevitas* (non *lenitas*, ut sine ulla varietate editur) *apparuisse illa Graecorum, et verborum comprehensio, et iam artifex, ut ita dicam, stilus*. Non enim de genere dicendi agitur, sed de structura verborum, unde numerus oriebatur, et periodus: conf. Orat. III, 43, 171. Orat. 5, 20. Contra vitiose Lagom. 39 *a philosophorum levitate*.

quod sustinere —) Relativum non ad *lenitatem*, sed

ad totum illud, quod dixerat de mutato in Cicerone dicendi genere, refertur.

nullam tibi a causis vacationem video dari) Interpretatur Wyttenbachius, datum iri. Non recte: neque enim quisquam, ne populus quidem, *daturus* erat illam vacationem, sed poterat illa vacatione uti Cicero probante populo. Verum hoc dicit Atticus, nullam aetatem excusare poteris, quae tibi istam a causis vacationem det.

§ 12. *posse id populo nostro probari, si te — dedisses*) Notanda syntaxis, ex qua pronomini *id*, ad explicandum, pro accusat. cum Infinitivo, subiicitur *si* cum finito verbo. Sic Tusc. III, 31, 76, *Chrysippus autem caput esse censet in consolando detrahere illam opinionem maerenti, si se officio fungi putet iusto atque debito*, pro *opinionem, se officio fungi putare.* Immerito Bentleius hanc dictionem proletariam et sordidam appellat, nec macrologiam intellexit, *opinionem, si putet.* Ad Div. III, 8, 3. fin.: *iam non tam mihi videntur iniuriam facere ii, qui haec disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent*, i. e. quam esse aliquem cuius cet. Verr. III, 91, 213: *ut multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quam si defendere possit nihil in vita se M. Antonii simile fecisse*, i. e. quam posse defendere: ex qua ratione non perspecta fluxerunt inutiles Manutii et Schutzii coniecturae. Manifestum est autem sic vitari concursum duplicis structurae per accus. et Infinitivum, quod aliis in locis fit per part. *ut.*

quum placebit, experiundum tibi censeo) Quod Lagom. 124 et 126, tum Ed. Commelin., habent, *tibi id censeo*, debetur sane interpolationi. Sed quod Ed. Ven. et nonnulli libri sic verba transponunt, *quum placebit tibi, experiundum censeo*, haud scio an praestet vulgato ordini.

id si quidem, Quinte, nullum esset in experiundo periculum) Goerenzius, qui, probante Mosero, perquam in-

eleganter interpretatur, *si id (experiri) nullum esset in experiundo periculum*, defendi posse putat absurdam subiecti cum praedicati expositione confusionem hoc exemplo ex Nat. D. II, 9, 25: *eaque (terra) hieme sit densior; ob eamque causam calorem insitum in terris contineat arctius:* de quo loco difficili et corrupto fortasse nunc non attinet plura dicere: tantum affirmo, pron. *eaque* non ad *terram*, ne per grammaticam quidem, referri posse, sed ad *vim caloris*, *quae* hieme *densior*, i. e. intentior esse dicitur. Alterum exemplum, Fin. I, 1, 3. init., diu virorum doctorum prudentia, et nuper acuta Madvigii disputatio sustulit. Nec melius est, quod de synchysi, ut appellat, excogitat Goerenzius, *si quidem id nullum esset periculum:* et tam Divin. II, 16, 36 *ut* ab *accidere* (non ab *id*), quam infra cap. 12, 34, a *sit necessarium* (non ab *illud*) pendet. Madvigius locum hunc tractans Emendatt. p. 3, *id* abiiciendum censet (quod occupaverat, scilicet, iam Garatonius ad Milon. 18:) rationemque affert hanc, quod Latini responsionem aliorum verbis subiiciunt nulla interposita affirmandi negandive particula. Sed primum, non est affirmandi particula *id*, nisi ex ea interpretatione, quam ipse reiicit. Tum, ubi *si quidem* responsionem inchoat, sequitur illud ipsum, quod alter affirmarat, et de quo is, qui respondet, dubitat. Cuius generis est hoc, Fin. III, 4, 13: *nonne tibi faciendum idem sit — tollenti? Si quidem, inquit, tollerem; sed relinquo.* Milon. 18, 48. Nat. D. II, 36, 91: *at Latine loquitur. Si quidem nos non quasi Graece loquentem audiamus.* Haec igitur ratio si nunc valeret, necesse erat ut Quintus dixisset, *tuto poteris experiri.* Contra, Marci dubitatio non ad proxima illa (*experiundum censeo*), sed ad remotiora (*posse id populo probari*) refertur, additumque pronomen *id*, quo illa significentur. Igitur *id siquidem*, est, *si id populo probaretur:* cui conditioni subiicitur apodosis, *nullum esset in experiundo periculum:*

quae aptissime respondent Quinti verbis, » potest hoc po» pulo probari, igitur experiundum." Nullum quidem coniunct. *siquidem* ita suspensae mihi e Latinis literis succurrit exemplum; sed Graecos ita *εἴπερ* ponere, docet Heindorf. ad Platon. Parmenid. p. 150, B: et fit eadem ratione, qua *quippe* suspenditur.

laborem — causarum operam) Intelliguntur de opera in causis cognoscendis ponenda, et in meditandis pronunciandisque actionibus. De M. Messala, Brut. 70, 246, *in causis cognoscendis componendisque diligens, magni laboris, multae operae, multarumque causarum.* Neque alio modo intelligere debebam *laboris et fori discipulum*, Planc. 34, 83, fin., quod perperam interpretabar Bibl. crit. N. III. p. 84.

causarum operam, ad quam ego numquam —, sine qua ad nullam maiorem umquam causam sum ausus accedere) Aliquoties in ipsis actionibus idem dicit, veluti Divin. in Caecil. 13, 41. Verr. I, 40, 103: *nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus.* Iam intelligitur nihili esse, quae e meis libris afferuntur, *apparatus* et *praemeditatus:* numquam compositum *praemeditari* de illa oratorum commentatione usurpatur. Sed quamquam bene Latine ista (*ad quam ego — accedo*) dicta sunt, nihilominus incommode hic poni puto. Primum enim, quum *causarum opera* maximam partem contineatur ipsa illa praeparatione et meditatione, quomodo ferri potest, ut dicat se ad illam *operam* non nisi *paratum et meditatum accedere?* Praesto esse dicat quis, quo huic incommodo occurratur, si legatur *ad quas*, nempe causas. Non satis est: nam inutilia et putida propterea quoque ista sunt, quod idem suo loco mox dicitur, *sine qua dicendi cogitatione* (quae ipsa praeparatio et meditatio est) *ad nullam maiorem umquam causam sum ausus accedere.* Restat ut verba illa, *ad quam — accedo*, deleamus: quibus sublatis concinnius etiam et magis ex Ciceronis consuetudine

ad *illam causarum operam* statim adiungitur *haec iuris interpretatio.* Non est hoc librarios castigare, aut male sedulos annotatores, sed ipsum Ciceronem, qui hos praecipue libros non ea cura absolvit, qua ceteros solebat quos ederet.

quae non tam mihi molesta sit — quam quod — auferat) Coniunctivi explicandi ex relativo, in quo inest causae significatio: itaque ne *auferat* quidem suspensum est ex *quod*, sed continuatur Coniunctivus, quoniam tota enunciatio ex *quae* pendet.

dicendi cogitationem) Bene exponit Ern. in Clav., esse commentationem et meditationem. Variata oratione sic coniungit ad Div. IX, 20, 1: *omnem nostram de re publica curam, cogitationem de dicenda in senatu sententia, commentationem causarum abiecimus.* Quod Cicero detrectabat, praedicavit in Rutilio, cuius quum multam *operam*, multamque *industriam* laudavisset, (quarum utraque ad causas pertinet) eum propterea gratiorem fuisse addit, *quod idem magnum munus de iure respondendi sustinebat*, Brut. 30, 113.

§ 13. *his subsicivis, ut ais, temporibus)* Non video quid *haec* subsiciva tempora dicantur: modo enim, cap. 3, 9, universe dixerat tantum *subsiciva tempora incurrere*, quae perire non pateretur: nec statim hoc ad praesentem rusticationem referre voluisse Atticum credibile est. Ed. Ven. *nobis his* omittit, ut Paris. C. et Cod. M. apud Moserum, Lagom. 10. *his;* quod probandum videtur.

nam a primo tempore aetatis — Scaevolam ventitarem) Non intercedo, quominus *nam et* legatur, quamquam meis quoque optimis libris refragantibus: nisi quod praep. *a* tollenda erit, quae si servatur, perpetuum studium indicaret, quod neque per se, neque propter sequentia ferri potest. Alio modo de philosophia scribit ad Ser. Sulpicium, ad Div. IV, 4, 4, *a prima aetate me omnis ars et doctrina liberalis et maxime philosophia delectavit.*

Aliud est, in quo offendo, *iuri studere*, quod Latine dici non puto, pro *iuris civilis scientiae studere*, ut saepe dicitur *arti studere*, et *literis*. Suspicor, propter extremam praecedentis vocabuli syllabam excidisse pronomen, legendumque esse *isti arti studere*. Maiorem etiam molestiam creant postrema, *quum ipse etiam ad Scaevolam ventitarem*. Frustra quaesivi in Onomastico Tulliano, an hinc enotavisset Orellius Atticum adolescentem ad Scaevolam ventitasse: et recte omisit, si consilio fecit: multa enim obstant, quo minus locus hic recte scriptus videatur. Quid enim hoc est, *memini te isti arti studere, eo tempore quo ipse ad Scaevolam ventitarem*? (nam *quum* non potest esse causale h. l.) Quasi unus hic tamquam ludus esset iuris civilis discendi, apud Scaevolam, ut qui ad hunc ventitaret, necessario reliquos omnes, qui eodem studio ducerentur, ut condiscipulos noscere debuisset. Porro, quid est *ipse etiam?* qua particula (*etiam*) proponitur res admiranda, quamque velut extremum quid designare volumus. Tam igitur admirabile fuisset, si *ipse* Atticus ad Scaevolam ventitasset? Contra, quanto studio iuris civilis Cicero tum duceretur significare voluisse videtur Atticus eo, quod ad Scaevolam etiam ventitavisset, qui, *quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen, consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat*, Brut. 89, 306: nam ne extra quidem talem disciplinam abdita ista erant, conf. Orat. I, 43, 192. Hinc accipio id, quod offert C. in quo *cum* corrigitur in *qun* i. e. *quin:* legendumque censeo, *quin ipsum etiam ad Scaevolam ventitare:* minus enim commode ex uno Ambrosiano affertur participium *ventitantem*.

in longum sermonem me vocas) *Vocas* mei optimi habent: et bene factum quod Goerenzius et Moserus a corrigendo abstinuerunt: nam et *revocas*, quum nunc primum quid sibi videatur explicaturus sit Cicero, alienissimum est, et *evocas*, quum praesens adsit Cicero,

ridiculum etiam est. Meminisse poterant notissimi illius in Bruto 87, 297, *longi sermonis initium pepulisti*, quod expressum e Platonico Rep. V. p. 450. A, *ὅσον λόγον — κινεῖτε*, non neglexit conferre Gronov. ad Liv. III, 30, 4. — *Sermonem* quod appellat, visus est nonnullis sui ipse oblitus esse Cicero, quum non ut nunc disputaret, sed ut *conscriberet de iure civili* modo admonitus esset. E quibus quaero, num hoc opere contineatur iuris civilis interpretatio? hanc enim exspectabat a Cicerone Atticus. Contra responsurus nunc est Cicero quare istiusmodi scriptionem non suscipiat, et quid de iure civili sentiat: conf. hoc cap. extr.

nisi Quintus aliud quid nos agere mavult) Lagom. 39. *quid aliud quam id*, ortum ex opinione post *aliud* necessario *quam* requiri: unde corrupti quoque plerique libri infra cap. 8, 25, ut ibi annotabo. — *Maluerit*, quod e duobus meis, et Paris. C apud Moserum affertur, nulla ratione defendi potest.

et quoniam vacui sumus, dicam) *Dicam*, sic absolute positum, est infra quoque III, 15, 33. Fin. II, 3, 8. Explicatius sane loquitur Acad. I, 2, 4, ubi tamen corrigendum *et ea dicam*, pro *sed e. d.*: quae enim adiiciuntur satis ostendunt omnia in promptu habuisse Varronem, quae responderi necesse esset. Ceterum in hoc quoque praeivit Plato, ut in principio sermonis otium illud requiri a colloquentibus fingeret: cf. Phaedon. p. 58. D. Theag. init.

§ 14. *quum satis erit ambulatum*) Optimi libri servant simplex *ambulatum*: neque novissimi editores refutarunt Ernestum, qui, si *deambulatum* legatur, adv. *satis* supervacuum fieri dicit. Et sane infra II, init. non nisi duo deteriores libri afferunt *deambulatum*: et Cato, apud Cic. Orat. II, 63, 256, certe non sine causa, quum dixisset *eamus deambulatum*, in adversarii reprehensionem incidit; adeo ut compositum praeter consue-

tudinem fuisse videatur. Goerenzius ex eodem loco contrarium efficit: non ita Turnebus, cuius maius est acumen.

nos vero: et hac quidem adirem si placet) Minori certe offensione edidissem *adire:* sed nondum ita expediebatur haec difficultas, quod *adire* Infinitivus dure admodum suspenditur ex *volumus*, quod in *nos vero* commode intelligatur, minus etiam locum habebit, si *nos vero pergamus* intelligimus: tum improprie *adire ad spatia* sic dicitur. Senserat Ernestus, qui *adire*, ut glossam, tollere volebat. Nisi quis utrumque incommodum tollat, (neque enim sustulit Wagnerus, qui, laudantibus Goerenzio et Mosero, *adire si placet*, sine distinctione edidit: multoque minus Davisius, qui, probante Creuzero, *adite* corrigit) facillime corrigam *ad Lirem* i. e. apud Lirem, sicut *ad Tiberim* dicitur; et tum *ad*, tum *apud* poni, docuit Stuerenbergius ad Arch. p. 127. sq. *Si placet* non oportebat a nonnullis omitti. Multis partibus conferendus est hic locus cum Fin. III, 2, 9: *sic; et quidem diligentius saepiusque ista loquemur inter nos —. Sed residamus, inquit, si placet.*

egone? summos fuisse —) Non difficile erat, quod fecit Goerenzius, hanc lectionem confirmare; et mirari licet Ernestum in illa forma haesisse. Sed laudo praeterea Goerenzium, quod in Fin. III, 3, 11, *egone? quaeris, inquit, quid sentiam?* verba *quaeris* et *quid sentiam* deleri voluit; quae Madvigius defendens, ita, inquit, »cum admiratione interrogat Cato, hoccine quae»rat Cicero." Sed neque ulla admiratio quaerenda in his erat, et *egone?* per se, non quidem cum affectu, ut ille vult, sed ita dicitur, ut responsum exspectandum sit praeter exspectationem eius, cui respondetur. Codicum, qui in huiusmodi locis fere interpolati sunt, (ut h. l. *ego memini fuisse*) nulla auctoritas est.

qui id interpretari populo et responsitare soliti sint) Neque omitti potest *id*, quod in utroque Infinitivo requi-

ritur, neque Goesio, quem citat Creuzerus, obtemperandum, legenti *id ius civile*. Frequentativum *responsitare* ideo praestat simplici, quod de quotidiano quasi quodam munere nunc sermo est. Ex illa formula, *ius respondere*, explicandum dictum Caligulae, apud Sueton. Calig. 34: *de iuris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus, saepe iactavit, se, mehercle, effecturum, ne quid respondere possint praeter eum:* quo loco magni viri, in quibus Ruhnkenius, aut *ne quis*, aut *ne qui* legendum contendunt. Sed non ipsum *respondere* auferre Iureconsultis voluit Caligula sibique vindicare, verum disciplinae auctoritatem, multis voluminibus consignatam, ipsorumque ingenio nixam: effecturus igitur erat, *ne quid* responderent *praeter eum*, i. e. ut non nisi ex Caligulae placitis responderent, utque omne ius in ipsius nutu et libidine positum esset.

quid enim est tantum, quantum ius civitatis) Creuzerus, qui contendit h. l. *ius civitatis* dici pro ipsa civitate, neque omnino audiendus est, minimeque omnium in hoc ipso loco, cui sic ridicula sententia tribuitur: nulla enim *civitas* per se *tanta* est, sed sunt vel magnae vel parvae civitates: in civitate autem nihil tantum esse dici potest, quantum ius, quo ea continetur. Confirmandae tamen interpretationi duos excitat locos Velleii Paterculi, II, 15, 3 et II, 118, 2: unde quale praesidium ipsi oriatur, non assequi mihi licuit. — Non omittendum est optimos meos, sicut Copp. Vict. b. apud Moserum, habere *quid enim mihi*; quod tamen nullo modo defendi potest.

quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum qui consuluntur?) Rursus optimi mei, et Cod. H. et Copp. Vict. b. apud Moserum, *quam autem tam exiguum*. Suspicari licet veram lectionem fuisse, *quam autem exiguum est munus hoc —*, omissis *tam — quam*, quorum *tam* omittitur in Lagom. 10. — In *munus hoc eorum qui*

consuluntur, exemplum est eius epexegeseos, per quam *hoc* explicatur subiecto *eorum qui*: de quo genere Madvigius Epist. Crit. p. 79. sq. et ad Fin. III, 19, 64, ipse notavi Bibl. Crit. N. V. 1 p. 32. Ita Orat. II, 77, 313: *atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quae minime firma sunt, ea prima collocant:* uam *in illo*, est *propter hoc*. — *Qui consuluntur* periphrasis est, pro iurisconsulti: conf. pro Quint. 16, 53. Verr. I, 42, 107. 46, 120. Caecin. 24, 66: sed pleraque iam occupavit Parei diligentia Lex. Crit. p. 268. sq. — Similem circumlocutionem quum bene notavisset Goerenzius in *qui audiunt*, i. e. discipuli, Fin. II, 1, 2, perperam idem transferri volebat ad verba *qui ita loquatur*, ibid. 5, 15, rectissime castigatus ideo a Madvigio.

quamquam est populo necessarium) *Quamquam* habet D de Leidens., et Lagom. 127: quae fieri potest ut recens correctio sit, reliquis omnibus fere vel *quam*, vel *quod* servantibus; sed vera est. — Mox, *qui ei muneri praefuerunt*, i. e. qui exercuerunt, simile est huius in Orat. I, 45, 198, *iis, qui ei praesunt*, sc. iuri civili, et 55, 235, *ei studio praesunt*. — In sequentibus servavi ordinem verborum, *fuisse expertes*, quem optimi mei habent, quique ideo melior est, quod ita totum pondus sententiae magis in verbis *universi iuris* haeret.

universi iuris — hoc civile quod vocant) Nondum Ciceronis aetate ita descripta iuris erat disciplina, ut certis appellationibus vel genus, vel formae notarentur; atque singulis locis constituendum est, quid intelligatur. Veluti h. l. Creuzerus videtur certe *universum ius* intelligere ius civitatis publicum. Sed rectius statuemus *universum ius* esse illud, quod Offic. III, 17, 69, *verum ius* appellavit, quod, quum *ius gentium* ad eorum societatem qui eiusdem gentis, *ius civile* ad eorum, qui eiusdem civitatis essent, pertineret, ipsum referri manifestum est ad societatem hominum inter homines, cuius iuris non

nisi umbram et imagines esse dicit in scriptis legibus quibus uterentur homines, easque imagines ex optimis naturae et veritatis exemplis ferri. Tota illa disputatio in primis cum argumento huius I[i] libri de Legibus convenit. Igitur *optime constitutum ius civile* appellat Offic. II, 19, 65: cui rursus alio modo opponitur *ius publicum*, quo constituebatur penes quem aut quos esset summa in re publica potestas, et quo modo descripta, et de quo contentio fuit inter Caesarem et Pompeium: conf. ad Div. IV, 4, 3. 14, 2. VI, 1, 5. Quum autem dicit *hoc civile, quod vocant*, indicare videtur abusu sermonis *civile* ius, quod proprie *civitatis* esset, restringi ad controversias privatorum.

quoad populo praestare voluerunt) Davisius, qui alteram lectionem, *populum*, servabat, *populum praestat*, inquit, is qui eius quasi praes est, illumque periculo liberat. Non demonstrant eam interpretationem loci, quos memoravit, ut bene monuit Ernestus: et si vel probari posset, conveniret singulis clientibus, non universo *populo*, si quidem alter e litigantibus certe sic praestari non poterat. Ne Ernestus quidem audiendus est, qui *praestare* accipit, quasi sit tutum praestare a periculo, ratione prorsus inaudita. Nam quid de eius coniectura dicendum est, *quoad populo probare potuerunt*, aut *probari?* quae primum satis audax est; tum requiro commodam sententiam in hoc, ut iurisconsulti dicantur *probare ius civile populo*. Mosero Goerenzii, qui item *populum* servat, placebat interpretatio, ut acciperetur, »ius civile ea tantum ex »parte excoluerunt, qua populi partes causasque suscipere »possent; tantum igitur, quantum usus forensis desiderat »(§ 15)." Sed, praeterquam quod obscura ipsa haec interpretatio est, quis umquam concedet ista per sermonis usum e Ciceronis verbis duci posse? Postremus Madvigius sic corrigit et interpretatur: *quoad ad populum*, i. e. apud populum: et *praestare ius* esse, tueri eiusque

copiam et usum praebere: Emendatt. I. p. 6. Nihil horum probari potest. *Ad populum dicere* est in Brut. 14, 57: non pertinet ad iurisconsultorum consultationes, sed in concionibus, et in iudiciis publicis dicitur, id quod ipsi Liviani loci demonstrant, quos indicavit vir praestantissimus; quibus addo hos (quum alios apposuerint Inttpp.) IV, 21, 4. V, 20, 7. XXII, 26, 6. Tum *praestare ius* intelligere possum, si de singulorum iure in singulis rebus dicitur, non item *ius civile praestare.* Non excogitavissent viri docti ea, quae per sermonis usum probari nullo modo possunt, si reputavissent absurdum esse ut hoc dixerit Cicero, iurisconsultorum operam ipsorum voluntate (*praestare voluerunt*) fuisse circumscriptam. Quid enim aequum magis est, quam indicari potius, ideo tam angustis finibus eorum munus fuisse terminatum, quod nihil praeter humilia ista de stillicidiis, de parietibus, deque similibus rebus, ad ipsos deferebatur? Quapropter, damnata librorum lectione, cuius vitia omnibus sane Codicibus vetustiora sunt, non intercedo quin alii ea extundant, quae propius ad elementorum formam accedant, sed mihi videtur scripsisse Cicero, *quoad populo deberi viderunt. Populum* intelligit privatos, horumque privatas controversias, sicut modo *interpretari populo*, et Brut. 52, 196, *quam captiosum esse populo:* et Verr. I, 43, 110, *edictum non populo esse scriptum* (i. e. omnibus privatis) *sed P. Annii secundis heredibus.* Caecin. 27, 78, de C. Aquillio, *qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo Romano promptam expositamque praebuerit.* Orat. III, 33, 134, de iurisconsultis, *qui et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum consilium suum fidemque praestabant.*

id autem incognitum — necessarium) Et haec multis modis corrupta feruntur in libris. In Goerenzii annotatione nihil laudandum, nisi quod *id* mutari noluit in *illud*, (quod Ernestus suaserat, perperam referens ad *ius*

civitatis, quod ex Ciceronis sententia multo erat maius, quam quod iurisconsulti exercebant: in quo errore ante eum et Lambinus fuerat et Davisius.) Gruterus quod monstrum excogitavit, ne memorari quidem meretur. Primus optimorum librorum lectionem animadvertendam duxit Madvigius, Emendatt. p. 4. sqq., *incogniti detenui est in usu necessarium*. Hinc corrigendum existimat, *id autem in cognitione tenue est, in usu necessarium;* idemque hoc esse Ciceronis de iure civili iudicium, quod in alia re dixerit, Orat. III, 10, 38, *cognitionem habent facilem, usum necessarium*. Poterant hae similitudines cumulari: veluti Offic. I, 6, 19, *res difficiles easdemque non necessarias:* Orat. III, 45, 176, *non est res tam difficilis, quam necessaria:* ibid. II, 24, 99, *est enim non tam acutum, quam necessarium*. E quibus omnibus hoc sane conficere licet, non *incognitum* satisfacere in hac oppositione, sed requiri adiectivum, (quale est *tenue*) quod magis rei, de qua agitur, indolem attingit: quo accedit, quod *tenue* in primis convenit contemtui iuris civilis, quo uti videtur hoc loco Cicero, sicut Muraen. 11, 25 iuris civilis *tenuem scientiam* esse dixerat; et histrionum *tenue et leve artificium*, Orat. I, 28, 129, pro eo, quod in minutis rebus versatur. Sed hoc quamquam probandum, reliqua in Madvigii correctione laborant. Neque enim *in cognitione tenue* esse potest pro ad cognoscendum tenue: nec dicitur *in usu necessarium*. *Cognoscere ius civile*, i. e. discere, dixit Cicero Brut. 26, 98, quod per substantivum est *cognitio iuris*, i. e. disciplina, ut Orat. I, 41, 185: sicut Orat. 35, 122 dixit, *ipsae res in perfacili cognitione versantur:* tenue autem, aut magnum, aut facile *in cognitione*, dicere non potuit, illo quidem sensu. Quumque ne sine quidem praepositione dici posit *cognitione tenue*, restat ut corrigamus, *id autem in cognitione tenui et in usu versatur*. Fac enim recte dici *in usu necessarium* (de quo vehe-

menter dubito), quid nunc attinebat hoc memorari? Modo ante suo loco dixerat *quamquam est populo necessarium.* Nunc autem non id agit ut disciplinae angustias utilitate compenset, (quae commendatio habenda esset), sed ut demonstret totum istud, in quo iurisconsultorum acumen exerceri soleat, tum ex angustis fontibus hauriri (sicut e praetoris edicto), tum usu potissimum constare et confirmari, i. e. privatarum litium cognitione. In eamdem sententiam Crassus dixerat de C. Aculeone, acuti ingenii homine, sed minime ceteris artibus erudito, et tamen iuris peritissimo: *omnia sunt enim posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro; neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur:* Orat. I, 43, 192.

aut quid hortaris) Quod multi libri habent apud Davis., Goerenz. et Moserum, *quid me hortaris*, ideo spernendum, quod sic diceretur, quare me hortaris? Melius esset, *quid hortaris me?* sed pronon. ex praeced. recte intelligitur.

an ut stipulationum — formulas componam?) Rathius ita defendit alteram lectionem, *aut ut* —, ut dicat, formulas has in eodem genere esse atque istos libellos; tum omissam esse alteram partem interrogationis hanc, »an ut de iure universo disputem?" Falsam esse hanc certe interpretationem ostendunt seqq., *quae et scripta sunt* cet. Tum satis constat multum distare iurisconsultorum *formulas* a *libellis* quos edere solebant, quique cum *praeceptis* iurisconsultorum coniunguntur Orat. I, 57, 242. conf. Fin. IV, 9, 22.

conscripta a multis sunt) Ordinem verborum expressi ex optimis meis, quibus accedunt Copp. Vict. b. apud Moserum: iisdemque auctoribus servandum erat *conscripta.* Nempe *conscribere* praecipue ponitur in certi cuiusdam argumenti destinata explicatione, quae uno opere continetur: ideoque recte servatur Fin. V, 4, 11, quippe

ipsum argumentum peculiarium Aristotelis et Theophrasti librorum significatur: tum poni videtur in iis literis, quae publice de rebus gestis in provincia a magistratibus ad Senatum dabantur, ut Verr. V, 4, 9. — Mox *a vobis*, contra optimos meos libros, bene defenditur ab Ernesto et a Mosero.

CAPUT V.

§ 15. *si quaeres*) Verissime correxit Rathius, *si quaeris*. Neque enim futuro in hac formula locus esse potest, nec umquam est apud Ciceronem: conf. Beier. ad Offic. III, 20, 80. *Atqui* perperam omiserat Steph.: nam manifesto haec in obiectione et assumtione dicuntur, quam vim coniunctionis bene exponit Madvigius ad Fin. I, 18, 58: eademque de causa *atque* Cod. Par. apud Moserum spernendum. Handium quum consulerem, primum vidi eum, Tursell. I. p. 519, non perspexisse in hoc ipso loco *atqui* quid valeret: tum reliqua eius percurrens, deprehendi, p. 513, Lindemanno non intellectum esse locum Tusc. I, 39, 93, ubi *atqui ab hoc acerbius exegit natura* mera assumtio est, quasi conclusio sequeretur, » igitur tanto magis querendum erat." Eadem de causa *atqui* servandum Tusc. V, 20, 57, ubi ipsa expressa conclusio sequitur: nec Handium intelligo (p. 515) *atque* defendentem. Iterum labitur in Senect. 22, 81 (p. 516), ubi manifesto est assumtio, sequente conclusione: neque Xenophonteo vocabulo *δήπου*, sed coniunctioni *δέ* respondet *atqui*. Illud autem minime probandum est, quod in Laelio 19, 68 defendit *atqui in ipso equo* (p. 517), ubi sententia flagitat id quod plerique Codd. habent, *quin:* (eodem loco ineptissimum emblema optime tollit Beierus, *cuius modo mentionem feci:* sed corrigendum praeterea *si nulla res impedit*, pro *impediat*, cuius Coniunctivi nulla ratio reddi potest.) De duobus autem locis

Ciceronis, quos cum hoc De Legg. loco componit Handius, (p. 519. fin.) unum, Fin. IV, 23, 62, extorsit ei Madvigius ad illum locum; sed ne alter quidem, Orat. II, 50, 204, ei concedendus est, ubi, Codicibus quamvis omnibus repugnantibus, legendum est *atque, si ita placet* —: continuatur Antonii disputatio, et ipsa formula, *si ita placet*, excludit obiectionem. In Legg. I, 15, 43 bene agnovit *atque* praestare: sed idem vellem sensisset in Nat. D. III, 19, 50, ubi *atque in plerisque civitatibus* — continuatio est eius, quod modo de Codro dicere instituerat. Alia erunt suis locis quaerenda.

quoniam scriptum est a te) Iam intelligitur, id, quod multae Editt. veteres habent, *scriptum est a te satis*, per correctionem fluxisse ex iis libris (C, *α*, *δ*), quorum varietatem supra enotavi: sed non est illa (*sat*) nisi aberratio librarii, quae statim corrigitur (*a te*:) neque nunc isti adverbio locus erat, quod in parte disputationis ac demonstrationis recte ponitur, sicut infra III, 20, 47, Tusc. I, 33, 81. cett., non item in argumento cui explicando peculiares libri destinati sunt. — Mox neque *enim* omitti oportet, neque *video fecisse* scribendum, contra plerorumque et optimorum librorum auctoritatem.

ut ille Crete cum Clinia) Non tanti erat ut Davisius moneret aliud placere videri Ciceroni, hospitem illum Atheniensem ipsum fuisse Platonem, ac Diogeni Laertio III, 52: nam et inter illos, et inter omnes hoc constabat, sua Platonem isti hospiti tribuere. De *cupressetis*, ceterisque, tum de *aestivo die*, vid. Plato Legg. I. p. 625, A. B. III. p. 683. C. — Goerenzium, qui in seqq. *optimis* ad *institutis* revocat, retinere poterat a perversa interpretatione Turnebus. — Mox *disputans* mei optimi quoque servant, pro *disputat*, perperam continuato participio e praecedd. *insistens* — *acquiescens*: igitur recipienda fuit e deterioribus libris iusta correctio.

inambulantes, tum residentes) Dicitur e satis cognita scribendi forma, quum in partitiva enunciatione ipsa particula partitiva in priori membro omittitur, pro *tum inamb., tum resid.:* atque hoc quoque exemplum indicare potuerat Stuerenbergius ad Arch. p. 179. edit. 1mae. Firmavit hunc usum Ruhnken. ad Vell. Paterc. II, 110, 1, et monuerat Cortius ad Salust. Catil. LXI, 8. Est etiam ubi in altero membro omittitur. Rutilius Lup. p. 124. Ruhnk., verbis, *seorsum est, beneficium dare libenter, iniuriam facere nolle,* non dubito quin Graecum *χωρὶς* interpretatus sit, de cuius usu in disiunctiva sententia vidd. Heindorf. et Stallb. ad Platon. Protagor. p. 336. B: igitur omittitur *et* ante *iniuriam.* Sed longe frequentior altera ratio, quae interdum non animadversa decepit editores; ut Lambinum, qui Verr. I, 30, 76 ediderat *hinc grandis:* multo melius nescio cuius interpolationem reiiciens Verr. II, 65, 158, *partim in locis publicis:* ad quem locum vid. Garatonius. Sic defendi poterit omissum in multis Codd. alterum *modo,* apud Salust. Iugurth. XXIII, 1, sicut omittitur in Tacito Annal. IV, 50 et VI, 32: conf. Viri Docti ad Histor. III, 22 et 84. In Floro II, 2, 15, ubi libri fere praebent *ubi et hic Aleriae,* non spernenda quidem est Salmasii coniectura *Olbiae hic, ibi Alesiae:* sed malim ad istam normam, *Olbiae, hic Alesiae.* De Graecis notandi otium fecerunt Porsonus ad Eurip. Hec. 28, et Orest. 891, Heindorfius ad Platon. Protag. p. 334. A. Et praeiverat Homerus Iliad. X. 171, tum Pindar. Nem. VIII, 63. Isthm. III, 18. Hermannus de his, pace viri praeclari dicam, mirum in modum argutatur, De Ellipsi et Pleonasmo p. 179 (Opusc. Vol. I. p. 204. fin.) — Mox, *forensis usus* iam non amplius ad iurisconsultorum disciplinam pertinet, sed ad oratoris officium; conf. Parad. Prooem. 1.

§ 16. *ego vero ista audire cupio*) Nulla ratio habenda eorum librorum, qui ante *cupio* vel *quin,* vel *quam*

insertum habent, quae non nisi ineptae correctiones sunt eius, qui, ut Ed. Ven., et Cod. M. apud Moserum, habebat *qui cupio:* atqui ipsum illud *qui* non est nisi vitiata scriptura sequ. syllabae *cui:* de quo genere vitiorum alio loco dixi.

nullo in genere disputandi) Turnebus, plaudente Lambino, corrigebat *disputationis:* quam correctionem sic recte refutat Goerenzius, ut dicat sensum esse »nulla »ex philosophiae parte", minus recte addens »nam *dis-* »*putare* proprium est philosophorum", quo ipso Turnebi quoque correctio posset defendi. Sed *disputare* ipsa est philosophia: ut infra cap. 13, 36, *qui in disputando non tuum iudicium sequare:* III, 6, 14, *civilis in disputando locus.* Eodemque modo *disserere* ad ipsum argumentum et disciplinam, de qua disseritur, refertur: infra III, 5, 13, *istud maxime exspecto disserendi genus.* Hinc corrigendum in Orat. III, 18, 67, *copia fortasse et varietate disserendi* (pro *dicendi*) *pares non fuerunt:* intelligitur varietas argumentorum in quibus explicandis Aristoteles versatus erat: eodemque iure correxi ibid. II, 90, 365 in Schol. Hypomn. II. p. 194. Et sic *quaerere*, ibid. II, 58, 237, *quartus locus quaerendi:* ex eademque ratione librorum lectio ab Ursini coniectura vindicanda est Divin. in Caecil. 3, 9, *ad eam partem rei publicae sublevandae accessi.*

honesta patefieri) Mirum non est plerosque editores in his verbis haesisse, de quorum singulis opinionibus memorare longum est. Sed omnes retinent *magis honeste:* nos in omittendo priori vocabulo optimorum librorum auctoritatem secuti sumus. Nam quid est illud, gravissima illa argumenta *magis* in hoc, quam in alio loco philosophiae, patefieri? Sua enim quaeque habet philosophiae pars quae demonstret. Tum ineptum est *honeste* exponere quasi esset *honorifice:* idque quum facit Goerenzius, barbariem scilicet exprobrat Davisio, qui pro eo

potest legendum suaserat! Moserus, more suo, primum dicit prae ceteris sibi probari Wyttenbachii coniecturam, *illud honestum magis:* tum addit, se in Goerenzii explicatione acquiescere. Sed neque *honesti*, nec *honestorum* commemoratio pertinet ad praesens consilium, et suum locum habet in quaestione de finibus, ut infra cap 20, 54. Igitur istud *honestá* corruptum et deformatum esse suspicor ex *nisi hoc:* quo probato hanc habebimus sanam sententiam, *nullo in genere disputandi nisi hoc*, aut *nisi in hoc*, si vera est Wunderi ratio, qui ad Plancianam p. 120 praepositionem post *nisi* iterari ex Ciceronis consuetudine docet, quemque sequitur Madvigius Fin. IV, 9, 22: de quo tamen dubito, conf. Bibl. Crit. N. V. 2. p. 505.

quid sit homini natura tributum) Non temere ista et quae sequuntur effundit, sed veluti distributionem indicat eius disputationis, quam inchoat cap. 7. Igitur *quid sit homini natura tributum*, demonstratur cap. 7 et sequ.: *quantam vim — contineat*, cap. 9: *cuius muneris — editi simus*, et *quae sit coniunctio — inter ipsos*, cap. 10 et duobus seqq. — Omisi praepositionem *a*, quam nonnulli Codd. habebant in his *a natura tributum:* et recte omitti defendit Madvigius ad Fin. IV, 7, 17, cuius loci auctoritate firmatur quoque ordo verborum, quem ex melioribus libris secutus sum. — In proximis perperam Lagom. 10, *quid sit coniunctio:* contra enim demonstrat *esse eam coniunctionem hominum inter ipsos*, et quo ea niteretur. Sed *coniunctionem* illam et *societatem* sic divelli a se invicem, neque sententia patitur, neque id quod ad utramque grammatice quoque referendum est, *inter ipsos:* quapropter corrigendum videtur *atque naturalis.*

his enim explicatis) Claudicare puto argumentationem. Dicitur enim »ista omnia tam gravia, tam splendida, in »hac philosophiae parte patefiunt; *nam* his explicatis »fons legum inveniri potest." Quibus qui velit, utatur:

mihi quidem, quod centies in Codd. factum est, participii forma corrupta videtur, legendumque esse *explicandis;* ut sensus sit, fons legum et iuris inveniri non potest, nisi in ipsa illa disputatione cuius argumentum modo indicatum est. Participia illa in Codd. permutari satis notum est, sicut Verr. V, 2, 5, de quo loco dixi Bibl. Crit. N. V. p. 34. Offic. II, 12, 41 (*constituenda*, Bern. apud Stuerenb. *constituta*) et eiusmodi mendum vulgatissimum esse recte dicit Madvigius Opusc. p. 191. not. Fin. III, 12, 40 (*nominatum*, *denominandum.*) infra II, 4, 8, pro *laudata*, Lagom. 10 *laudanda.*

fons legum et iuris inveniri potest) Nihili est, quod habet Lagom. 65. *iurium: ius* enim sic per se collective dicitur de complexu legum: mox de pluribus populis dicit *iura et iussa.* Neque e Lagom. 96. *explicari potest* probandum, quod verbum improprie de *fonte* dicitur.

§ 17. *hauriendam iuris disciplinam putas*) Quae in uno alteroque libro feruntur, vel *puto*, vel *putamus*, orta vitia e neglectis ideoque non animadversis colloquentium indiciis.

non enim hoc quaerimus) Maximam partem meorum librorum secutus edidi *hoc*, contra quam editi, in quibus est *id quaerimus:* atqui *id* nec per se satis demonstrativum est h. l., nec ad sequentia et praesentia referri potest, nisi sequ. *qui*, aut *ut.* Res satis, opinor, nota grammaticis: indeque permulti loci in Cicerone, etiam contra Codd. auctoritatem, corriguntur, sicut, ne alios viros doctos appellem, fecit diligentissimus Wesenbergius Observat. Crit. in Sestianam p. 64. Pronomen autem omnino omitti, non concedendum est Davisio: de industria enim Cicero ista, quae humiliora esse putat, tali demonstratione insignire voluit.

nunc ab uno — sustinetur) Sicut h. l., ita neque Offic. II, 19, 65, nominatur Servius Sulpicius, quamquam

indicatur. *Auctoritas* et *scientia* pariter in iurisconsulti laudibus coniunguntur Caecin. 27, 78. Quod autem in paucis libris additur *viro* post *auctoritate*, inepta interpolatio est: siquidem neque istiusmodi ablativi (*auctoritate et scientia*) in consilio describendi subiecti, addi solent nisi nudo nomini viri, (non adiecto *uno*, qui *multis* opponatur,) neque nunc agebatur qualis vir esset ille, sed quibus praestantibus dotibus illud munus iuris civilis sustineretur.

complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum) Non attingerem haec, nisi falsam interpretationem Wyttenbachii (ex huius dictatis enim descripta est) apponi viderem a Mosero, quasi *causa* esset interior natura et ratio. Contra, *causam complecti universi iuris ac legum*, est defendere, sustinere ius quod ex summa illa lege oritur, i. e. supremum, quod in ipsa natura situm est: estque ita locus e philosophia, eaque sententia, quae demonstrat esse quoddam universum ius cum hominis natura coniunctum. Sic *causam* poni docent exempla, ut Fin. IV, 1, 1, (*in hac causa*, nempe finis bonorum) Nat. D. II. fin. (*eamdem causam agas*, sc. deorum, eos esse:) Republ. III, 5, 8, (*praeclaram causam ad me defertis — improbitatis*:) idemque periit in lacuna ibid. 30, 42. Acad. II, 13, 40 (*unius argumenti conclusione tota ab his causa*, visa non percipi posse, *comprehenditur*.) Verborum ordinem quem edidimus, servant libri mei plerique, et merito; non quod, sicut Goerenzio videtur, concinnior sit (vix enim concinnitatem in simplici enunciatione agnosco), sed quod ita segregantur quae perincommode iunguntur. Poterat enim dici *causa universi iuris* aut *tota causa iuris*, non poterat *tota causa universi iuris*, in quo quippe *universi iuris* est epexegesis prioris, *tota causa*; ideoque propter similitudinem adiectivorum utrobique additorum ista distinguenda erant. Hinc Offic. I, 25, 85 dixit *totum corpus rei publicae*, non *t. c. univer-*

sae rei p.; sed poterat, *ut totum corpus curent universae rei p.* Ita Orat. I, 4, 16 dixit *ex omni memoria aetatum*, non *omnium aetatum:* et tum *omne tempus aetatis*, Senect. 1, 2, tum *degere omnem aetatem*, Fin. II, 35, 118. Neque confundenda cum his sunt quae per auxesin sic collocantur, ut *omnes omnium caritates.*

in parvum quemdam et angustum locum concludatur) Minus recte Beierus ad Offic. I, 17, 53 (*in exiguum angustumque concluditur*) in his *locum* putat esse disputationem: nihil est nisi spatium, quod exiguum occupat ius civile in illa universi iuris consideratione. Sed in illo Officiorum loco exiguus numerus intelligitur eorum inter quos illa caritas esset. — Ceterum, quod post *concludatur* in omnibus fere meis quoque libris addebatur *naturae*, ortum puto ex sequ. *natura*, cui vocalis sequ. vocabuli adhaeserat. Neque enim, quod Ernestus volebat, locum illum angustum definiri oportebat, nec *naturae* ille locus erat, sed disputationis, aut omnino disciplinae.

leges, quibus civitates regi debeant) Perperam Moserus *leges* interpretatur legum naturam: *iuris* natura explicari poterat: singularum legum proprie nulla est natura. Coniunctivus *debeant* eo se tuetur, quod relativa sententia non definitionem continet, sed destinatum demonstrationis consilium, quasi dicat, quibus ostendam civitates regi debere.

quae composita sunt et descripta) *Componere* saepe dici pro conscribere, recte quidem docet Schutzius in Indice Latin.: neque tamen necessario scribendi continet notionem. Omnino dicitur in iis, quae quum aut indefinita, aut dissipata essent, in certam formam et speciem, aut velut in unum corpus contrahuntur. Hinc *compositio disciplinae*, Acad. I, 4, 17, et *composita*, infra cap. 13, 39: et *generatim componere* Orat. I, 41, 186, et *artes componere*, de Isocrate, et *componere inventa et argumenta* de oratore. *Describere* quid sit, tum Cortius

ad Epp. ad Div. XII, 1, 5, et ad Plin. Epp. II, 6, 1, tum bene explicuit Beier. ad Offic. I, 16, 51. In Floro I, 2, 2, non video quare recedatur a proba lectione *ceteraque sacerdotia* (*descripsit*), i. e. singulis sacerdotiis sua munera assignavit; quae necessaria sententia perit in recepta lectione *ceterosque per sacerdotia*, quasi efficerentur cohortes quaedam. Plato in illo iuris et legum argumento dicit *διανέμειν τὰ περὶ τὰς δίκας*, Legg. I, p. 625, A.

iura et iussa populorum) Non distinguit ista, sed *iura* illa, hac addita notatione (*iussa*) iam nunc significat non confundenda esse cum ipso *iure*. Hinc apparet infra Cap. 16, 43 perperam legi *quod si populorum iussis — iura constituerentur*, sed corrigendum esse *ius constitueretur*: nam *iura* sunt ipsa illa *iussa*.

ne nostri quidem populi latebunt quae vocantur iura civilia) Suspicor *nostri populi* non esse, in hac quidem disputatione, e Ciceronis consuetudine dictum. Infra Cap. 22, 57, *nec nostras XII tabulas, nec plebiscita desidero*: II, 18, 46, *tractabo — ius civile nostrum*: ibid. 25, 62, *gaudeo nostra iura ad naturam accommodari*: III, 5, 13, *nostra iura attingam*. Quumque in Ambros. γ modo esset *iussa populi populorum*, hoc quidem loco *populi* ex interpretatione esse puto, legendumque esse, *ne nostra quidem latebunt quae vocantur iura civilia*.

CAPUT VI.

§ 18. *non tam iustitiae, quam litigandi tradunt vias*) Ab huiusmodi crimine postea vindicavit Cicero Servium Sulpicium, Philipp. IX, 5, 10, *nec enim ille magis iuris consultus, quam iustitiae fuit: ita ea, quae proficiscebantur a legibus et ab iure civili, semper ad facilitatem aequitatemque referebat; neque instituere litium actiones malebat, quam controversias tollere* Ipsum ius civile accurate et ornatissime laudaverat Caecin. 25. sq.

non ita est) Sic omnes mei libri MSS., multique praeterea. Damnatur ab Editoribus, qui alterum, *non est ita*, postulari ex consuetudine Ciceronis dicunt. Sed praemitti verbum credo, quum prorsus negatur id quod antecedit; postponi, quum correctio tantum apponenda est, ut hoc loco: quod partim perspexisse puto Handium Tursell. III. p. 493.

ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quam scientia) Servandum erat *ac potius*, prae *at p.*, non tam auctoritate Codd., quae in talibus exigua est, quam propter ipsius sententiae rationem, quae in correctione quum versatur, illam adversativam particulam non adsciscat, praesertim ubi non inchoatur reprehensio, sed continuatur. Nam *at potius*, et *sed potius*, sicut *at contra*, et *sed contra*, statim subiiciuntur ei sententiae, cuius negatio proponitur. — Sed ipsum, quod h. l. dicitur, *ignorationem iuris potius esse litigiosam, quam scientiam*, sanum esse non puto. Primum enim non intelligo, quo modo aut ipsa ignoratio, aut ipsa scientia dici possit *litigiosa: disputatio* Stoicorum, contra, recte dicitur, Fin. V, 26, 76, id est plena captionum et litium; id quod de quavis enunciata sententia ac de omni disciplina quae traditur cogitari potest. Sed ut *ignoratio iuris* dicatur *litigiosa*, neque isto modo accipi potest, neque sic ut sit, ignoratio iuris litium studiosa est. Alterum, in quo haereo, hoc est, quod, utramvis interpretationem probemus, non apte sic respondetur ad ea, quae Quintus dixerat. Hic enim sumserat ius civile duobus modis tradi posse, vel eo, quo Marcus modo explicuerat, vel eo, quo vulgo a iurisconsultis fieri solebat, editis libellis, et formulis actionum, et responsis. Quid eo pertinet utrum ignoratio an scientia iuris litigiosa sit? Si dixisset ignorationem illius universi iuris esse litigiosam, affirmasset idem, quod Quintus dixerat: nunc insulsa responsio est. Aptius est ut hoc responderit Cicero, ius civile aliter tradi non posse, igitur

perperam iis, qui universi iuris disciplinam negligerent, scientiae, aut artis, omnino disciplinae appellationem tribui. Hoc consequemur, si legemus, *ac potius haec ignoratio iuris est quam scientia.* Ed. Rom. voc. *litigiosa* post *scientia* collocat: quo suspicio firmatur interpolatum esse.

si modo) Notandum propter Wyttenbachium apud Moserum, qui illam formulam affirmantis esse, sed ironice, docebat. Contra particulae istae sic ponuntur, ut id, quod sequitur, tamquam necessaria conditio memoretur eius, quod affirmatur, quod non aliunde defendi potest: cf. infra II, 6, 14.

lex est ratio summa —) Madvigius existimat hanc Stoicorum sententiam inveniri in Peripateticorum disciplinae descriptione Fin. IV, 5, 11: et intelligi puto ab eo haec verba, *cuius* (dei) *ad naturam apta ratio vera illa et summa lex a philosophis dicitur:* haec igitur e media Stoa ad veteres transferri. Non diffitebor tamen esse in eo loco, in quo offendam. Nam *a philosophis* ut scripserit, pro *a veteribus philosophis*, Platone, quique eum secuti erant, alienissimum est a consuetudine Ciceronis, qui in illa disputatione vel nominare eos, vel *superiores* vel *antiquos* dicere solet; et ibid. 8, 19, scribit *formam eorum, de quibus loquor, philosophorum:* sed ubi simpliciter *philosophos* appellaverit, non reperio. Sententia quidem postulat ut legatur *a vestris:* nam, quum praecedentia utrorumque, et antiquorum et Stoicorum, communia esse dixisset, subiicere videtur hanc legis de Stoa definitionem, quae plane respondeat istis communibus sententiis, ut nihil in ea novi sit. Accedit, quod nusquam illa definitio ex antiquis memoratur. — Definitionem illam Chrysippeam esse, abunde Turnebus, Goerenzius in Introductione p. XXVII, et Baguetus de Chrysippo p. 26. 112, et passim, docuerunt, qui p. 333 recte discedit ab ea lectione, quam in Marciano l. 2. D. De Legibus

probaverant Turn. et Goerenz., quippe similis structura est in alio placito apud Diog. Laert. VII, 92, τὴν δὲ δικαιοσύνην, ἐπιςήμην ὧν αἱρετέον καὶ εὐλαβητέον. item aliis in locis. Quae eodem pertinent ex Diog. Laert. VII, 128, fin., legenda sunt ὡς καὶ τὸν νόμον τὸν ὀρθὸν λόγον, deleto καί, quod interponitur. Sic certe Stoicorum decretum enunciatur apud Stobaeum XLIV, 12, τόν τε νόμον σπουδαῖον εἶναί φασι λόγον ὀρθὸν ὄντα, προστακτικὸν μὲν κ. τ. λ. (Quid apud Stobaeum in proxime seqq. sit ἀςεῖος, nullo modo assequor: suspicor necessario mutandum esse in σπουδαῖος.) Stoicorum illud decretum de lege omnium rerum domina secundum Pindari dictum, (quod commemorari video a Mosero infra ad II, 4, 8) pervasit deinceps plerorumque philosophorum disciplinas: sed, qui idem sequitur, Iamblichus apud Stobaeum XLVI, 77, in ordinem revocandus est sic: τί δὴ οὖν οἰόμεθα τὴν παρισουμένην πρὸς αὐτὸν (τὸν νόμον) εὐνομίαν ἢ δικαιοσύνην οἵῳ δὴ κάλλει τινὶ προέχειν, μεγέθει τε ἡλίκῳ ὑπερβάλλειν πάντα τὰ πράγματα. Usurpavit definitionem Cicero oratorie in Philipp. XI, 12, 28, rhetorice scriptor orationis in Aristogit. I. p. 744, 17. Mox, quum dicitur *iubet — prohibetque*, (sicut alia complura eius generis) a corrigendo retinere debuerat Beierum (ad Offic. I, 4, 11) in Nat. Deor. I, 14, 36: in alio genere istud asyndeton servatur, non in hac subtili disputatione.

eadem ratio — lex est) Gulielmi correctio, *conformata*, ideo improbanda est, quod homo natura particeps rationis est secundum istos, eaque ratio igitur non conformatione, sed confirmatione et perfectione indiget. Sed arctius haec cum superioribus sic nectenda videntur: *eademque ratio* cet., sublata maxima distinctione. Ceterum in toto hoc loco ita sequitur Stoicos Cicero, ut eadem varietate definitionum utatur; quamque hic *prudentiam*, infra Cap. 7, 22, *sapientiam* appellat. Stoicorum φρόνησις definitur apud Cic. Nat. D. III, 15, init. Diog. Laert. VII,

92, Stobaeum Ecl. Eth. p. 167. Sed talia satis pervulgata sunt.

§ 19. *eamque rem illi* —) Merito desertus est Lambinus, qui sublato *rem*, ediderat *eamque νόμον illi*. Primum *res* in argumento disputationis recte ponitur, ut Divin. I, 3, 5 fin. Nat. D. I, 1, 2: tum cum pronomine iunctum quodvis praecedens subiectum indicat, ut bene monet Beier. ad Offic. II, 4, 15. Praeter ea quae a Creuzero e Platone excitantur, utile erat indicare Legg. IV. p. 714. A. » imperantes oportere imitatione illius vitae » Saturniae domos civitatesque regere, *τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν* » *ἐπονομάζοντας νόμον*· itaque leges vere non esse, quae » proficiscantur ex animo pleno cupiditatum et libidinum."

delectus vim in lege ponimus) Nunc quidem bene omittitur Infinitivus *esse*: nam *ponere* h. l. nihil aliud est nisi *tribuere*, non *esse censere*: postremum si dixisset, quae sequuntur tautologiam continerent. Hoc modo tales loci, qualis hic est, distinguendi sunt ab iis, quos indicavit Madvigius ad Fin. p. 745. sq.

a lege ducendum est iuris exordium) Laborare puto hanc Latinitatem. Recte modo § 18 dicebantur *iuris principia*: similiterque Offic. III, 17, 72, natura appellatur *iuris fons*: rursus, paullo infra, *constituendi iuris a lege capere exordium*, et § 20, *iuris ortum a fonte repetere*. Sed *iuris exordium ducere* in primis improprie dicitur, siquidem *exordium* earum rerum est, quae progressum et tandem absolutionem habent, sicut orationis, aut disputationis et sermonis, similiumque, tum agendi, (ut *constituendi iuris*.) Nec moratur me exemplum apud Cic. de Univ. cap. 2. fin. Or. (*rationis exordium*), quippe quod neque Graecis Platonis Timae. p. 29. B. respondet, neque per se intelligi potest, ita ut summo iure de eius integritate dubitare liceat: ne dicam ipsa Platonica meras tenebras continere. Accedit, quod statim subiicitur, *ea est enim — iuris regula*, perquam ineleganter, si praece-

dat *a lege ducendum est iuris exordium.* Quapropter aut tollendum *iuris* erit, (conf. varietas Lect.) aut mutandum in *nobis.*

ut mihi quidem plerumque videri solet) Probare non possum Wyttenbachium, qui *plerumque* h. l. interpretatur »non »semper": quasi modo Stoicos, modo Academiam sibi probari significaret Cicero. Neque audiendus est Handius, qui Tursell. II. p. 693, ita *plerumque* et *fere* distare docet, ut illud numeret, hoc totum ponat continuum. Non certe numeratur in hoc Offic. I, 15, 46, *fortis animus — ferventior plerumque est.* Utrumque videtur mihi modestam continere affirmationem, quale est *universe.* Nam ne totum quidem continuum indicatur partic. *fere*, ut Leg. Manil. 9, 24. Orat. II, 33, 142, aliisque locis qui ab Handio excitantur. Diversum est, quum *saepe* quid *fieri solere* dicitur; quod attigi Schol. Hypomn. II. p. 65. sq.

ea mens ratioque prudentis) Bene exclusit Orellius alteram lectionem, *prudentiae.* Quum enim modo dixisset *legem esse prudentiam*, dici nunc non poterat *legem* (*prudentiam*) esse *rationem prudentiae:* imo *ratio prudentis*, i. e. confirmata et perfecta ratio, quae in quo inest, is est *prudens:* eodemque modo infra II, 4, 8, *ratio mensque sapientis* dicitur. Huic mox opponi videtur *popularis ratio*, ad quam accommodandam esse dicit praesentem orationem ac disputationem. Dicit enim hoc: *omnem nostram orationem*, i. e. sermonem usitatum (II, 4, 9) in verborum vi definienda et usurpanda, totam pendere ex populi iudicio et ratione: sic autem *orationem* intelligendam esse, non de ipsa, quae nunc destinabatur, disputatione, apparet e verbo *versatur*, quod in *versabitur* mutandum erat, si istud voluisset Cicero. Alio quodam modo *popularem rationem* appellat ad Div. I, 2, 4. Monenda haec erant propter non satis diligentem vel Turnebi, vel Goerenzii interpretationem.

et appellare eam legem — ut vulgus appellat) Hunc ordinem optimi quique libri servant: sed quum propter coni. *ut* sequens Indicativus per errorem in Coniunctivum mutatus esset, correctus denuo in Infinitivum expulit sua sede *appellare*. Qui sic refinxerunt, non reputaverunt perire sententiae perspicuitatem, ita ut *eam legem* una notio esse videatur, reiecto post longum intervallum verbo *appellare:* nam sicut II, 4, 9, *leges nominare*, ita hoc loco proxime iunguntur *appellare eam legem*, i. e. eam legis nomine appellare. Cognitum autem est, pronom. demonstr., etiamsi per se aliquod subiectum generale indicat, tamen accommodari substantivo, quod apponitur tantum, dicique *appellare eam legem quae*, pro *id — quod.* — Operae pretium est conferre Tusc. IV, 15, 34, *sic enim malo, quam malitiam, appellare eam, quam Graeci κακίαν appellant.* Amic. 2, 6, *nec sicut vulgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem.* Fin. II, 7, 20, *quum eam ipsam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis.* III, 7, 26, *sentis — me iam diu, quod τέλος Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum* cet.: in quibus omnibus et verbum iteratur, et proxime cum obiecto coniungitur. Verba *aut vetando* quo modo ex optimis quoque libris excidere potuerint, non attinet explicare. Tum servavi *scripta*, pro vulg. *scripto.* Neque enim *lex scripto sancit*, sed aut poena, aut religione, aut supplicio: sed recte praetor dicitur *edicto sancire*, Flacc. 28, 67, sicut aliis locis *aliquid lege sancire*, Offic. III, 17, 69. Requiritur igitur *scripta*, i. e. quum scripta est, quod infra dicitur II, 4, 10, *quae non tum denique incipit lex esse quum scripta est:* conf. ibid. 5, 11, init. Alio modo corruptum est id, quod § 20 dicitur, *nec scriptis omnia sancienda.*

constituendi vero iuris —) Nunc *ius* de singulis legibus dicitur, quae *constituendae*, i. e. describendae definiendaeque erant: conf. § 20.

§ 20. *ad rationem instituti sermonis sapientius*) Nullus meorum librorum habet alterum, (quod Lambino unice placuit) *aptius:* nam Lagom. 124. 126. mihi videntur editiones esse. Et sane bene Goerenzium defendere receptam lectionem dicerem, si interpretaretur *prudentius*, non *rei convenientius*. Alterum ortum est absorpta *s* a praecedentis vocab. litera finali.

visne ergo — fratris sententiae) Et hic locus in iis est, unde suspicio firmetur non ad editionem castigasse hos libros Ciceronem: nam post ea quae modo antecedunt, haec plane otiosa sunt, et inepta: alterutrum eligendum erat. Verum tamen *ipsum ius* non ita ponitur, ut modo in verbis *constituendi iuris:* est enim universum, et summum illud ius, quod natura esse postea demonstrat. Rursus *haec, quae quaerimus*, singula illa intelliguntur, quae constituenda erant.

ita esse faciendum censeo) Potior mihi hic ordo videtur, quam *faciendum esse*, quod *ita* significantius accipiendum est. Ceterum hoc quidem loco nullus liber pro *censeo* habet *sentio:* de quibus verbis dicam ad II, 13, 32.

me quoque adscribito fratris sententiae) Plato Republ. V. p. 450. A. *καὶ ἐμὲ τοίνυν — κοινωνὸν τῆς ψήφου ταύτης τίθετε.*

quoniam igitur —, repetam stirpem iuris a natura) Non perspicuum vinculum est huius argumentationis, nisi hoc modo accipimus; ideo stirpem iuris a natura repeti, quod disputatio non conferenda sit ad illa, quae vulgo iura civilia vocantur, sed (ut Cap. 13, 37, dicitur) *ad res publicas firmandas — sanandos populos*, et (ut alio loco est) omnibus liberis populis dandae sint leges.

nec scriptis omnia sancienda) Secundum ea, quae modo disputavi, hoc quoque loco corrigendum est, legendumque mihi videtur *scitis*, sicut *scita* dicuntur infra Cap. 15. init. et 16. init. II, 5, 11.

qua duce nobis omnis est disputatio explicanda) Sic optimi quique tum meorum librorum, tum aliorum quos Editores consuluerunt: quem verborum ordinem convenientem cum Ciceronis consuetudine servandum putavi: eodem certe loco *nobis* ponitur Cap. 7. pr.

rectissime; et quidem ista duce —) *Et quidem* dicitur ad confirmandum id quod prius dictum erat. Handius fortasse ex altera Codd. nonnullorum lectione, *equidem*, auxisset exempla quae posuit in Tursell. II, p. 429, ut demonstraret *equidem* in Cicerone etiam cum secunda et tertia persona iungi: sed ne ea quidem, quae memoravit, defendi possunt. Nam et Tusc. V, 35, 100, meliores libri *quidem* habent: et ad Att. XIII, 26, init. *equidem* necessario componitur cum *sciam*, (*credibile non est* interponitur absolute) et Pison. 34, 84, praeterquam quod aliorum librorum obstat auctoritas, nulla requiritur gravior affirmatio. Fin. II, 3, 9, expedivit Madvigius.

CAPUT VII.

§ 21. *dasne igitur hoc nobis*) Quod *dare* pro concedere ponitur, sicut Tusc. I, 11, 25, idem est διδόναι in disputatione, apud Platon. Republ. X. p. 612. C.

deorum immortalium ut natura ratione —) Multiplices Codd. in hoc loco aberrationes commemorare non attinet: sed expressi eam lectionem, quam habent optimi quique; de qua nunc videndum est. Primum *ut* corruptum esse ex *vi* (quod correcti Ambrosiani duo habent) facile cuivis persuadebo. *Natura* autem quo minus verum credam, multae me rationes movent: neque aut Lambino, aut Davisio placuisse video. Quod Ernestus putat *d. i. vim et naturam* dici pro diis ipsis, probari non potest. Est quidem ubi haec circumlocutio valet, non tamen neglecta propria vi eorum quae sic adiiciuntur; tenendumque est *vim et naturam* sic dici pro indole interna, recte monente

hoc Beiero ad Offic. I. 6. init.: atqui non quaeritur h. l. quae sit indoles deorum, sed quid agant et efficiant. Singula autem quae hic adiiciuntur, per se eiusmodi quid indicare, (*potestate*, *mente*, *numine*) perspicuum est, neque singula ista in circumlocutione poni dicenda sunt. Ne *vis* quidem addi solet per abundantiam: sicut in his verbis Fin. V, 15, 43, *est enim natura sic generata vis hominis*, non oportebat Madvigium dicere eamdem esse sententiam, quae est ibid. § 66, *quum sic hominis natura generata sit;* siquidem priori loco agitur de eo, quod homo perficere, quoque progredi potest, posteriori de eo, quod ingenitum habet: igitur recte Goerenzius ibi *vim* interpretatur facultatem. Confirmatur hoc collato Nat. D. II, 11, 29, sq., ex qua Balbi disputatione apparet *mentem*, et *rationem*, ita diversas esse a *natura* divina, ut huius principatus penes illas sit. Hinc deprehendimus nusquam in ea cumulatione adiectorum, quae similem cum hoc loco sententiam habeat, *naturam* memorari. Nat. D. I, 2, 4, *deorum mente atque ratione omnem mundum administrari:* ibid. 11, 26, *mentis infinitae vi et ratione:* II, 6, 16, *quod hominis mens*, *quod ratio*, *quod vis*, *quod potestas humana efficere non possit:* ib. 7, 18, *rationem dico, et si placet pluribus verbis*, *mentem*, *consilium*, *cogitationem*, *prudentiam:* ibid. 37, 95, *numen et vis deorum.* Quid *natura* adiecta valeat, intelligitur ex hoc loco Nat. D. I, 17, 44, *de quo autem omnium natura consentit*, *id verum esse necesse est:* ubi *natura* ponitur, propter *innatas cognitiones*, quas modo appellaverat; adeo ut minime ista dicantur pro *omnes consentiunt.* His accedit, quod, servato *naturae* vocabulo, haec exsistet sententia, *deorum natura omnem naturam regi*, eodem nomine bis et diverso sensu posito. Neque eo vitio laborat hic locus, Nat. D. II, 30, 77, *non est igitur natura* (recte omittitur *deorum*) *praepotens neque excellens*, *si quidem ea subiecta est ei vel necessitati vel naturae*, — nempe inani-

mae, quam modo memoraverat: et isto modo de industria loquitur, ut Epicuream sententiam traducat et absurdam arguat. His probatis, non difficile erit demonstrare quo modo prima corruptio optimos et vetustissimos, quos habemus, Codices invaserit; reliquos enim post illam corruptionem interpolatos esse perspicuum est. Quum igitur *vi* primum in *tu* corruptum esset, quod explicari non poterat, hinc assumta prima sequentis vocabuli (*ratione*) syllaba effinxerunt *natura*, et credibile est ipsum illud vitiosum *tu* relictum esse a librariis (quem morem saepe indicavi, sicuti mox ex Ambros. α enotavi *quod condiscipulorum*), posteaque transiisse in *ut*. Ex quibus mihi quidem unice verum videtur Ciceronem scripsisse *vi*, *ratione*. Qui similis corruptelae exemplum requirunt, inspiciant varietatem lectionis in proxime sequentibus verbis, *naturam omnem regi. Nam* —. — Ernesti suspicio, *significetur* melius esse, otiosissima est. — Quod mox in deterioribus libris legitur, *adeo* pro *ab eo*, ineptum ideo est, quod non deum negabant Epicurei, sed deorum mente naturam omnem regi. Neque erat ea glossa, ut Moserus putat, sed correctio insulsa.

strepitumque fluminum) Plurale est propter Lirem et Fibrenum. Igitur eodem modo *flumina in Arpinati* memorat Tusc. V, 26, 74. — Mox Goerenzius, nescio quo auctore, edidit *audiat* pro *exaudiat*: perperam, nam hoc verbum eleganter hic ponitur, ut semper, de iis quae nova, admirabilia, et praeter exspectationem audiuntur. Solebant autem Atticum, ut deditum Epicuro, insectari amici: Fin. V, 1, 3.

id quod virorum bonorum est) Diu animadverterunt viri docti in altera collocatione, *boni viri*, irrisionem quamdam contineri, in primis Beier. ad Offic. I, 7, 20. cf. Fin. II, 4, 12. 35, 119. Orat. III, 17, 64. Offic. II, 1, 2. Sed non agnovisse videtur hoc Madvigius, qui Fin. II, 22, 71, non intelligat isto loco serio, ut in

philosophia, dici *vir bonus*, altero § 81, de Epicuro dici *bonus vir*. Nam ubi aliis locis is *vir bonus*, aut *optimus* dicitur, sicut Tusc. II, 19, 44. III, 21, 50. Fin. II, 25, 80, extra irrisionem et serio de moribus eius dicitur. Sed quod affirmat Heinrichius ad fragm. pro Tullio p. 78, b. ed. Kil. *vir bonus* et *vir optimus* cum ironia dici quoque de improbissimis, videor mihi animadvertisse talia nulla destinata vel laudis vel improbitatis significatione usurpari apud Ciceronem in certa hominum conditione et vulgi existimatione, sicut de recuperatoribus istis, Verris asseclis, Verr. III, 12, 31: et sic dicitur, in genere, Verr. IV, 45, 102, ubi perperam Cod. Leid. *bono viro:* tum *viri boni* intelligendi sunt locupletes, qui foenus exercent, ad Att. IX, 12, 3, unde in Republ. I, 19, 31, *locupletibus* glossam esse putabam Bibl. Cr. N. III. p. 361: idemque servandum puto, quum dicitur *vir fortissimus*, similiaque. Quo fit ut equidem non assentiar Quinctiliano IX, 2, 45, ironiam agnoscenti in ista formula. Kritzius ad Salust. Iug. XLII, 3, non uno modo errat, quum *bono* dici demonstrat ibi pro *bono homini:* primum enim dicendum erat *viro bono*: tum quae exempla affert ex Salustio, ut demonstret sic dici, uno adiectivo, aliena sunt, uno excepto, Catil. XV, 2, ubi tamen suspicari licet propter antecedens *umquam* excidisse *quisquam*.

te primum caput li optimi prodidisse, in quo scripsit) Servavi antiquissimam corruptelam ex optimo libro, quoniam quae in aliis feruntur manifesto huius lectionis sunt correctiones alia alia ineptior. Voluit sine dubio, qui ista scripsit, *libri optimi*, sed in medio errore substitit. De aliis affirmare non audeo; mihi quidem persuasum est verum nomen omissum esse, et scripsisse Ciceronem *magistri optimi:* nam sic demum et *prodere* recte dicitur, et criminosum hoc erat.

in quo scripsit nihil curare deum — alieni) Valckenaerius

ad Xenoph. Memor. S. II, 1, 9: »qui toties ista (Epicuri) »diversis modis recte semper interpretatur, de N. D. I, »17, 20. 30, Offic. III, 28, de Divin. II, 17, Cicero»nem non facile mihi persuadebo scripsisse, quae legun»tur de Legg. I, 7: *nihil curare — alieni*, neque etiam »vicina." Requiro rationem huius iudicii: nam praeterquam quod Epicuri verba simili libertate interpretatur Cicero Divin. II, 17, 40, (*nihil habens nec sui nec alieni negotii;*) plane eodem modo reddit ibid. II, 50, 104, (*Epicurus, qui negat quicquam deos nec alieni curare, nec sui.*) Praeterea aliud alio loco fuisse videtur Ciceronis consilium. Alterum exemplum est duplicis interpretationis, diligentis et liberioris, in Platonis sententia ex Epist. ad Archytam: conf. Fin. II, 14, 45. Offic. I, 7, 22. Vicina illa, quae ipsa quoque displicebant Valckenaerio, nulla alia esse suspicor praeter haec, *in quo scripsit.* In his Davisio necessario corrigendum videbatur *scribitur:* quo non indigemus, si modo de praecedentibus vere divinavi. Sed non sine causa h. l. perf. *scripsit* posuit, siquidem non tam ipsa sententia urgetur, sed Epicurum, magistrum, haec scripsisse, et tum reliquisse sectatoribus suis: qua ratione diversum hoc est ab iis, quae tractavi Bibl. Cr. N. III. p. 212. sq., ideoque non evertit hoc ea, quae supra disputavi ad Cap. 1, 2.

§ 22. *sagax*) Proprie quidem, sed tamen in hoc sermone nove dictum de humano ingenio: unde cum excusatione ponit Fin. II, 14, 45: conf. Divin. I, 31, 65. — *Multiplex* quid esset, non intellexisse videtur Moserus, quum indicaret Vell. Paterc. II, 105, 2: at intellexit Ochsnerus Ecl. Cic. p. 36, et interpretatur ipse Cicero Fin. l. c., *celerrimeque multa simul agitans.*

quem vocamus hominem) Minime trita de hac syllepsi disputat idem Ochsnerus l. c. conf. Moser. ad Divin. I, 37, 80. Peculiaris ratio est eorum locorum, in quibus Graeca Latinis subiiciuntur; in quibus relativum

tum accommodari praecedenti opinor, si vocabulum tantum, non res significatur: ut Fin. V, 6, 17, *appetitum animi, quem ὁρμὴν Graeci vocant*, mera enim haec est interpretatio: idemque est Offic. I, 28, 101, *una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece*, nam *quae* refertur ad *partem* aut *vim*, quae praecedebant: conf. Fin. III, 10, 35. Contra ubi vocabulo res ipsa indicatur, relativum accommodatur sequenti, propthereaque in Tusc. I, 24, 58, eorum librorum probanda unice lectio est, qui habent, *quod semper tale sit, qualem ἰδέαν appellat ille*, non *quale*. Nam quod in mera interpretatione pronomen Graeco substantivo accommodavit Acad. I, 8, 30, (*hanc illi ἰδέαν appellabant*), et Acad. II, 16, 49, (*soritas hos vocant*) nova sententia haec grammatica est, non per relativum cum superioribus iuncta. Ideo corrigendum puto Fin. III, 6, 21, *quod quum positum sit in eo, quam ὁμολογίαν Stoici* (appellant), pro omnium, ut videtur, librorum lectione *quod:* nondum enim res indicata erat, sed Graeco demum vocabulo indicatur: eademque de causa sic ponitur bis Acad. II, 42, 130. Ad Liv. XXXII, 4, 3, ubi rectissime editur *quas* (*fauces*) *Coela vocant*, Gronovius aliena miscet.

a supremo deo) Sicut h. l. deteriores libri habent *summo*, ita infra II, 9, 22, Lagom. 10, *summo supplicio.*

solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis) Acute commendavit hanc collocationem prae altera (*solum enim est*) Madvig. ad Fin. I, 13, 43, p. 91, sq. Quod autem ex uno libro Moserus memorat, habetque Lagom. 39, *solus*, non grammatice quidem, ut cognitum est, spernendum, sed hoc tamen loco, in quo dominatur *animantis* notio, neutrum genus potius est.

particeps rationis et cogitationis) Recte spernitur *cognitionis*, quod pro *cogitationis* duo libri apud Goer. habent. Nihil tritius est quam illa inter se confundi. Non recte puto Beierum in Offic. I, 6, 19, edidisse, *tum agitatio*

mentis, quae numquam acquiescit, potest nos in studiis cogitationis etiam sine opera nostra continere. Scilicet, quae *agitatio mentis* appellatur, ipsa est *cogitatio*, qua dote instructus est homo natura: sed non dici potest *cogitatio nos retinere in studiis cogitationis:* neque ut *cogitandi studium* recte dicitur, sic *studia cogitationis*, quippe intelliguntur ἐπιτηδεύματα, quae sunt *cognitionis*, i. e. quibus exercitiis cognoscimus aliquid, et scientiae sitim explemus. Contra recte Madvigius in Fin. III, 6, 21, defendit, *cognitione et ratione collegit:* nam *cognitio* indicata erat in praecedd. (*viditque rerum agendarum ordinem* i. e. rerum quae agerentur:) et summo iure spretum est *cogitationis*, quod Lambinus habet, in Fin. V, 12, 34: enumerantur enim ea (*ratio*, *cognitio*, *scientia*, *virtutes*) quae perfici possunt in homine, id quod non cadit in *cogitationem* i. e. mentis agitationem. Bene servat *cognitionem* Beier. Offic. I, 45, 160, *cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio*, quod dicitur in eodem praecepto, in quo modo ante dixerat (§ 157), *nisi ea virtus attingat cognitionem;* neque actioni *cogitatio* per se, sed *prudenter cogitare* i. e. ipsa cognitio prudentiaque, opponitur. Et omnino *cogitatio* nihil est nisi deliberatio, ut fragm. Scaur. § 21, *ut mea ratio et cogitatio fert:* cf. Ruhnk. ad Vell. Pat. I, 10, 2, cuius auctoritatem bene usurpavit Oberlin. ad Tacit. Hist. IV, 86: *cognitio* autem est ipsa quasi actio et opera cognoscendi, id quod non tetigisse puto Madvigium l. c. p. 378, init.

quorum cetera sint omnia expertia) Non tantum A diserte habet *quorum*, sed B quoque, *quom* habens, (quum ceteroquin in istis Codd. pro *quum* scribatur *cum*) indicat antiquam lectionem, et Cod. H. apud Moser. ex compendio *quor.* Similiter *quorum* corruptum in *quum*, in deterioribus libris, II, 8, 20, fin. Et sane coniunctioni *quum* nunc locum non esse puto, quae neque temporalis, neque causalis esse potest: est enim longe diversi generis,

quum aliud simul fieri tempore narratur cum alio, qualia sunt exempla apud Zumpt. Gramm. § 580. Semel corrupto loco, ex illo *quum* fluxisse opinor *sint*, quod manifesto in *sunt* mutandum: ferri poterat *sint* in oratione obliqua, *solum esse enim.*

§ 23. *eaque et in homine et in deo*) Wyttenbachius addi volebat *inest:* Madvigio Emendatt. I. p. 7 placet, *eaque est et in homine* —. Aliam interpolationem habet Lagom. 39, *eaque et in homine est et in deo.* Rursus alio modo difficultatem tollere videtur E, in quo *eaque* abest: sed sic Latinitati non satisfit. Verum non hoc erat quod iterata admonitione indigebat, rationem esse et in homine et in deo: sed nihil in utroque esse melius: nam si cogitare liceret in deo quidquam praeterea inesse quod melius esset ratione, non tali societate homo cum deo iungeretur. Sed ipsum illud *eaque* in praestantissimo Codice est ex correctione: vetus lectio, quod alii libri confirmant, fuit *eque.* Sententia postulat ut corrigatur *neque in homine nec in deo. Neque* semel obliterato, ortae sunt reliquae intempestivae mutationes. — Forma sententiae et usu verborum simile est hoc Planc. 7, 18, *haec tibi est prima cum Plancio generis vestri familiaeque contentio*, in quibus pronom. *haec* pro genitivo ponitur. — Non puto simile placitum memorari Offic. I, 43, 153, *in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos;* rectissimeque Gernhardus a glossatore esse putat *deorum et*, neque agi de alia communitate nisi hominum inter ipsos, (quae toties in hoc I° libro de Legibus memoratur) ex qua ducantur officia iustitiae. Addere poterat *societatem homini cum deo rationis* dici posse, ut Cap. 8, 25, infra, *homini cum deo similitudo* appellatur, non item *communitatem.* Igitur quum dicit, illam *societatem contineri in rerum divinarum atque humanarum scientia*, significat placitum hoc esse philosophiae, hominum inter ipsos esse communitatem. Tum quod sequitur,

ea si maxima est, in quo dissentiunt inter se Gernhardus et Beierus, *maxima* sitne ad *societatem*, an ad *sapientiam* referendum; neutrum credo defendi posse; neque enim *maxima societas* cogitari potest, et ipsa *sapientia*, quae *princeps virtutum omnium* modo appellabatur, istam adiectionem respuit. Sed argumentatio iubet ut excidere quid suspicemur; nec quidquam desiderabitur, si legetur *ea si maxime apta naturae est:* cf. Cap. 45. init. Perperam igitur Beierus cum istis confert hunc Legg. locum, aliosque. — Sed idem fere sic enunciat Iamblichus Stobaei III, 55: (T. I. p. 101. Gaisf.) *εἰ δέ τις ἐςὶ καὶ πρὸς θεοὺς ἡμῖν κοινωνία, διὰ ταύτης μάλιςα τῆς ἀρετῆς (φρονήσεως) αὕτη συνίςαται.*

inter quos autem ratio — recta ratio et communis est) Haec est librorum et plerorumque et optimorum lectio: vulgo omittitur *et:* contra, D omittit *est*, recte; sed *et* mutandum in *est*, ut fiat *inter eosdem etiam recta ratio est communis*, sicuti mox *sunt communia*, et Cap. 10, 30, *certe est communis:* eamque collocationem requiri puto, quod argumentationis pondus cernitur in hoc praedicato. Plane intelligi non possunt haec Fin. III, 7, 23: *atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quamdam rationem vivendi data esse appareant, sic appetitio animi — non ad quodvis genus vitae, sed ad quamdam formam vivendi videtur data, itemque et ratio et perfecta ratio.* Nihil annotavit ad postrema Madvigius, nisi *perfectam rationem* esse et sapientiam et virtutem. Sed quid illud est, perfecta ratio, i. e. virtus, nobis data est ad quamdam formam vivendi? (hoc enim intelligi iubet grammatica interpretatio,) aut, ad certum quoddam? sed ad quid igitur? Apparet enim tria haec, *membra*, *animi appetitionem*, et *rationem* in eadem enumeratione contineri eorum quae appellat *initia naturae:* in his autem *perfecta ratio* nullo modo censeri potest. Quod autem duobus prioribus additum est, ad quid utrumque datum esset, hoc deest

in *ratione*, habebimusque si legetur, *itemque ratio ad perfectam rationem*, quo confirmatur demonstratio a naturae initiis proficisci ipsam sapientiam, i. e. virtutem, quae non tantum *perfecta*, sed etiam *recta ratio* appellatur, Tusc. IV, 15, 34.

consociati homines cum diis) Praetuli hanc lectionem prae altera, quam mei deteriores habent, *conciliati*. Tamen ut dicam, quod sentio, utramque coniungendam esse puto, legendumque *conciliati et consociati homines*; quemadmodum ista coniungere solet, Offic. I, 41, 149, Nat. D. II, 31, 78. Fin. III, 20, 66.

quibus autem haec sunt inter eos communia) Graviter succenset Moserus tum iis qui corrigunt *inter se*, tum iis qui defendunt *inter eos*. Tenendum videtur pronom. demonstr., *is* et *ipse*, non tantum in secundaria sententia saepe poni pro reflexivo (cf. Madvig. ad Fin. p. 515), sed postulari etiam mutato subiecto: neque enim sic dici poterat, *dii hominesque haec habent inter eos communia*, neque *diis hominibusque haec sunt inter se communia*: tum etiam rationem haberi ordinis verborum, adeo ut, contra quam subiectum grammaticum postulat, pronomen proximo nomini accommodetur, sicut Offic. I, 17, 53, *multa sunt enim civibus inter se communia*, quod in alio verborum ordine dicendum erat, *civibus multa sunt inter ipsos communia*. Hinc Fin. V, 9, 25, *quaedam esse et inter se animalibus reliquis, et cum bestiis homini communia*, non *inter ipsa:* quae ratio in isto verborum ordine sic accipienda est, ut quod grammaticum subiectum est (*multa*, aut *quaedam*,) revera sententiae (communitatis) sit obiectum. Contra, ubi in ipsa sententia ea, quorum commune quid esse dicatur, non nisi declarandi causa memorantur primarii subiecti, veluti *societatis*, pronom. demonstrativum ponitur, ut infra Cap. 10, 28, *hominum inter ipsos societas:* et II, 7, 16, *societas civium inter ipsos:* et Brut. 16, 63, *est nonnulla in his etiam inter*

ipsos (Catonem et Lysiam) *similitudo:* quem locum minus recte interpretari mihi videtur Madvigius Emendatt. I, p. 164, qui *inter ipsos similitudinem* in numero orationum quaerit, quas uterque reliquerat, legitque *in iis*, i. e. in Catone et Lysia: qua ratione hoc exsisteret non ferendum, in Catone et Lysia nonnulla est inter Catonem et Lysiam similitudo! Imo *in his* (ut legendum est), est in genere orationis et eloquentiae, quaeque dotes statim memorantur, (neque maxima distinctione segregandae erant a superioribus) acuminis, elegantiae, facetiae, brevitatis. Non attinet aliorum scriptorum consuetudinem attingere: sed certe in Livio XXXIV, 7, 5, rectissime editur, *nullam aemulationem inter se singularum, quando nulla haberet, esse aiebat*, non *inter eas*, quod erat in uno alteroque libro correcto: nam, ut rectissime diceretur *aemulatio feminarum inter ipsas*, quoniam *feminae* de toto genere dicitur, quod plures continet, ita dici non poterat *singularum inter eas aemulatio*, siquidem reflexivum *se* ad *singulas*, non item plurale *ipsae* aut *eae*, referri grammatice potest.

et civitatis eiusdem habendi sunt) Molestum quidem istud *et* in simplici conclusione, in qua nihil superioribus additur: sed corruptum esse arbitror in optimis libris ex *ii*, quo pronomine indigere puto orationem, ubi id, quo refertur, in alio casu positum est (*quibus*). Offic. I, 35, 126, *quae partes —, eas contexit*, quod exemplum memorans Zumptius rationem non addidit, Gramm. § 744. Infra Cap. 24, 62. fin. II, 5, 11, *quaeque ita composita essent, eas leges nominarunt:* ibid. 12, *quo si civitas careat, — id estne habendum in bonis*, cet.: sed haec trita sunt. Ortus error videtur ex antiquo scribendi more *ei* pro *ii*.

si vero iisdem imperiis — etiam universus hic mundus) Apparet novam hanc esse rationis conclusionem, qua efficiat unam esse civitatem deorum atque hominum: id, quod Matthiaeus perspexisse non videtur, qui sic locum

describit, — *potestatibus parent, parent, et multo etiam magis, coelesti descriptioni* cet. Atqui in talibus (non ubique) perspicue Cicero propositionem et assumtionem segregare solet, in primis Stoicorum imitatus orationem. Sed ipsam conclusionem non recte inchoat *etiam universus* cet.; quod qui senserunt, primum ex *deo*, aut *de* fecerunt *unde*, alii *etiam* correxerunt *ut iam*, indeque multa alia orta sunt. Corrigendi viam faciliorem reddere nobis videmur, eo indicato in quo offensio certe excusationem habet. Nam quum dicitur *parent* cet., intelligendi sunt, ni fallor, tum dii tum homines: sed quomodo dii dicantur parere *praepotenti deo*, non assequor, nec quisquam, opinor, probabit. Poterant Stoici affirmare deos hominesque parere *coelesti descriptioni mentique divinae*, sicut multa turbabant in illarum rerum definitione et distinctione; sed *deos deo parere* dicere non potuerunt. Neque obiiciendus est locus Nat. D. II, 30, 77: *non est igitur deorum natura praepotens neque excellens, si quidem ea subiecta est ei vel necessitati vel naturae, qua coelum maria terra regantur:* nam diversa ab illa *natura* est *mens divina*, quam modo isti ipsam *deum* appellabant, modo a diis segregabant. Quapropter una vocali iterata legi posse puto, — *mentique divinae et praepotenti: ideo etiam universus* cet. *civitas communis deorum atque hominum existimanda est:* ut enim verbum subst. in fine ponatur, nonnulli libri suadent, et vero consuetudo Ciceronis in hac dicendi forma, quod idem in alio ordine verborum animadvertit Madvig. ad Fin. p. 772. Placitum ipsum satis cognitum est: eoque pertinet Plutarch. adv. Stoicos p. 1065, F: in exsilii consolatione ponit Musonius Stobaei XL, 9, (T. II. p. 87. Gaisf.) *νομίζει εἶναι πολίτης τῆς τοῦ Διὸς πόλεως, ἣ συνέστηκεν ἐξ ἀνθρώπων καὶ θεῶν.*

et quod in civitatibus —) Ernestum, qui in hoc loco haerebat, fugisse videtur *quod* relativum pro partic. *ut* poni: tum esse breviloquentiam pro *quod* — *fit, ut* —

distinguantur, sicut recte accipit Madvigius Opusc. pag. 514. — *Ratione quadam*, i. e. ita, ut non temere, sed considerate fieri dicendum sit, quamquam non omnino recte, et fortasse etiam diverso modo. Sic *quadam ratione* est Fin. I, 19. init. — Mox post *loco*, Ambros. β addit *libro tertio*, quod si omnes libri tenerent, invecturum credo Censorem Scholicorum meorum, in Voluminibus menstruis Darmstadiensibus, in eos qui turpem interpolationem eiici cuperent.

agnationibus familiarum distinguuntur status) Non vidit Davisius, qui hanc lectionem improbat, status familiarum quum agnationibus distingui dicuntur, nihil aliud dici, nisi diversis agnationibus diversas quoque esse familias, non *cognationibus*, ut habet Ambr. α: itaque recte explicare videtur Hulsemannus apud Moserum.

ut homines deorum — gente teneantur.) Non Stoicorum hoc proprium placitum, sed ab antiquis iam enunciatum (Pindar. Nem. VI, 1, ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος), pervasit Pythagoreorum scripta, Diotogenis, et Euryphami, apud Stobaeum XLIII, 130. (T. II. p. 164. Gaisf.) et CIII, 27. (T. III. p. 343.) Extra illam similitudinem Romanae civitatis in eadem re utitur *cognationis* nomine Divin. I, 30, 64. et 49, 110, ubi bene defenditur recepta lectio a novissimis Editoribus.

CAPUT VIII.

§ 24. *quum de natura omni quaeritur*) Sane non quaeri *de natura omni*, bene disputat Madvigius Emendatt. p. 7: qui tamen, si *de omni natura* scriptum esset, indicari sic de natura in universum quum putat, dubito an recte statuat. *Natura omnis* modo Cap. 7. init. dicebatur de mundi universitate: *omnis natura* referri poterit ad cuiusque naturam; et tamen hunc ordinem habent Lagom. 124. 126, quem e nullo alio libro enotatum video.

Contra Lagom. 10 praebet *hominum*, quo in primis confirmatur Victorii coniectura, *hominis*. Propter vitiosum *quaeruntur*, quod vel praestantissimos libros occupat, suspicari licet aliam quoque corruptelam exstitisse, *omnia*. Quoties ista vocabula inter se permutata sint, neminem fugit: sed nondum, credo, animadversum parum commode in Fin. II, 33, 107 ad Torquatum dici, *quum omnium factorum — conquiris historiam:* nam ut recte dicatur *factorum historia* (de quo dubito), non tamen apte *omnibus factis* opponitur *regiones* sine illo adiectivo. Mihi videtur corrigendum esse *hominum facta*, quae et recte *conquiruntur*, et sic appellabat ipse Torquatus I, 11, 37, init. Sed *natura hominis* referenda mihi videtur ad τὴν τοῦ ἀνθρώπου γένεσιν, quamquam exempla huius rationis requiro. — Quae autem huic enunciationi praemittitur coniunctio *quum*, eam perperam locum alterius, *si*, occupare credo, sicut ipsum *si quaeritur*, quo quasi praenunciatur sequens disputatio, tritissimum est. — In sequentibus recipienda fuerat deteriorum librorum lectio, *solet*, *et nimirum* —: earumque particularum, *et nimirum*, coniunctionis plura sunt exempla. Sed de ipsa partic. *nimirum* nolim concedere Beiero ad Offic. II, 20, 71, significare *haud dubie:* contra esse puto modestam affirmationem, aut eius opinionis indicium quae certe rem non contineat. Veluti in eodem Offic. libro § 69 (quod exemplum excitat Beierus) non audet dicere inopem habiturum gratiam, sed *habere posse*. Tusc. II, 23, 55, *et hic nimirum est fletus*, in dubia interpretatione vocabuli e XII tabulis. Nat. D. III, 36, 87, *nimirum recte* quum dicit Cotta, non praecise affirmat, sed vult *fortasse recte*. Sic in coniectura, quae sententia sit Delphici dicti, nosce te ipsum, eadem utitur particula Tusc. I, 22, 52. Alio modo Orat. 23, 75, *danda nimirum vela sunt* dicit, ubi fere invitus concedit. Rursus in coniectura, quid sit daemonium Socratis, Divin. I, 54, 122, non in certa

affirmatione, (ut Goerenzio videbatur ad h. l. Legg.) ponitur. — *Ita* quod reduxi, loco vulgati *ista*, assentientem habeo Madvigium Programm. cit. p. 11: pronomen non isto loco ponendum erat: neque, si hoc reputavisset, in tam inexplicabilem disputationem incidisset Moserus ad h. l.: magis miror Ernestum, qui nihil referre dicat utro modo legatur.

perpetuis cursibus conversionibusque coelestibus) Goerenrenzius, diligenter scilicet haec interpretans, *cursus* ad planetas, *conversiones* ad reliquas stellas, quae cum ipso coelo moventur, refert. Primum nulla causa distinguendi erat. Tum promiscue ista nomina usurpari satis docent alia exempla apud Ciceronem: Republ. VI, 17, 17. Orell. (Somn. Scip. 4) *cursus* refertur ad ἀπλανεῖς· Nat. D. II, 19, 49, rursus *cursus* ad ἀπλανεῖς, *conversio* ad planetas pertinet, et paullo inferius modo *annuam conversionem*, modo *annuos cursus* memorat. Itaque ista in cumulatione ponuntur, sicut in aliis eiusdem argumenti vocabulis monet Cortius ad Plin. Epp. VI, 20, 3. Eadem ratione apud Platonem Legg. X. p. 897, C, ἡ ξύμπασα οὐρανοῦ ὁδὸς καὶ φορὰ καὶ τῶν ἐν αὐτῷ ὄντων ἁπάντων, νοῦ κινήσει καὶ περιφορᾷ καὶ λογισμοῖς ὁμοίαν φύσιν ἔχει. Moserus, qui propter defectum copulae in plurimis Codd. delere volebat *cursibus*, non cogitavit talem negligentiam millies deprehendi: ecce, infra cap. 10, 48, *que* omissum est post *coniunctionem*, in praestantissimo libro Voss. A. — Lactantii Instit. II, 11, init. in alio genere negligentiam notaverat iam Lipsius Physiol. Stoic. III, 4.

quamdam maturitatem serendi generis humani) In elegantissima Promethei fabula apud Platon. Protag. p. 320, D (quam in omni hac disputatione minime neglexit Cicero) dicitur, ἐπειδὴ δὲ καὶ τούτοις (θνητοῖς) χρόνος ἦλθεν ὁ εἱμαρμένος γενέσεως —. *Serendi* verbum mutuatus est ab eodem Platone Timae. p. 41. E. 42. D; ut ipse in Timaeo Cap. XII. posuerat *satis et quasi sparsis animis:* conf.

Caton. Mai. 21, 77. — Quod in uno alteroque librorum meorum est, *in terris*, adeo non contemnendum videtur, ut fortasse praestet alteri, siquidem haud parum convenit cum iis, quae Madvigius disputat ad Fin. p. 786: neque enim motum ipsum nunc indicare vult Cicero, sed mansionem.

quumque alia, quibus cohaererent homines, —) Librariorem turbas in hoc loco bene superaverunt viri docti. In Ambros. *a* rursus exemplum est non deletae pravae lectionis sequente meliori (*docerent cherent*). Coniunctivus in *cohaerent* ideo postulatur, quod ipsum quoque hoc refertur ex illa disputatione, cuius summam proponit. Itaque rectissime vidit Madvigius, quod ipse dudum videram, in Fin. I, 11, 38, pro *videtur* et *caret*, Coniunctivos esse restituendos; nisi quod ipse edidit *videretur* et *careret*, mihi placebat et *videatur*, et *careat:* neque enim temporis formam in *placuit* nunc quidem urgendam esse, et reliqua suspensa potius videri ex Infin. *esse*. — Mox *tamen*, post *animum*, soli Lagom. 124. 126. praebent: itaque omisi, ut importunum. — Ex multis locis, in quibus placitum hoc, animum esse divinum, disputatur, animadverti hunc Tusc. I, 24, 56; in quo perperam Matthiaeus De Anacoluthis p. 19, anacoluthon, *animum ipsum*, ita explicat, ut dicat in sqq. *hominis vitam* idem esse quod *animum*. Non est ita: apparet enim suspensa esse ista (*animum ipsum*), subiecto primum *si nihil* — , tum *item*, *si nihil* —: indeque explicari praecipuas animi dotes, quae confirment illud ipsum, animum praeterea multa habere; totamque hanc digressionem initio demum Cap. 25 inhiberi, et in verbis, *eum iurarem esse divinum* demum absolvi id, quod initio (*animum ipsum*) inchoaverat.

ex quo vere vel agnatio — appellari potest) Redit oratio ex obliqua ad directam formam. Dubium videri potest qua syntaxi dativus, *nobis*, defendatur: non certe ita ut cum *appellari* iunctus accipiatur pro *a nobis*, (de quo

genere Madvigius dixit Fin. p. 27:) potiusque existimo, in totius sententiae contracta forma, *agnatio nobis cum coelestibus* — *appellari potest*, accipiendum esse pro, id quod nobis cum diis intercedit eiusmodi est, ut vel agnatio — appellari possit. Fin. II, 5, 16, *appellat hanc dulcem in motu*, i. e. ut sit voluptas in motu. Divin. I, 50, 112, *nullam eorum divinationem voco*, i. e. nihil quod isti praesentiunt divinationis homine voco. Nat. D. II, 20, 51, *quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt.* — Cum sequenti sententia, unum hominem habere aliquam notitiam dei, haec conspirant Platonis Protag. p. 322. A. *ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄνθρωπος θείας μετέσχε μοίρας, πρῶτον μὲν διὰ τὴν τοῦ θεοῦ συγγένειαν ζώων μόνον θεοὺς ἐνόμισε.*

ipsisque in hominibus nulla gens est) Quas Moserus diligenter enotavit varietates lectionis, eaedem sunt in meis libris: sed in Voss. A et B manifesto *ipsis* erasum est: quod in aliis est *de ipsis*, corruptum ex *dei ipsis*, indeque reliquae corruptelae. Sed non poterat, istis omissis, statim abrupte subiici *nulla gens* cet.: quumque dixisset solum hominem dei habere notitiam, illud praeterea affirmandum erat, addita *que* ad *ipsis*, nullum esse hominem qui non haberet.

neque tam immansueta, neque tam fera) De iterata negandi particula post generalem negationem (*nulla*), saepe disputavit Madvigius ad libros de Finibus: recteque praeterea Ochsnerus ad Ecl. Cic. p. 22. ostendit per *neque* — *neque* ea quoque disiungi per cumulationem, quae eiusdem generis sint, ideoque servari posse *immansueta*, prae deteriorum librorum lectione *mansueta*. Addendum est, stultum quid contineri ista lectione, nullam gentem tam mansuetam esse, quin —. Moserus tamen verissimam lectionem ideo deserendam putavit, quod *tam* non iteraretur in similium disiunctione. Quem, spero, haec meliora docebunt: Fin. II, 20, 65, *nec tamen illa superiora tam*

magna, neque tam praeclara ducebat: Tusc. I, 13, 30, *quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis:* pro Sull. 27, 76, *neque ulla gens tam barbara, aut tam immanis umquam fuit:* Phil. II, 13, 33, *qui locus est aut tam desertus, aut tam inhumanus.* — Mox, quod ex Lactantii Codd. memorat Davisius, *qualem haberi*, ideo vitiosum est, quod ex antecedd. necessario subiectum cogitandum est, cui Infinitivus Activus accommodetur; id quod non cadere puto in eos locos, quos collegerunt tum alii, tum Madvigius ad Fin. II, 7, 21. p. 178.

§ 25. *ex quo efficitur illud*) Ponitur haec formula in extrema conclusione: unde apparet perperam a nonnullis defendi in Nat. D. I, 5, 12, *ex quo exsistit et illud:* verum vidit Orellius, particulamque *et* omisit.

ut is agnoscat deum — et agnoscat) De primo et postremo verbo huius sententiae (*agnoscat*) nihil stabile est in Codd.: tam proclivis est confusio verborum *noscere, cognoscere, agnoscere, ignoscere:* cf. Cortius ad Salust. Catilin. XXXV, 2. Var. Lect. in Cic. Orat. 55, 183. Goerenz. ad Acad. II, 1, 1. Verumtamen negari nequit ferri non posse ut idem per idem explicetur, dicaturque *ut is agnoscat — qui agnoscat.* Et sententia postulat, quoniam modo demonstratum est omnes homines habere aliquam notitiam dei, nunc ut dicatur unde illa notitia oriatur, aut quo nitatur. Quapropter legendum videtur (quo ducunt vestigia Voss. C, et Burn. *δ*, *ut ignoscat*) *ut is noscat deum*, i. e. notitiam habeat dei, *qui — et agnoscat.* Plato Legg. X. p. 899. D, *ὦ ἄριστε δὴ φῶμεν. ὅτι μὲν ἡγεῖ θεοὺς, ξυγγένειά τις ἴσως σε θεία πρὸς τὸ ξύμφυτον ἄγει τιμᾶν καὶ νομίζειν εἶναι.*

neque alio ullo ingenio praeterea) De ordine verborum, *alio ullo*, prae altero, *ullo alio*, quem mei quoque deteriores libri habent, satis monuerunt viri docti. Quaeritur an recte praepositio omittatur (*in ingenio?*) Qui dubitarunt, ut Davisius, correxerunt *in genere.* Recte, ut puto:

nam et supra dixerat Cap. 7, 22, *animantium genera*, et infra Cap. 11, init. *genus humanum*, ubi de ingenio loquitur.

est autem virtus nihil aliud, in se perfecta — natura) Quod Moserus de uno libro M. monuit, abesse *quam*, idem nunc affirmo de optimis meis libris. Sed quis praeterea probabit *in se perfecta?* Solet enim in hac definitione *per se* ponere. Cap. 9, 27, natura *quae — confirmat ipsa per se rationem.* Tusc. II, 21, 47, *ratio, quae connixa per se et progressa longius, fit perfecta ratio:* neque alterutrum addiderat modo Cap. 7, 22, *quae quum adolevit atque perfecta est:* et infra Cap. 16 fin. *virtus perfecta ratio.* Facile est ad corrigendum, ut legatur — *nihil aliud, nisi perfecta —:* quod genus corrigendi commendavi Bibl. Cr. N. V, 1, p. 29. sq. Interpolatum *quam* in Ambr. *a* adeo alienum locum invaserat, *aliud in se est quam perfecta.* Quod ibi memoravi mendorum genus, eius exemplum est infra III, 12, 27, ubi Lagom. 58 exhibet *summum bonum locum.*

propior certiorve cognatio) Rectum esse potest *certior:* tamen Offic. I, 17, 53, in simili certe coniunctione, *arctior* ponit, quod, ut exquisitius, mutatum esse forte quis suspicetur, ideo quod *proprius* (in nonnullis enim libris vitiosum exstat *proprior*) et *certus* iungi solent: cf. Goerenzii annotatio.

ut ea quae gignuntur) Ita II, 7, 16, *ea quae gignuntur nobis ad fruendum.* Ubi illa periphrasi de plantis tantum et arboribus utitur, addi solet *e terra:* cf. Beier. ad Offic. I, 7, 22. — Mox *profundi*, non simplex *fundi* ponitur, quod abundantia et luxuries significanda erat; sicut Orat. II, 21, 88.

quod perspicuum sit) Ernestus, qui postulabat *quo perspicuum fit*, debuisset saltem *ex quo*, sicut Fin. V, 13, 37, *ex quo perspicuum est.* Sed neque hoc probandum, neque, quod alii maluerunt, *quod* interpretandum ut

sit pro *ita ut*, siquidem haec non in conclusione, sed in assumtione dicuntur ad probandum id quod modo positum erat, omnia ista *donata consulto nobis* esse. Requiritur potius ad *pecudes* eiusmodi adiectio, qualis erat *ea*, *quae* — *profunduntur*, vel concinnitatis causa. Hoc vidisse puto Davisium, qui corrigebat *quas:* commodius (nam et in Voss. A *quod* est ex correctione, fortasse ex *quom*, et in aliis est *quidem*) corrigetur *quarum*, (solet enim *partim* ita cum genitivo coniungi plurali, vid. Beierus ad Offic. II, 21, 72.) sicut supra Cap. 7, 22, *quorum* vidimus in *quom* corruptum. Restat porro ut corrigatur *est* pro *sit*. Memini sane Madvigium Emendatt. p. 9. sq. vulgatam defendere, quod haec ipsa, quae afferuntur ad superiora probanda, ita tamen cum illis cohaereant, ut illorum contineant demonstrationem, simillimosque, ait, locos esse Fin. III, 19, 64 et V, 13, 37. Verum, quod pace viri praestantissimi dicam, alia est istorum locorum indoles; in quibus manifesto ipsa demonstratio iteratur; hoc autem loco proprie nihil est quod demonstratur, et superiora illa (*itaque* — *videantur*), velut cognita et indubitata, admonendi et confirmandi tantum causa ponuntur, sicut omnia reliqua usque ad § 27, ubi abrumpit hanc enumerationem (*neque enim omnia* cet.) Ne hoc quidem negligendum est, si ista causam superiorum redderent, non ita disiungenda fuisse, ut a verbis *nec solum ea* nova sententia inchoaretur: alterum si voluisset Cicero, scripsisset, puto, — *videantur, quod perspicuum sit non solum* — *sed etiam pecudes* — *procreatas*.

§ 26. *quam imitata ratio*) Perperam Goerenzius cum his componit longe diversa, quae disputantur Nat. D. II, 59, 148 et Orat. 55, 183; quibus locis tralatitium illud docetur, artem ortam esse ex collatione eorum quae cernerentur in vita. Hoc loco ea intelligitur *naturae imitatio*, qualem describit Posidonius apud Senecam Ep. 90, sicut in eodem argumento Aristoteles dixerat Meteorol.

p. 587. E, *μιμεῖται γὰρ ἡ τέχνη τὴν φύσιν*. Non recte igitur, ob unius *imitandi* vocabuli similitudinem, haec Beierus contulit cum Offic. I, 35, 127, init. Neque Moserus quidquam sollicitasset in Nat. D. II, 53, 132. fin. si meminisset et istic, et hic *artes* in naturae et divinae providentiae beneficiis poni.

CAPUT IX.

ipsum autem hominem) Opponitur *homo* commoditatibus iis, quibus vitam eius ad fructum et ad usum instruxit natura. — Tum servavi id, quod libri mei omnes habent, *sed et sensus*, quod perperam secundum nonnullas veteres editt. mutatum est in *sed etiam*, quum non attenderetur in enumeratione haec dici, *et sensus*, — *et rerum plur.* — *figuramque*. — Non diffitebor tamen propter *attribuit* perperam abesse mihi videri dativum: ut fere non dubitem quin *et* mutandum sit in *ei*, quo modo saepius erratum est: conf. Ruhnk. ad Vell. Pat. II, 37, 5. p. 201. b. Madvig. Ep. Crit. p. 70. — Quod autem *eadem natura*, pronomine cum iterato subst. iuncto, dixit, solet ita, ut Tusc. I, 20, 46, *quid, quod eadem mente*.

et rerum plurimarum obscuras nec satis intelligentias enodavit) In loco nondum perpurgato optimos libros ita secuti sumus, ut inde et *obscuras* reciperemus (quoniam non *res*, sed *intelligentiae obscurae* dicantur necesse est,) et *nec satis* retineremus, desereremus autem corrupta in iisdem, *intelligendas*, aut *intelligenda*: in aliis et *obscurarum*, et *necessarias* est. Rectissime autem ab aliis iam correctum est *inchoavit:* (quamquam Madvigius Emendatt. p. 10. quum dicit *enodare* semper de ipsa *re*, numquam de intelligentia et scientia dici, immemor est loci Topic. 7, 31, ubi, quamquam ipsa sententia demonstrat verissime excludi ab hoc loco *enodavit*, tamen dicitur *cognitio, enodationis indigens*:) eaque correctio confirmatur ex hoc

ipso Libro § 27 et 44. fin. Fin. IV, 13, 34. fin. Relinquitur corrigendum istud *nec satis*. Nam quod multi libri habent, *necessarias*, parum commode defenditur certe a Goerenzio, qui exempla affert duorum adiectivorum sine copula cum subst. iunctorum, quorum exemplorum diversa ratio est. Beierus ad Offic. III, 19, 76, post *nec satis*, *illustratas* excidisse putat; Madvigius, post V. D. in Miscell. Observ. apud Moserum, ad Fin. V, 21, 59, videtur *claras* inserere velle. Sed quum haec disputatio pertineat ad commendanda naturae beneficia quibus homo ornatus esset, non decet imminuere hanc praedicationem addito istas intelligentias, praeterquam quod *obscurae* sint, ne satis quidem claras esse. Equidem suspicor *nec satis* corruptum exstare in antiquissimis Codd. ex *insitas*, quod ipsum olim fuisse interpolatum ab eo qui meminisset sic istas intelligentias appellari. Potius tamen est, ut suspicemur *necessarias* h. l. eodem corruptionis genere laborare, quo in Lagom. 39 et Ven., infra II, 11, 28. fin., ubi quum reliqui omnes habeant *incerti casus*, isti *necessarii casus:* itaque antiquitus fuisse veram lectionem, *sed certas*. — Ceterum non puto haec e Stoicorum dici potuisse sententia, quod significare videtur Madvigius l. c., nec satis distinguit Beierus l. c.: quamquam in talibus Cicero ipse nutare solet: ne illud quidem quod infra § 30 dicitur, de *inchoatis intelligentiis* quae *similiter in omnium animis imprimuntur*, si istius loci consilium attendimus, ad Stoicorum placitum referendum est. Sed haec minus pertinent ad huius loci interpretationem. In illius loci Fin. V, 21, 59 constitutione, quam, quum a Manutio esse crederetur, confirmari Codd. auctoritate docet Madvigius, nondum acquiscere possum. Legitur nunc, *sed virtutem ipsam inchoavit; nihil amplius. Itaque nostrum est — ad ea principia — consequentia exquirere.* Quorsum autem *ipsam?* quum nihil sit cui opponatur virtus: nec video quo pertineat concludendi coniunctio

itaque: ne *sed* quidem, quod initio ponitur, quum praecedat naturam *induxisse in elementa virtutis*, facile defenditur, praesertim addito *virtutem ipsam.* Et *itaque*, quum in aliis libris alium locum occupet, non idoneam per se habere auctoritatem videtur: quo omisso locus sic fortasse melius constituetur: *sic virtutem ipsa inchoavit, nihil amplius: nostrum est —:* in quibus *ipsa* (natura) opponitur seqq. *nostrum est.* Contra *sic* vitiose mihi legi videtur Fin. II, 29, 94 *Sic Epicurus:* pro quo alii *sit:* imo *sed*, quasi dicat, nihil opis adferre potest huic Epicurus, sed hoc suo dictato prorsus inutili utitur.

figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit —) Totum hunc locum de apta fabrica corporis humani e Stoicorum disciplina explicat Balbus, Nat. D. II, 54, sqq. Sed Pisonis oratio, in eodem argumento versata, Fin. V, 12, 35, mendo carere mihi non videtur. Demonstrat *ita figuratum esse corpus, ut excellat aliis. Corporis igitur nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet; neque est dubium quin frons, oculi, aures et reliquae partes quales propriae sunt hominis, intelligatur.* Recepit Lambini correctionem in postremis, *sint*, Madvigius: recte: sed haec ipsa sic interpretatur »intelligi cogitando posse, qualis frons cet. »propriae sint hominis, ut non temere haec nobis data »esse videantur, sed ea, quae apta essent ad naturam, »electa esse." Hanc sententiam in Tullianis verbis inesse agnoscere non possum: neque *poprium esse hominis* idem esse puto, quod *aptum ad naturam;* quod sensisse videtur Madvigius, quum spreta Nissenii correctione (*quam — sint*), non *quam propriae* sed *quam aptae*, dici debuisse animadvertat. Equidem requiro, non dicam verba, sed hanc certe sententiam, *qualis propriae sint muneris*; sicut supra Legg. I, 5, 16, *cuius muneris colendi efficiendique causa nati simus.* — *Habilem et aptam* sic iungi, pulcre adhibuit Heinrich. ad emendandum fragm. pro Tullio p. 81. sq. conf. Orat. I, 25, 115.

quum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, et ad coeli — conspectum excitavit) Conf. Fin. II, 13, 40: et eleganter *abiicere* cum contemtus significatione dici, multis exemplis demonstrat Schutzius in Indice Latinitatis. Plato Republ. IX. p. 586. A, de iis qui voluptatibus dediti sunt, *βοσκημάτων δίκην κάτω ἀεὶ βλέποντες καὶ κεκυφότες εἰς γῆν* —, quae expressit Salustius. Philemon Stobaei II, 26, nullo alio, inquit, a brutis distat homo, nisi quod *πλάγι' ἐςὶ τἄλλα, τοῦτο δ'ὀρθὸν θηρίον*. — Quod in pluribus optimisque libris *et* ante *ad coeli* abesset, malui absorptum credere praeced. syllaba (in *erexit*), quam deteriorum librourm exemplo corrigere *ad coelique*. — *Domicilium* intelligit animi: sicut corpus erat praesens *domicilium*: cf. Ruhnken. ad Vell. Pat. II, 69, 4.

speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret) Vetustissimi libri verba *formavit oris* corrupta habuerunt, unde fluxit correctio *forma altiori*. Sed vix dubito quin corrigendum sit *in eo:* non enim in *specie oris*, sed in cuiusque *ore effinguntur mores*: nam illud *fingendi* verbum proprium est artificum, qui aliquid effingunt in materia, sicut h. l. in ore, velut in materia, natura effingere dicitur mores, qui sic quasi exstent; prout Virgilius dixit Aen. VI, 32, *casus effingere in auro*. Propterea vix defendi poterit locus Tusc. I, 25, 61, de memoria, an sit conferenda cum vestigiis rerum, quibus animus, tamquam cera, imprimatur; *quae porro tam immensa magnitudo, quae illa tam multa possit effingere?* Sed non ipsa magnitudo effingit, neque hoc mirandum erat, quid illa posset, sed *in qua illa t. m. p. e.;* quamquam diligentius, puto, scripsisset, *tam multa possint effingi*. Hinc Orat. II, 43, 184, *ut quasi mores oratoris effingat oratio*, alio quodam modo dicitur, translata actione ad ipsam, in qua effingerentur, materiam: conf. ibid. 60, 243. Sed *effingere* quum absolutionem quamdam operis et

imaginis contineat, perperam Goerenzius inferre voluit in alienum locum, Fin. V, 21, 59. pr. Et quandoquidem in *effingendo* non tantum consilium, sed artificium etiam cogitari debet, malim in Divin. I, 13, 23, secundum nonnullos Codd., *efficere* legere: aliaque de causa praestabit fortasse *efficere* in his, Nat. D. III, 9, 23, *nec ullam vim esse naturae, ut sui dissimilia possit effingere*, quamquam ea constans esse videtur librorum scriptura. — *Reconditos* quod Goerenzius abesse mavult, non intellexit in eo ipso praestantiam illius naturalis artificii censeri, quod effingeret id quod reconditum esset.

§ 27. *nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus loquuntur*) Istud *nimis* nulla interpretatione defendi posse puto. Moserus, quum recte Schutzii coniecturam (*indices arguti*) repudiasset, tres deinceps alias de suo commemorat, quarum singulas refutare longum est. Mihi videtur *nimis* facillima corruptione ortum esse ex *in minimis;* quemadmodum Nat. D. II, 56, 141 confusa sunt *minimos* et *nimios*. Conspirat ipsum huius sententiae consilium: nam sicut *os* universe *mores* refert, ita *oculi* ea pars corporis sunt, *quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere*, Orat. III, 59, 221: cf. Orat. 18, 60. Itaque recte mihi dici videntur *oculi in minimis arguti*, quod eae commutationes et celerrimae et minutae, i. e. ceteroquin vix animadvertendae esse solent. — De Indorum instituto, qui mores iudicabant oculorum indicio, pulcre tradit Nicostratus Stobaei LXX, 12 (T. III. p. 41. Gaisf.) — Recipiendum fuit *affecti simus*, quamquam Codd. fere *sumus* exhibent: eademque varietas Codd. est in eadem locutione Partit. Orat. 10, 35, tum in iisdem plane verbis, Fin. V, 10, 30. Et sane miror Bremium ipsum (Philol. Beytr. I. p. 185) defendere hunc Indicativum. Concederem post relativum pronomen; de quo praeclare docet Madvigius ad Fin. V, 26, 76, p. 752. sed idem vir praestan-

tissimus rursus deserit Bremium in Fin. ibid. 9, 24: et recte, omnemque illam syntaxeos legem attigit ad IV, 24, 67, ex qua pendenti interrogativo (ut *quemadmodum*) Coniunctivus subiiciendus est, sive certa ea res sit, quae dicatur, sive incerta. Magis apparebit hoc, si animadvertitur in pendente sententia subiectum et praedicatum diversa esse a subiecto et praedicato primariae sententiae, itaque *quemadmodum* non esse relativum, sed interrogativum: nec, quum recte dicatur *hic loquitur, quemadmodum* (*ut*) *ille loquitur*, probari posse *oculi loquuntur* (*indicant*) *quemadmodum* (*ut*) *nos affecti sumus.* Igitur deserendus est Garatonius ad Milon. 18. init., neque editores opprimet permagna multitudo locorum, in quibus remansit facillime explicandus scribarum lapsus. Goerenzius ipse, quum defendit Indicativum, tamen, sententiae paraphrasin excogitans, qua hoc explicaret, Coniunctivo utitur. Peculiaris ratio esse videtur loci Lael. 25, 96: *atque ut ad me redeam: meministis, Q. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur:* nihil pertinebat ad istius legis existimationem illisne, an aliis consulibus lata fuisset: sed totum hoc, *meministis — consulibus*, interponitur extra constructionem, temporis indicandi et in memoriam revocandi causa; itaque *quam — videbatur!* per se dicuntur, nec ex illo *meministis* pendent. Et sic, credo, Zumptius quoque accepit ad Verr. II, 53. init.

qui appellatur — qui — potest) Utiliter duplex relativum unius subiecti animadvertit Orellius ad Tusc. I. § 61, sicut fecerat ad Top. § 6. in Analect. Vol. IV. P. II. p. 588, et postea ad Coel. 6, 14.

indicat mores) Unius auctoritate Gud. sec. Goerenzius *mores* abiecit, quod nihil aliud in verbo *indicat* intelligendum sit, nisi *quemadmodum animo affecti simus.* Neque hoc orationis concinnitas patitur, neque haec in

duas partes sententiae distractio: brevius enim dicenda haec erant, si eodem referrentur. Sed necessario a subitis animi affectionibus, quas oculi indicarent, distinguit mores, τὸ ἦθος, qui mentis aut perpetuam, aut certe diuturniorem conditionem continent. Hinc vultum componere licet, oculos non item: nec contrarium est quod vultus *a mente fingi* dicitur Tusc. III, 15, 31. Tollendum propterea glossema est ad Div. III, 8, 2: *nihil enim habent, quod definitum sit aut certum, nisi me vultu, taciturnitate significasse, tibi non esse amicum:* explicare voluit nescio quis, quid esset *vultu significare;* hinc additum *taciturnitate*, satis inepte, quasi non item loquentis vultus indicaret multa: alii asyndeton hinc ortum tollere studuerunt, interposita copula. Ad Div. XIII, 6, 3, *si omne genus liberalitatis — non modo re, sed etiam verbis, vultu denique expromseris.*

cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent) Fieri non potest ut hoc dicere voluerit Cicero, Graecos nullum habuisse vocabulum quo id appellarent, quod Latini *vultum* dicebant, quum vim eius nossent: sed nullum habuisse nomen quod per se rem indicaret, sicut *vultus* a *voluntate* dicitur. Quumque *omnino* non apte h. l. ponatur, quum simpliciter dicendum esset *non habent*, puto corruptum esse vocabulum (perperam enim in uno alteroque Cod. omittitur) ex alio quod eamdem rationem haberet ac *nativum*, i. e. ex ipsa re ortum: sed coniecturam relinquo aliis tentandam.

orationis vim) Quod habet Lagom. 10, *orationisque vim*, improbandum ex verissima Madvigii observatione, tum copulam addi, quum plena fit enumeratio partium aut formarum, non ubi exempli causa (ut h. l.) unum alterumque memoratur.

in iis libris quos legistis) De meis quoque libris optimi quique habent *in his libris:* neque tamen nunc huic demonstrativo locum esse puto, quo praesertim relativi

subiecti necessitas excluderetur. Supra, Cap. 6, 20, dixerat *in illis libris.* — Ante haec recte legitur *neque enim*, perperamque *enim* in duobus libris omittitur, quod indicium est abruptae enumerationis.

quod principium reliquarum rerum esse voluit) Explicare haec verba non potuisse editores minus mirandum est, quam fuisse, qui confidenter de eo pronunciarent. Dixerat modo non omnia esse huius disputationis ac temporis, satisque hunc locum expressum esse a Scipione. *Nunc*, i. e. satis est hanc summam conficere argumentationis modo, inde a Cap. 7. expositae, (perperam duo libri addunt coniunctionem, *nunc etiam*, quemadmodum Tusc. III, 1, 2, complures libri *nunc vero*) *quoniam hominem generavit* (Cap. 7, 22) *et ornavit deus*, (Cap. 8. sq.) *perspicuum sit illud* cet.: interponit autem *quod principium reliquarum rerum esse volui*, scil. ex quo reliquam disputationem velut a fonte ducerem. Hanc correctionem, pro vitioso *voluit*, certissimam esse tanto confidentius affirmo, quod nunc occupatam video a viro docto in Bibl. Philol. Lips. apud Moserum, qui tamen nec ipse, nec Orellius ullum huic invento pretium statuit. Tamen saepe ita loquitur Cicero. Fin. V, 10, 27, *quamobrem ordiamur ab eo, quod primum posui*, nempe Cap. 9. Offic. I, 43, 153, *illa autem sapientia, quam principem dixi.* Orat. II, 53, 212, *sed est quaedam in his duobus generibus* (*quorum alterum lene, alterum vehemens esse volumus*) *difficilis — similitudo.* Rursus Fin. V, 7, 18, *illa prudentia, quam artem vitae esse diximus:* quare recte restituit Madvigius *diximus*, ibid. 8, 23, med. Terminationes illas *ī* et *it* innumerabilibus locis confusas esse, constat: sicut infra III, 19, 44, *tolli* deprehenditur, pro *tollit*, et I, 6, 20, *docui* pro *docuit:* contra in Livio V, 29, 10, Cod. Leid. *decipit* pro *decipi:* sed illo modo IX, 17, 2, Cod. Haverk. *volutavi* pro *volutavit*, idque non dubito quin recipiendum sit in his verbis: *tamen*

tanti regis ac ducis (Alexandri) *mentio, quibus saepe tacitis cogitationibus volutavi animum, eas evocat in medium:* neque enim probari potest in vulgata lectione ut aut Alexander, aut *mentio* eius volutaverit Livii animum. — Mox pro *disserantur* aptius legetur *edisserantur.*

ipsam per se naturam longius progredi —) Difficilis locus est Fin. V, 15, 43, ubi, quum dixisset quae haberemus a natura virtutum principia, *non sine causa,* inquit, *eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam, quasi deum, ducem subsequens ad naturae perveniat extremum.* (In quibus mirari satis non possum Beierum, qui ad Offic. I, 43, 153, p. 301, corrigit *ut naturam,* pro *ut eam.*) *Nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae quasi per caliginem cernitur, quum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturae vim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tamen inchoata.* Laborare haec postrema rectissime agnovit Madvigius; nam *per se inchoatam esse* (naturam), non esse contrarium huic, *agnoscere vim naturae:* melius credo, dixisset, non esse contraria *progredi longius posse,* et *per se inchoatum esse.* Sed eam difficultatem minime sublatam puto, mutato *tamen* in *tantum;* quo modo prorsus inutilis exsistit repetitio eorum, quae ante pluribus verbis iam demonstrata erant. Rursus non apparet, quare *inchoata* dicatur, quum haec postrema per legitimam sententiae constructionem ad *animum* referantur: multoque minus *per se inchoata* intelligi potest, quoniam *per se* requirit actionis significationem. Hinc tantum mihi liquet, iungenda certe esse (sicut in hoc De Legibus loco) *ut progredi possit longius per se:* reliqua corrigenda esse video, sed non nisi dubitanter coniecturam profero hanc, ut legatur *virtute inchoata.* — Quae sequuntur, illustrantur ex Fin.

V, 15, 41. — Mox, nihil erat cur e compluribus libris reciperem *ab his*, pro *ab iis*.

quae — confirmat ipsa per se rationem et perficit) Nihili esse puto quod ex nonnullis libris enotatur, *confirmabit* et *perficiet*. Sed dubium videri possit, an non, in orationis quippe obliquae continuatione, requirantur Coniunctivi, *confirmet* et *perficiat*. Tamen crebra sunt exempla, in quibus ab obliqua forma in rectam transitur.

CAPUT X.

§ 28. *diem vel totum in isto sermone consumere*) i. e. ita ut nihil spatii relinquatur reliquae disputationi. Perit haec sententia in Goerenzii inepta correctione *constituere*, quod in duobus libris repertum tam abiiciendum est, quam *festinem*, quod optimus meus superscriptum habet in *properem*. Similes sermonis interpellationes habet Plato; veluti Legg. VI. p. 781. D. in quibus est, *σχολῆς γὰρ ἀπολαύομεν καὶ οὐδὲν ἡμᾶς ἐςὶ τὸ κατεπεῖγον τὸ μὴ πάντῃ πάντως σκοπεῖν τὰ περὶ τοὺς νόμους.* Theaetet. p. 177. C. *ἐμοὶ μὲν τὰ τοιαῦτα, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἀηδέςερα ἀκούειν κ. τ. λ.*

sunt enim haec maiora — quorum haec causa praeparantur) Ad Div. III, 13, 1: *haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quae haec laborantur.* Plato Sympos. p. 210. init., *ὧν ἕνεκα καὶ ταῦτά ἐςιν.* Et appellabat hoc *προοιμιάζεσθαι* Plato Legg. IV. fin. — Errat Moserus, quum *complecti* idem esse dicit, quod *breviter attingere*.

in hominum doctorum disputatione) Nondum ita mihi persuasum est numquam ita scripsisse Ciceronem, ut, prae meorum librorum omnium auctoritate, cum Goerenzio ederem *doctorum hominum*. Infra quidem III, 6, 14 *doctissimos homines* libri servant, exceptis *a* et Lagom. 10; sed ibi certe collocationem commendat oppositio. Et

omnino *doctum virum* dici, quum certa vitae conditio aut institutum intelligatur, recte Handio non concedit Stuerenbergius in Ed. 2da Archianae p. 78: neque certe P. Rutilius (*doctus vir*, Brut. 30, 114), quamquam *prope perfectus in Stoicis* dicitur, in philosophis numerandus est, neque Lucullus (Acad. II, 20, 64): tum ubicumque adiectivum praeponitur, fieri puto hoc cum insigni et destinata ipsius doctrinae et praestantiae significatione; quemadmodum ad Div. VI, 1, 3 *doctorum virorum* disputationes tacite opponuntur communi opinioni ac sensui: et supra Cap. 6, 18, manifesto *doctissimi viri* opponuntur iis, qui Romae ius tradere et explicare solebant. Orat. 51, 172, *doctissimi viri* opponuntur iis, quorum aures inhumanae atque agrestes essent. Loci Orat. III, 15, 57, utpote turbati, ratio haberi non potest: sed Offic. III, 1, 3, *homines docti* sine ulla varietate legitur.

neque opinione, sed natura constitutum esse ius) Pertinent haec quodam modo ad eam oppositionis formam quam Wyttenbachius illustravit Bibl. Crit. P. I. p. 22. P. XII. p. 6: unde optime refutatur Ernesti suspicio in Tusc. V, 35, 101. Neque audiendus Goerenzius, qui *neque* explicat *id est, non.* Particip. *constitutum*, ut ex meorum librorum collatione apparet, modo ante, modo post *esse* scribitur: et fortasse interpolatum est, quoniam *constituere ius* non est *opinionis*, certe minime est *naturae:* rectissimeque, ut alias, dicitur *neque opinione, sed natura esse ius*, ut infra Cap. 17, 46, *bonum non est opinionibus, sed natura.* Quale sit discrimen, intelligitur ex his, Cap. 16, 42, fin., *si* (iustitia) *neque natura est, eaque, quae propter utilitatem constituitur* —.

§ 29. *tam simile, tam par*) In uno Cod., teste Mosero, absunt *tam simile:* non recte; nam in gradatione haec coniunguntur, ut bene agnovit Kritzius ad Salust. Catil. XIV, 4, quo ipso loco satis se tuetur, utpote in diverso sententiae consilio, alter ordo, *par similisque*,

sicut Nat. D. II, 61, 153. De casu cum *similis* iungendo, genitivo an dativo, copiose et acute praecipit Madvigius Fin. p. 632. sq. Et habet h. l. dativus eam quoque excusationem, quod utrumque (et *unum* et *uni*) cum altero confertur, simulque alterius norma esse ponitur ad quam exigatur.

opinionum vanitas) Duo libri de meis id, quod Davis. ex uno Harl. edidit, habent, *varietas:* et sic sane est infra Cap. 17, 47. init. sine ulla varietate. Tum Tusc. III, 1, 2, *tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, et opinioni confirmatae natura ipsa cedat.* Nihilominus servanda vulgata est, quoniam *veritati* opponitur *vanitas*, neque in praesenti sententia attinet commemorari quotuplex, sed quam falsa sit opinio, quae hominum animum flecteret.

quocumque coepisset) Non attinet Davisii coniecturam, *cupiisset*, refutare. Sed *coepisse* saepe ita ponitur in maiori audacia, et in vitio: Republ. I, 42, 65, *quum rex iniustus esse coepit.* ad Div. I, 2, 2, *Lupus tribunus pl. — intendere coepit.* Offic. II, 8, 27, *desitum est — videri quidquam in socios iniquum.* ibid. 21, 75, *si quando Romani dona accipere coepissent.* Salust. Catil. VII, 1, *coepere se quisque extollere.*

quam omnes sunt omnium) Servandam duxi omnium Codd. lectionem *sunt*, prae eo, quod Davis. reliquique requiri putabant, *essent.* Neque enim oratio est obliqua: et hoc ipsum est, quod demonstrat, *esse omnes omnium similes.* Sed videntur viri docti totum hoc sic accepisse, quasi significaret Cicero maiorem fore omnium inter omnes similitudinem, nisi depravatio consuetudinum cet. Contra, suspicor hoc velle eum, per depravationem consuetudinum opinionumque vanitatem singulos homines dissimiles sui ipsos reddi, i. e. non assequi illam Stoicorum ὁμολογίαν, quam si assecuti essent, non eam similitudinem iis quoque maiorem fore, quam sit omnium inter omnes.

itaque quaecumque — una in omnes valet) Coniunctio *itaque*, (quae per errorem in duobus libris est *ita*,) quum conclusionem indicet, evincit rursus eam lectionem, quam in proxime antecedd. vindicavi, *sunt omnium:* propterea enim quod *omnes sunt omnium* similes, una in omnes definitio valet. Sed Goerenzius haec verba, *quaecumque est hominis definitio*, sic accepit, quasi plures verae hominis definitiones esse possent: id quod alienum puto et a re, et a Stoicorum placitis; et requireretur sic, nisi fallor, *quaecumque sit* —. Si autem probari non potest ut plures una definitiones cogitentur, corrigendum arbitror, *quae cuiusque est hominis definitio.* Nam ita demum argumentatio consistit, ut dicat, quae cuiusque (singulorum) est definitio, ea omnibus convenit; eoque demonstratur omnes omnium esse similes.

§ 30. *quod argumenti satis est, nullam* —) De hac syntaxi monuit Madvigius ad Fin. III, 5, 17, p. 370. Frustra est Davisius commendans nonnullorum librorum lectionem, *argumentum.* In Graecis exemplis, quibus hanc syntaxin defenderet, perperam ponit Aristoph. Thesmophor. 376, ut Brunckius et Porsonus ostenderunt. Rursus plane otiosa et a Ciceronis consuetudine discedens Davisii in proximis coniectura est, *quia si esset non una.* Ceterum argumentatio, qua rem esse demonstratur e definitione, plane Stoica est, ut definitio in modis veri quaerendi et diiudicandi ponatur: conf. Diog. Laert. VII, 42, et Menag. ad VII, 60: et hinc explicandum, quod in Epicuri dialectica reprehenditur (Fin. I, 7, init.), *tolli definitiones*, i. e. certa κριτήρια.

ratio qua una praestamus beluis) Non inutilia memorantur ab editoribus ad h. l. ea, quae ab aliis de duplici λόγῳ exposita sunt e Stoicorum doctrina. Nunc autem ita unam ponit *rationem*, ut mox subiiciat *interpretem mentis orationem.* Similiter *orationem* a *ratione* secernit Fin. II, 14, 45. Offic. I, 4, 11, sq.

Conficimus aliquid, concludimus) Quod Moserus malebat, *aliquid ac concludimus*, habet Ed. Ven. Et sane asyndeton in hac synonymorum coniunctione vix ferendum est. — Mox recte novissimi editores deseruerunt Davisium et Ernestum, qui malebant *facultas*. Scilicet tota sententia ad unam *rationem* refertur, quam quum *communem* omnium dixisset, eamdem in singulis addit *differre doctrina*, sed *discendi facultate parem* esse. Ita, mox, *oratio, verbis discrepans, sententiis congruens*.

sensibus eadem omnia — movent omnium) *Eadem omnia comprehenduntur*, dicitur per breviloquentiam pro, quae comprehenduntur non alia aliis videntur, sed eadem omnibus. Sic autem haec cum superioribus nectuntur, quod Stoici sensuum certa et vera iudicia esse statuebant, tum et his, quas illi *φαντασίας* appellabant, et inchoatis intelligentiis, quas *ἐννοίας*, omnis scientiae disputationisque fundamenta contineri. Igitur idem alio modo dicit mox, *similiter in omnibus imprimuntur*. Ex eadem Stoicorum doctrina hoc est, *inchoatas intelligentias in animis imprimi*, qua in re et *τύπωσιν*, et alia appellabant: conf. Diog. Laert. VII, 50. Hinc utrumque genus coniunxit supra Cap. 9. init.: et, ut unum de multis testimoniis excitem, declaratur idem Acad. I, 11, 42: *e quo sensibus etiam fidem tribuebat* (*Zeno*), *quod, ut supra dixi, comprehensio facta sensibus et vera esse illi et fidelis videbatur: non quod omnia, quae essent in re, comprehenderet; sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiae et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis imprimerentur:* in cuius loci postrema parte non miror a Manutio insertum esse *eam* ante *natura:* certe aut hoc pronom. requiritur, aut, quod magis placet, *sui* in *sensus* mutandum. Nam quid est *principium sui* s. naturae? Contra de sensibus recte, puto, dicitur *normam et principium scientiae* esse. Tum recte servarunt editores *in*

animis, quum Lambinus praepositionem eiecisset, quae in hoc de Legg. loco constanter in omnibus libris servatur, nisi quod nonnulli deteriores eam mox, ante *omnibus*, omittunt. Quum autem, ut diximus, duplex ponatur scientiae fundamentum, tum in sensibus, tum in notionibus, apparet hunc locum in eorum numero esse, in quibus, in duarum partium distinctione, particulae *et* subicitur *que* (*et sensibus — quaeque —*); de quo genere recte contra Handium disputavit Madvigius ad Fin. V, 22, 64. p. 729. sq.

interpresque mentis oratio, verbis discrepat, sententiis congruens) Vulgo editur, *interpresque est mentis oratio:* pro quo sequi malui optimorum librorum meorum auctoritatem, quoniam non hoc enunciare volebat Cicero (quod supra Cap. 9, 27 suo loco significaverat), sed *orationem verbis discrepare, sententiis congruere*, quae in vulgata lectione negligenter adiecta videri necesse est. Sed ex illa prava lectione orta est correctio quae plurimos libros occupat, *discrepans:* quo spreto restitui id, quod orationis forma requirebat et in bonis libris ferebatur, *discrepat.* Rursus haec respondent iis, quae paullo ante ponebantur, *etenim ratio:* neque enim *que* nunc indicat transitum ad novam rem, ut in aliis locis exponit Madvigius Fin. III, 22, 73. p. 476, quae interpretatio magnas habet cautiones, ut suo loco dicam. Ceterum hoc ipsum, *interpretem mentis* orationem dici, arctissime cohaeret cum Stoicorum dialectica, qui hanc disciplinam ita ordiebantur, ut eam versari dicerent *περὶ σημαίνοντα καὶ σημαινόμενα:* conf. Diog. Laert. VII, 62. Baguet. de Chrysippo p. 64: nam in dialectica erat *ὁ περὶ φωνῆς τόπος*, Diog. Laert. ibid. 55. In hac sententia corrigendus est Iuncus Stobaei CXVI, 49 (Tom. III. p. 439.) *λόγον τῶν κατὰ τὴν ψυχὴν ἀγαθῶν* (leg. *αἰσθητῶν*) *ἄγγελον*. Append. Damasc. Tom. IV. p. 70: *εἰκόνες οἱ λόγοι τῶν ἐν τῇ ψυχῇ τύπων. ὥσπερ ὁ νοῦς κινούμενος ἐνεγράψατο.*

§ 31. *qui ducem naturam nactus*) Optimi mei libri omittunt *naturam*, tum plures in clausula habent *posset*: perperam utrumque. Sententiam bene exponit Wagnerus. Concludit autem sic hanc argumentationem de rationis societate hominum inter ipsos, quoniam, ut saepe dicitur, nihil aliud est *virtus*, nisi *perfecta ratio*.

CAPUT XI.

in rectis — in pravitatibus) Incredibile pene est quemquam huic integerrimae lectioni praetulisse corruptum *pravis actibus:* neque hoc probandum, quod Goerenzius et Moserus *pravitates* explicuerunt esse *νοσήματα* aut *ἀῤῥωςήματα·* suntque *vitia*, Gr. *κακίαι*, (conf. Tusc. IV, 13: Fin. II, 9, 27. 18, 58), et in deformitate ponuntur, aut in discrepantia partium inter se. Tum, quam recte *prava* rectis opponantur, ex propria verborum significatione, pulcre docet Gronovius ad Livium IV, 26, 6. — Cum universo hoc loco qui sequitur mirifice conspirat Musonius Stobaei XXIX, 78 (Tom. II. p. 19): *ὅμως δὲ καὶ ταῦτ' ὑπειληφότες διὰ τὴν ἀπὸ παίδων εὐθὺς γεγονυῖαν ἡμῖν διαφθορὰν, καὶ τὴν ὑπὸ τῆς διαφθορᾶς συνήθειαν πονηρὰν, πόνου μὲν προσερχομένου κακὸν ἡγούμεθα προσέρχεσθαι ἑαυτοῖς· ἡδονῆς δὲ παραγενομένης ἀγαθὸν ἡγούμεθα παραγίγνεσθαι ἡμῖν· καὶ τὸν μὲν θάνατον ὡς ἐσχάτην συμφορὰν πεφρίκαμεν, τὴν δὲ ζωὴν ὡς τῶν ἀγαθῶν μέγιςον ἀσπαζόμεθα κ. τ. λ.*

nam et voluptate capiuntur omnes) Particulae *et* mox respondet *similique inscitia:* in quo Handii errorem recte arguit Madvigius eo loco, quem modo ad § 30 fin. citavi.

habet quiddam simile naturalis boni) Non erat quod alii praeferrent *naturali bono*. Fin. V, 14, 38, *bestiae, in quibus inest aliquid simile virtutis.* Supra indicavi Madvigii de hac syntaxi disputationem. Sed perperam hunc locum contulit Goerenzius ad Fin. V, 16, 45: quem

postremum locum neque intellectum esse, et corrigendo penitus corrumpi a Goerenzio, video nunc a Madvigio quoque demonstratum esse, a quo tamen ita dissentio, (Klotzii et Ottonis libellos inspicere non potui) ut verba *sin autem est in ea* accipiam, *sin voluptas est in natura*, i. e. in bonis naturae: quae permutari posse inter se inde apparet, quod et *naturam expleri* (ibid. 9, 25) et *expletio naturae* (14, 40) dicitur. Nec sane in Madvigii interpretatione satis diserta, nec diligens est oppositio. Hoc quoque ignorabat Goerenzius, *quidam*, ut per contemtum dictum, referri ad Epicureos, sicut Lael. 13, 45. Tusc. II, 3, 7. Sext. 10, 23.

levitatis etenim et suavitatis delectans sic ab errore mentis —) Superiores Interpretes parum satisfaciunt in loco multis modis a librariis vexato: sed ne illud quidem amplector, quod Madvigio in Programm. laud. p. 8 videbatur, lacunosum esse locum propterea, quod in Cod. Havn. inter *suavitatis* et *delectans* vacuum spatium esset trium vocabulorum. Quis enim ignorat saepe integerrima quaeque in Codd. MSS. vacuo spatio distrahi? cuius rei et aliae causae excogitari possunt, et vitium quoddam in membrana. Servavi *etenim*, quod unus et alter de meis libris exhibent, sollemni more postea corruptum in *est enim*, aut *enim et*, aut *enim est*. Tum substantivum, a quo genitivum pendere oportere bene vidit Madvigius, deprehendisse mihi videor in corrupto *delectans*, quod nihili est: repono *delectu*. Requiri autem huiusmodi ablativum, quo indicetur iudicium quod secuti homines voluptatem, tamquam salutare aliquid, adsciscant, apparet, opinor, ex adiecto *sic*, quod minime explicandi causa aut demonstrandi ad particip. *delectans* adiectum esse potest, sed, cum *adsciscitur* coniunctum, in praecedd. requirit id, quo modus adsciscendi declaretur. Igitur, *voluptas levitatis delectu adsciscitur* nihil aliud est, nisi quod *deligitur id quod laevissimum est*. Goerenzium, qui putabat *sic*

esse concludendi particulam, eamque rationem duobus aliis praeterea locis adhibebat, refutare nihil attinet. In corrupto et, ut mihi videtur, lacunoso loco Fin. I, 7, 23. init. (*quod ipsa natura — sciscat et probet, id est, voluptatem et dolorem*), *probet* certe corrigendum erit, ut restituatur verbum oppositae sententiae.

in quo nati sumus) Nempe, *in quo statu:* conf. Fin. III, 5, 16: sic *in genere conservari suo*, ibid. IV, 7, 16. — Mox malui *quum sua asperitate*, motus diligentissima disputatione Stuerenbergii ad Archianam p. 164. sqq.

§ 32. *propterque honestatis et gloriae similitudinem*) De meis quoque libris optimi habent *propter quam*, quod merito repudiat Moserus. Non tamen partic. *que* transitum significat ad alia, quod volebat Goerenzius: multoque minus idem statuere eum oportebat de alio loco Divin. I, 3, 5, ubi *Cratippusque* in enumeratione dicitur; nec de Nat. D. I, 13, 33, ubi Codd. auctoritate legendum *Aristoteles quoque.*

honestatis — honorati) Saepe de industria haec similia coniungit et opponit; ut Brut. 81, 281. Fin. II, 15, 48. V, 24, 69: tum *honesti* dicuntur pro *splendidis*, *honoratis*, Sext. 49, 105, et ad Div. VII, 11, 3, *honestatem* interpretor de honoribus in re publica.

qui sunt inglorii) Omitti posse non puto *sunt*, quod praesertim optimi libri servant. Quam Davis. memorat lectionem, *ingloriam*, unde effici vult *inglorii. Iam molestiae* —, ea nata est, duplicata *m̄*, ex *in gloria*, ut in nonnullis fertur, vitiose.

molestiae, *laetitiae*, *cupiditates*, *timores*) Non tantum ex Platone haec sunt, ut Creuzerus annotavit, sed nunc maxime ad quadripartitam illam perturbationum animi distributionem, ex Stoicorum schola, haec referenda sunt. De plurali numero in talibus nominibus vid. Heusing. ad Offic. I, 22, 15. Garaton. ad Milon. 8, 22: sic *industriae* Verr. III, 4, 7. (si tamen locus vere Ciceronis est): et

audacias in Catone animadvertit Festus p. 42: frequentarunt dein Livius aliique.

nec si opiniones — conflictantur) Forma concludendi eadem pro Milon. 2, 6, ubi vid. Garatonius: Tusc. II, 3, 8: sine *idcirco* ponitur Divin. I, 38. fin. In Orat. I, 56, 237 non intellexit neque Ernestus, neque Schutzius, qui perperam corrigebat: (probabilior fortasse erit coniectura, ut in iis quae antecedunt, *qui — ea, quae maxima essent in iure civili, tractare auderent in causis, quum ea nescirent numquamque didicissent*, pro *ea nescirent* legatur *minima nescirent:*) tum ibid. II, 40, 170. Fin. IV, 5, 13. V, 11, 31. 17, 46. In omnibus his *idcirco* praemittitur clausulae, quae conclusionis locum tenet. Et eodem modo Graeci collocant διὰ τοῦτο, sicut Demosth. Androtion. p. 595. 8. R. Sed ex Moseri annotatione ad praesentem locum, intelligitur viris doctis corrigendum videri, *qui — non ut deos colunt*, ut diceretur, qui illa superstitione non utantur, tamen non omni superstitione carere. Sed tenendum est *ceteras gentes* opponi Aegyptiis, *qui canem et f. ut d. colunt* Nec opus est, ut, prout Goerenzius facit, *non eadem superstitione*, explicetur *maiori*, *graviori superstitione:* nam nihil dicit nisi hoc, »etiamsi aliae »apud alios opiniones de diis sunt, tamen una est super»stitio et Aegyptiorum et reliquarum gentium; omnes »illae opiniones eodem superstitionis vitio laborant." Conf. Divin. II, 72, 148 et Xenoph. M. S. I, 1, 13. Quod dicitur *superstitione conflictari*, hunc perperam Ernestus duriorem modum loquendi appellat, ad Epp. ad Div. VI, 13.

quae autem natio —) Eadem argumentatio est Fin. V. 22, 62. sq. — Mox non accuratissime tribus illis virtutibus opponuntur quatuor genera vitiorum (*superbos, maleficos, crudeles, ingratos:*) sed *maleficorum* mentio confirmat eam lectionem, quam Beierus adscivit in Offic. II. 10, 36. med.

quibus ex rebus — meliores efficit) Nondum satisfaciunt quae ad h. l. explicandum excogitarunt viri docti. Sensu plane cassa sunt haec, *recte vivendi ratio meliores efficit.* Verba, *illud extremum est*, necessario ad sequens corollarium disputationis referenda sunt; quemadmodum *illud perspicuum sit*, Cap. 9. fin.: hoc autem corollarium nullum potest esse aliud, nisi quod Atticus, summis totius disputationis iteratis Cap. 13, 35, dicit, *unam esse hominum inter ipsos vivendi parem communemque rationem:* nam quum tria enumeret, hoc non alio nisi ad hanc disputationis partem referri potest. Hinc incidi in eam suspicionem, locum sic esse corrigendum: *illud extremum est, communem vivendi rationem inter omnes esse.* Si partim tantum verum tetigi, poterunt alii emendationem absolvere. Tantum dicam, nec temere supicari me *quod* corruptum esse ex *communem*, et Lagom. 10 habere *recte ratio vivendi*, (in quo apparet vitioso *recte*, alterum, *ratio*, subiectum esse, ut millies ista confunduntur.) — Mox pro *pergam*, non repudiandum esse puto *pergamus*, quod olim in A fuisse suspicor propter erasa duo elementa, et habet plane Lagom. 10: tum subiicitur *explicemus.* — *Ut pro utroque respondeam*, rursus Platonicum, Legg. X. p. 896. fin. ἐγὼ ὑπὲρ σφῷν ἀποκρινοῦμαι.

CAPUT XII.

§ 33. *sequitur igitur — natura esse factos*) Huius disputationis vinculum cum superiore deprehenditur etiam Fin. III, 20, 66, — *inter nos natura — coniuncti et consociati sumus: quod ni ita se haberet, nec iustitiae ullus esset nec bonitati locus. Sequitur igitur* bene mihi videtur Heindorfius restituere in Nat. D. II, 31, 79. init.

ad participandum alium ab alio —) Tractavit hunc locum Madvigius in Programm. laud. p. 11. sq.: qui, omissa praep. *ab*, quam optimi quoque mei libri deside-

rant, sic interpretatur, »*ad alium* alio bono et commodo, »si quo possimus, impertiendum:" tum apte adiungi, ut ius communicetur *inter omnes*. Sed requiro exemplum in quo *participare* sit *impertire*, et dicatur *participare aliquem*, pro *participem facere*. Contra apud poetam (Tusc. II, 17, init.) *participare quid* est *vicissim obtinere:* sed neque hoc, neque quae ex Plauto memorantur satis esse opinor quibus syntaxis et verbi significatio in Cicerone definiantur. Manifestum esse puto hanc sententiam requiri, ut dicat, non nostra in alios esse conferenda (quod volebat Madv., alios bono impertire), sed, quod cuiusque ius sit, id vicissim suscipere et tueri tamquam nobis quoque impositum. Nam id, quod paullo post requirit, ut *coleretur ius aeque ab omnibus*, nihil aliud est, nisi ut omnes existimarent hoc a se postulari, quod cum aliorum et omnium iure congrueret. Hinc conficio et *participandi* et *communicandi* verbum tum idem habere in hac syntaxi obiectum, *ius*, tum non opponi ea inter se, sed eadem significatione coniungi, et dici pro aliorum ius suscipere et nostrum esse existimare, ideoque tueri ac sustinere. Sic Lael. 6, 22. fin. *facit amicitia adversas* (*res*) *partiens communicansque leviores*, in quo cogitandus est amicus, qui alterius adversas res ita leviores reddit, non qui sua adversa alteri imponit. Quo modo *communicare quid cum aliquo* in hanc sententiam dicatur, ostendi Bibl. Crit. N. V. 1. p. 35: nunc dicitur *inter se*. Eademque ratione dici puto *participare* (nisi corrigendum sit *ad partiendum*) *ius ab aliquo*. Ceterum plurimorum librorum auctoritate omittere debueram *se;* tum recipere *ius*, *nos natura*.

intelligi volo quod dicam naturam esse) Gravis controversia est de postremis quatuor vocabulis, quae aliis in glossa posita et abiicienda videntur, aliis corrigenda esse. Illorum ratio ideo probanda non est, quod solet Cicero post eiusmodi formulam, *hoc sic intelligi volo*, addere perspicue quid sentiat: infra III, 1, 3, *quod quum dico*,

legem a me dici, nihil aliud, intelligi volo. Fin. III, 20, 66, *Iovem quum Optimum et Maximum dicimus, — hoc intelligi volumus, salutem hominum in eius esse tutela.* Cf. ad Div. XIII, 18. fin. 26. fin. cet. Qui correxerunt, de suo intulerunt *ius* (*ius quod dicam*), ignoratum omnibus Codicibus, praeterquam Ambr. γ, libro recentissimo. Non intercedo quo minus locutio ipsa probetur, *ius naturam esse:* sed hac *iuris* interpretatione admissa, quae videatur ad superiora pertinere, hoc orietur, ut modo dixerit *nos natura factos esse ad communicandam naturam.* Porro, non credibile est Ciceronem, quod prius distinxisset ab hac quaestione, quam nunc tractare instituat (Cap. 10, 28, fin.) et dein (Cap. 13, 36) separatim demonstrare aggrediatur (*naturae esse ius*), nunc anticipare voluisse et confundere cum altero illo, *nos ad iustitiam natos esse.* Nec melius rectae huius loci intelligentiae prospexerunt, qui, sicut Goerenzius, totum hoc, *atque hoc — naturam esse*, in parenthesi acceperunt, quasi, quae sequuntur, opponantur prioribus illis *sequitur igitur — esse factos:* intelligendumque potius est per illam formulam, *sequitur igitur*, poni tantum quaestionem, non institui demonstrationem: conf. Offic. I, 27, 93. II, 1, 1. 10, 36. Senect. 12, 39. 19, 66. Legg. I, 18, 48, et passim Lib. III. Fin. III, 16, 55. IV, 9, 21. Unde consequitur ipsam demonstrationem ordiri ab his verbis, *atque hoc —;* itaque quae subiiciuntur, *tantam autem —*, continere illorum correctionem. In hac correctione quum dicatur, vi malae consuetudinis exstingui igniculos a natura datos, nullaque fiat mentio iuris, nec facile cogitari possint *iuris igniculi;* consequitur in protasi, aut primaria sententia, non nisi de natura inchoatrice virtutum omnium et societatis sermonem esse posse. Hanc sententiam latere puto in verbis *quod dicam*, aut *quod quidem dicam*, aut *quidquid dicam*, (quae varietates sunt in meis libris): inde hanc exsculpo lectionem: *atque hoc in omni hac disputa-*

tione sic intelligi volo, commendatricem naturam esse; tantam autem —. Fin. III, 19, 63, *ex hoc nascitur etiam ut communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri.* Non cavit Madvigius ad Fin. III, 21, 71. p. 473 ab illis erroribus, quos significavi: et quod multi coniecerant, *natura*, fertur iam in Lagom. 10, Cod. recentissimo.

tamquam igniculi) Similia indicavit etiam Goerenz. ad Fin. V, 15, 43. Plutarchus fragm. de Nobilitate apud Stobaeum LXXXVIII, 12, appellat *λεληθυίας τινὰς ἀρχὰς καὶ σπέρματα ἀρετῆς συγκαταβάλλεσθαι τοῖς γεννωμένοις.* In Tusc. III, 1, 2, non recte Heusdius corrigebat *parvulis nobis dedit igniculos*, pro *parvulos:* primum enim in hac disputatione aut *pueri*, aut *parvi* appellantur, numquam *parvuli:* tum *nobis* in illa correctione inepte additum esset.

sic iudicio homines — putarent) Verbum *putarent* adhaesit reliquis e versu Terentiano: neque enim per se dicitur *iudicio putare*, minimeque hoc mollitur si *iudicium* sic explicatur, prout Goerenzius et Wyttenbachius fecerunt, ut sit pro certa persuasione, quae rationibus et argumentis nitatur. Quapropter haud ita violenta correctione legi poterit *probarent:* nam *iudicio probare* nihil aliud est, nisi *factis et vita probare te ita iudicare.* Recte hoc intellexerunt Ernestus et Hottingerus in Divin. I, 45, 101, ubi *a maioribus iudicata* sunt ipsa facta maiorum quibus ostendissent se ita iudicare: atque sic multis locis *iudicare* ponitur, ut Offic. I, 43, 154, *re ipsa ostendit se iudicat:* neque agnoscitur hoc ab Ochsnero (Ecl. Ciceron. p. 362 et 388) in Tusc. V, 20, 61, ubi cum plerisque Codd. servandum est *iudicavit*, quippe sensus est, Dionysium suis ipsum factis et illo in Damocle periculo satis ostendisse, quam beatum se esse putaret. De utroque et *iudicio* et *iudicandi* verbo notavi nonnulla Bibl. Crit.

N. V. 1. p. 26: et sic accipiendum *multitudinis iudicium de bonis*, sc. honoribus mandandis similibusque factis constans, in Tusc. I, 46, 110: et corrigendum videtur ad Div. VII, 6, 1, *cum aliquo insigni iudicio meae erga te benevolentiae*, pro *indicio*.

et omnibus ratio) Sic omnes Codd.: contra Editt. *at omnibus ratio*, quae particula sollemnis est in assumtione syllogismi. In tanta tamen Codd. constantia hoc fortasse statuendum, *et* eodem modo posse poni, quum praesertim in argumentando quoque sententiam adversativam nectat ea particula, unde *et* nonnumquam accipitur pro *atqui*, et *et potius*, pro *sed potius*, similiaque, de quibus praecepit Handius Tursell. II. p. 494. sqq.

recteque Socrates — de amicitia locus) Operae pretium me facturum non puto, si singulas virorum doctorum annotationes, quae ad hunc locum referuntur, explorem: contra statim explicabo quid sentiam, nempe totum interpolatum esse, aut potius pluribus contineri iisque diversis interpolationibus. Quo minus enim pro Tullianis habeantur primum obstat series disputationis, tum singula quaedam a Ciceronis consuetudine et iudicio aliena. De utroque singillatim dicam. Et universe quidem vix opus est monere, in tota huius argumenti disputatione inde a Cap. 7, pressam esse disserendi formam, quae saepe constet rationibus conclusis, Stoicorum more, parce adsciscat exemplorum mentionem, numquam aliorum auctoritatem significet, multoque minus cuiusquam dicta commemoret. Ipsam autem seriem argumentandi si consideramus, quo modo, quaeso, ista quae sequuntur, *ex quo perspicitur* cet., referri poterunt vel ad Socratis querelam, vel ad Pythagorae illam vocem, quaecumque tandem illa fuerit? Definiverat initio Capitis qua de re dicturus esset (*ad participandum — nos natura esse factos:*) tum memorat, natura quidem hoc commendari, sed mala consuetudine corrumpi, et, si consuetudine illud homines

probarent, fore ut ius coleretur ab omnibus; idque confirmat argumento ratione concluso, cuius exitus (*ius datum est omnibus*) eodem spectat quo superiora, scilicet propter iuris communionem omnes eadem benevolentia complectendos esse. Hinc corollarii loco adiicit, ex illa late in omnes diffusa benevolentia, si quis eam in unum contulerit, intelligi vim amicitiae, quae non esset, nisi natura ad communicandum ius facti essemus. Haec est legitima et severa argumentorum continuatio, quae mirum in modum interrumpitur et divellitur istis interpositis. Et operae pretium est conferre cum his Offic. I, 16, sq., ubi pariter ab illa communione et societate iuris, quae latissime patet omnium inter omnes, ad amicitiae interiorem necessitudinem progreditur, sed disputatione usus tum proposito accommodata, tum pleniore magisque elaborata. Tantum de serie disputationis: videamus de singulis, quibus in isto emblemate offendi quem iure arbitror. Minutum primum hoc est, memorari fortasse potuisse Socratis querelam; sed *recte exsecrari* solitum eum, vix a Cicerone profectum videri. Scripsit Cicero, Verr. V, 67, 172, *recte et merito — commovebamur:* sed *exsecrari* violentius mihi videtur, quam ut *recte* illud fieri dicatur. Mox pro *id enim*, quum efficacissima demonstratione opus esset, scripsisset *hoc enim;* alterum accommodatum magis est parenthesi, quum post demonstratio absolvenda est: neque hic vulgaris error librariorum est, ut in *ii* et *hi*, *iis* et *his* permutandis. Tum *caput esse exitiorum omnium* defendi posse fateor ex Ciceronis consuetudine, et de plural. *exitia* dixit etiam Garaton. ad Milon. 2, 5: attamen et proprie magis dixit *nullam capitaliorem pestem*, Senect. 12, 39, et *exitia*, nisi proprium poetarum, aptius certe est forensis eloquentiae generi amplo et elato, quam placidae disputationi. *Unde enim illa*, aut *unde etiam*, necessario haec ad proxime antecedentia referri oportere indicant, sicut et aliis multis

locis, et Offic. I, 10, 33, *ex quo illud* ad proxima pertinet. Sed quae, obsecro, Pythagorae vox ad illam Socratis exsecrationem referri poterit? Si ad priora revocantur haec, scribi potuerat *inde etiam*, sicut Tusc. III, 26, 62, per anaphoram, *ex hac opinione —: hinc ille Agamemno —*. Postremo *Pythagorae vox* quum, quod viri docti viderunt, pertineat ad Graeca quaedam, quae ex Codd. exciderunt; non esse Tullianum puto, ut *vox* de placito aut praecepto philosophi ponatur, sed ut dicatur in totius orationis vi et efficacitate et momento, sicut Verr. III, 57, 132. V, 65, 168. Orat. III, 6, 21, *Platonis vox* dicitur de sententia per plures libros sparsa, non de uno dicto: itaque de Crassi oratione, ibid. 2, 6, *cygnea vox:* et Philipp. VIII, 5, 16, *dura vox.* Planc. 14, 34 *vox contumeliae, doloris.* cf. Flacc. 3, 6. *Milonis vox* Senect. 9, 27. Extrema verba, *de amicitia locus*, dudum viderunt Interpretes esse lemma stulte in orationem illatum, quale deprehendit Orellius in Verr. II, 43, 107. in Cod. Oxon. Diversi generis illud est, quod in Fin. II, 33, 108 coarguit Madvigius: alia coarguit Opusc. p. 148, et in Fin. V, 8, 21, fin. Haec qui temere disputata censent, utantur illis, quae damnavi, ut Tullianis: non invideo.

§ 34. *ut nihilo sese plus — diligat*) Stoicorum est: Fin. III, 21, 70. Lael. 16, 56.

quod quibusdam incredibile videatur) *Quidam* sunt Epicurei intelligendi, ut supra monui. Non ea quidem de causa, sed ex putida explicatione *Epicurei* insertum esse puto Fin. I, 20, 69, init.

quid enim est quod differat, quum sint cuncta paria) Ordinem hunc, *quid enim est quod*, servant mei quoque libri, sine ulla varietate. Perdifficile est normam invenire ad quam singuli loci exigantur, nec, ut verum fatear, aut Goerenzius, aut Beierus (quorum disputationes indicavit Moserus) mihi satisfacit. Nuperrime eamdem quaestionem attigit Madvigius ad Fin. p. 91, sq., ne ab

Handio quidem praetermissam: sed ne sic quidem exitus repertus est. Sed in eiusmodi locis, qualis est hic, quem in manibus habemus, quum *quid est quod differat* dicatur pro simpl. *quid differt*, aut *quae differentia est*, necessario coniungi mihi videntur *est quod*, ut Gr. ἔσθ' ὅ, τι, quum praesertim nulla per hanc syntaxin praecipua asseverandi vis insit in *est*. Itaque sic videmus esse in iis exemplis, quae cum h. l. Legg. coniunxit Handius Tursell. II. p. 402, Acad. II, 7, 22. Verr. IV, 25, 55. Orat. I, 2, 7: contra est Offic. II, 5, 16 (*quis est enim, cui non perspicua sint illa*), tum Cluent. 66, 188: sed non puto haec cum illis confundi oportere: reliquaque permulta quae citari solent diversi generis sunt. — Proprietatem Tulliani sermonis, ut *quod differt* ponatur pro *differentia* quam vulgo appellant, et syntaxin attigit Madvigius ad Fin. III, 7, 25. p. 390. III, 15, 50. p. 435 et IV, 19, 54. p. 567: qui quum postremo loco affirmat, pronomine (*quod*) significari ipsam rem quae differat aut melior sit, non attendisse videtur ibid. IV, 12, 30 init. dici, *ut id ipsum, quod interest, non sit magnum*, in quibus pronom. sane non ad utramvis de rebus quae inter se conferuntur, sed ad ipsum *discrimen* refertur. Et hoc fortasse argumento probabo viris doctis suspicionem, Indicativum (*differt*) h. l. requiri, si quidem prudenter de hac forma (*quid est, quod*) iudicavit Wesenbergius Observatt. Crit. in Sestianam p. 47.—Tum videtur mihi *quum* h. l. temporale esse, et requiri *sunt:* nihil enim ad modum huius verbi pertinet Coniunct. *differat*, si quidem ipsa interrogatio fit per Indicativum, *est*. De Perfecto Indicativi post *quum* praecepit Madvigius ad Fin. p. 690: ubi quod p. 691 Stuerenbergius notatur, tanto magis mirum accidit, quod hic verum viderat et restituerat ipse in eadem causa in Or. pro Arch. 6, 10, Annot. p. 69, perperam tamen *cum* causale appellans. Ne Fin. quidem V, 31, 93 causale est in his, *quum tantum igitur in virtute ponant ii — quid facere nos*

oportet? Corrige *ponunt.* Sed magis eo pertinent exempla quae memorat p. 25: conf. idem Epist. Crit. ad Orell. p. 72. Opusc. p. 490, ex eademque ratione emendavit Offic. I, 20, 66 ad Fin. III, 17, 58. — Mox servavi *iam* ante *amicitiae*, non tantum optimorum librorum auctoritate, sed quod in primis aptum est hoc vocabulum quo designetur *statim* occidere amicitiam, simul ac tantulum modo intersit: itaque bene vidit Handius Tursell. III, p. 114, perperam abiici. — *Amicitiae nomen occiderit*, i. e. appellari ea amicitia non possit: quippe qua utebantur tamen Epicurei, servato hoc, summum bonum esse in voluptate (Fin. I, 20.)

simul atque sibi aliquid alter maluerit) Non dubitavi sic edere e Voss. C et Lagom. 65. Prima corruptio fuit *alteram*, perverse instituto initio sequentis vocab. *maluerit:* hanc secuta est correctio, modo *alterum*, modo *alteri;* tum in deterioribus Codd., quo syntaxis constaret, insertum *quam*, quod a bonis omnibus libris abest. Non ignoro *alicui quid velle* Latinum esse, sicut Cluent. 66, 188, *malum alicui velle:* ad Attic. XV, 3, 2, *Antonio volo peius esse:* tum diversum est, quod fertur in Offic. III, 5, 22, *sibi ut quisque malit quam alteri acquirere:* ubi Beierus huius loci immemor fuit. Sed ubi per se idem sit, quod *alicuius causa velle*, *bene velle*, nusquam deprehendi: nec, quod memoratum vidi, obiicietur velut exemplum ad Attic. VI, 7, 2, (*plane volo his magistratibus*). Sed integra sententia est in ea lectione quam recepimus. Sic Fin. III, 21, 70, *sibi cuique cariorem* (*rationem*) *suam.*

ius in natura esse positum) Mira prorsus Goerenzii est praeceptio, res quae sint in natura (debebat dicere, quae natura sint), minus recte *positas* dici. Ipse tamen locutionis exemplum adfert Orat. I, 21, 94: et bis ita Cicero Fin. III, 6, 21. conf. ibid. IV, 12, 31. Offic. I, 28, fin.

haec omnis est nata oratio) Nunc puto melius scribi *nata est.*

CAPUT XIII.

§ 35. *ex iis enim quae dixisti Attice videtur, mihi quidem certe —*) Primum nescio qua de causa Goerenz. et Moserus praetulerint *ex his*. Ponitur nonnumquam *hic*, relatum ad relativum antecedens, ut demonstrat Madvigius ad Fin. III, 4, 13. p. 364. Sed praemissa demonstratione et sequente relativo (nisi efficacius quid demonstrari opus sit), ponitur *is:* Fin. III, 9, 31, *circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui:* et innumerabilibus locis. — Porro vulgata lectio est *Attico*, repugnante plurimorum et meliorum librorum auctoritate, in quibus est *Attice*. Senserunt, opinor, Ursinus et Manutius, in tali re minus commode pro Attico respondere Quintum: nam ille corrigit *nisi quid Attico videtur*, hiante tamen structura in reliquis; hic *Attico, ut opinor, videtur:* Davis. similiter, *Attico, credo, videtur.* Et sane de alterius sententia modeste responsurus erat Quintus, sicut facit III, 16, 37, *nec enim mihi placet, nec Attico nostro, quantum e vultu eius intelligo.* Alterius nomine quum respondetur, diserte loqui solet Cicero, sicut Fin. II, 5, 16, *in quo nunc equidem sum, credo item vos:* et V, 26, 76, *mihi vero ista valde probata sunt, quod item fratri puto.* Recentissimi Editores satisfactum putaverunt elegantiae orationis mutata interpunctione, edideruntque *Attico, videtur, mihi quidem certe —:* Wyttenbachius etiam putabat, quae hucusque disputata essent, Attico dicta esse, non Quinto: sed non cum uno adversario disputat Cicero per hos libros, et modo, Cap. 11. fin., diserte cum utroque loqui se significaverat. Antiquissima loci corruptio est *Attice:* unde corrigo, *ex iis enim, quae dixisti, satis videtur —*. Fin. V, 32. 96: *tum Quintus, mihi quidem, inquit, satis hoc confirmatum videtur:* ibid. II, 26, 82, *accipio quod dant: mihi enim satis est.*

ex natura ortum esse ius). Bene Moserus deseruit Goerenzium frustra argutantem. *Oriri ius ex natura* rectissime dicitur, sicut *proficisci a natura*, *versari in natura*, *positum esse in n.* Offic. I, 5, 14: *sed omne, quod est honestum, id quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri — versatur.* Ibid. I, 27, 93, *decori ea vis est, ut ab honesto non queat separari:* (sicut mox, *a natura leges et iura seiungere.*) Lael. 8, 27, *a natura mihi videtur orta amicitia.*

an mihi aliter videri possit) *Videri* sollemne esse verbum in iudicibus sententiam pronunciantibus, bene docetur in Indice Latinitatis: idem monuerant Hotomanus ad Verr. II, 38, 93, (cf. ibid. V, 6, 14.) Cortius ad Salust. Catil. XLVIII, 6, et ad Cic. ad Div. VII, 17, 10. Interprett. ad Plin. Ep. X, 39, 1. Goerenz. ad Fin. I, 7, 24. — Ceterum hoc exemplum addendum est iis, quibus particulam *an* in hac forma interrogandi firmavit Madvigius ad Fin. I, 8, 28. p. 61. — De Coniunctivo *possit* dubito: nam in Tusc. V, 12, 35 multi Codd. *possum* praebent; et de Fat. 4 sine varietate legitur *potest.*

perfecta sint) Ex uno Paris. *s* idem affertur, quod e Creuz. memoravit Moserus, *patefacta*, quod, ut minus aptum huic loco, improbandum est.

secundo autem loco) Postremam vocem duo mei libri omittunt; sed per Ciceronis consuetudinem quum abesse non posse pronunciaret Goerenzius, (exemplis addi potest ad Div. I, 6, 2), non tamen expedire potuit exemplum Planc. 20, 50, ubi item *primum* — *secundo* ponitur sine ulla varietate. Puto utroque modo recte dici. — Pro *vivendi parem* Leid. D affert *parem vivendi:* sed quum initio positum sit *unam*, requiri puto ut genitivus gerundii non reiiciatur post alterum adiectivum; et *parem communemque*, velut interpretationem praeced. *unam*, iungi praestat. Omissa partic. *que*, (in *communemque*,) nihil frequentius est in Codd. — De *tum etiam*, dixi ad Cap.

3, 8. Ceterum, quum haec contineant ἀνακεφαλαίωσιν eius disputationis, quae inde a 7° Capite usque ad 11um pertinet, et in eius Capitis fine *concessissent* Atticus et Quintus ea *vera esse*, consequi inde dicit nunc leges et iura in natura posita esse. Lagom. 96 perperam *quoniam — concesserimus:* et quamquam in aliis est *concessimus*, nihil tamen attinet receptam lectionem mutare, quum praesertim *quum* non tantum causalis, sed etiam temporalis h. l. sit coniunctio.

§ 36. *res se sic habet*) Alii *res sic se habet.* Non assentior Goerenzio discrimen esse inter utramque collocationem, quasi *sic* tum demum praeponeretur, quum, sequ. *ut*, ad sequentia referretur: nam ut Tusc. V, 22, 63, *sic se res habet*, ita in reliquis exemplis, (quae alia de causa indicavit Madvigius ad Fin. I, 7, 25. p. 57) *sic* aut *ita*, si ad sequentia pertinent, ante *res* ponitur: tamen infra Cap. 21, 56 est, *res ita se habet, ut* —. Apparet difficile esse certam normam invenire: et statim ei, quam excogitavit Goerenzius, opponitur Orat. III, 23, 89, *res se sic habet ut* — (qui locus non fugit Ruhnkenium ad Vell. Pat. II, 91, 4): tum, quem ad Fin. II, 31, 105, excitat Goerenzius, Brut. 40, 149, ipse quoque eius rationem evertit; quoniam ibi, *res se tamen sic habet*, quamquam non sequ. *ut*, tamen referuntur ad sequentia, quae explicationem disertam magis continent.

non veterum quidem illorum) *Veteres* modo latius, modo arctius intelligit Cicero. Tusc. quidem I, 10, 20, Platone antiquiores intelligendi sunt, sicut Acad. I, 12, 44: contra Acad. II, 5, 14, Platonem et Socratem complectitur. Dicitur quoque peculiaris sectae habita ratione, ut *veteres* in Academia opponantur novae Academiae; et sic in Stoicis, infra III, 6, 14, et apud Diog. Laert. VII, 54.

quasi officinas instruxerunt) *Instituerunt* habet Lagom. 10, quod tamen non posse defendi puto ex Verr. IV,

24, 54, ubi de Verre dicitur artifices conducente. *Officina* ipsa, quamquam aliis locis honeste de philosophiae scholis dicitur (sicut Fin V, 3, 7), tamen h. l. cum quadam reprehensione dici videtur, tamquam de vera *officina*, ex qua nihil exiret, nisi quod eorum, qui emerent, peculiari consilio responderet elaboratumque esset: eodemque modo Orat. 3, 12. In re turpi postea usurpavit Livius quoque XXXVIII, 8, 7. 10, 6.

quae fuse olim — distincteque dicuntur) Interpretanda haec sunt, ut iudicetur de Madvigii correctione. Igitur *fuse et libere disputare* dicitur de ea disputatione, quae nulla utitur argumenti in partes distributione, neque adstringi se patitur certo cuidam ordini, sed quae cuncta simul comprehendit, aliud ex alio nectens, pluraque coniungens, ita ut sententiae singulae non suo quaeque loco elaboratae deprehendantur, sed, velut sanguis, per totum corpus fusae sint. Sic Orat. 32, 113, *fuse lateque dicere* opponitur *dialecticorum scientiae:* conf. Nat. D. II, 7, 20. Huic generi quum opponatur *articulatim distincteque dicere*, Madvigius in Programm. laud. p. 8, hoc non recte fieri contendit: nam et *distincte* semper in laude poni, nec veteres illos distincte disputasse negari potuisse, etsi minute negari posset: igitur requiri vocabulum quod magis in reprehensionem putidae divisionis et minute concisae disputationis inclinet: id latere in Codd. lectione *detecta*, et in Victorii *desecta*, nempe *dissecta*. Respondeo, primum non spectari a Cicerone reprehensionem huius generis, sed distinctionem ab illo superiori: tum perperam statui putidam divisionem h. l. in Stoicis reprehendi a Cicerone; talem enim numquam ipse secutus esset: postremo aliquanto audacius vocabulum obtrudi Ciceroni, cuius nulla sit auctoritas hoc quidem sensu (semel Cicero Orat. II, 27, 117, *causas in plura genera secare*, non *dissecare*,) quodque eiusmodi vitium in disputando contineat, quod ne per summam quidem

impudentiam Cicero Stoicis obiicere potuisset, sicut nec *frangere*, nec *dissolvere*. Servetur igitur hoc in primis Tullianum, ut duobus adverbiis duo alia opponantur.

naturae esse ius) Lambini Codd. iam *natura*, probante Davisio. Mei libri omnes in altero conspirant. Tamen assentior Madvigio ad Fin. III, 21, 71, *naturae* ex sequ. *esse* ortum putanti, et probanti *natura*. Similiter Gesnerus correxit in Aquila Rom. probante Ruhnkenio p. 143.

et scilicet tua libertas disserendi amissa est) Non sine causa Lambinus offendisse videtur in *et* particula, quae sic sententiam orditur. Sunt illa quidem, quae Goerenzius memorat, *et sane*, *et nimirum*, *et mehercule*, et proba et Tulliana, quibus aptius etiam exemplum addere licebat, *et quidem;* sed tamen paullo illa diversa sunt: certe huius formulae, *et scilicet*, quae orationem inchoaret, nullum praeter hoc exemplum reperi. Nihil videtur hoc offendisse Handium, qui Tursell. II, p. 490, memorans de *et* initio posita, ubi in colloquio alterius sermo ab altero excipitur, hoc exemplum iungit cum aliis duobus, in quorum altero est, *et breviter sane*, in altero *et recte quidem*. Igitur aptius cum his conferetur Fin. II, 31, 102, *et ego scilicet*. Sed defendi poterit *et scilicet*, si attendimus non tam sic excipi alterius sermonem, quam continuari ab altero; quod idem valet in *et quidem*. Quare in continuata oratione idem deprehendimus, ut ad Qu. frat. I, 2, 3, 11, *et Flavii causa*, *et scilicet Pompeii facies omnia:* quamquam ad Att. XII, 18, 3, alia ratio servatur. Haec monere poterant eum, si qui forte sit qui transponere malit *et tua scilicet* —. Ceterum interrogandi signum omisimus, quoniam de hoc quoque loco valet id, quod contra Stuerenbergium ad Arch. p. 70, sqq. demonstrat Madvigius ad Fin. V, 1, 3, ironiam indicari —. Mox *sequaris* ex optimis libris servavi.

aut tu is es—) Animadvertit hunc locum Madvigius ad Fin. V, 11, 33, p. 673, quod *aut* in continuanda ironia ponitur.

§ 37. *sed iter huius sermonis quod sit vides*) Nulla de causa, et imperite praeterea, Davis. coniecit *quid sit viden'?* Moserus, offensus his, *iter sermonis*, quod alienum esse putat a Ciceronis consuetudine, amplectitur manifestam Codd. corruptelam, *sed interest huius sermonis. Videlicet ad* —, mirum in modum quae sanissima sunt mutilans. Fin. IV, 14, 37, *quod iter sit naturae quaeque progressio* (ubi similiter e Codd. affertur *intersit.*) Orat. I, 60, 256, iure spernuntur nonnullae coniecturae in his, *antiquitatis iter*; nam intelligitur progressio, utque alia in iure publico et in civitatis conditione ex aliis orta sint. Alio modo ibid. II, 57, 234, Antonius dicit se defessum esse *labore atque itinere disputationis suae*. Plato quoque Legg. III, p. 688. E, *τὴν ὁδὸν τοῦ λόγου* appellat.

ad res publicas firmandas — populos) Goerenzium in hoc loco plane negligentissime versatum ne refutare quidem attinet. Alii recte viderunt in *vires* latere *iure*, quo ducit Voss. C. Itaque Madvigius Programm. laud. p. 12. not. corrigebat *ad stabiliendos iure et sanandos populos*. Mihi molestum est *sanandi* verbum, quod tum demum ponere solet Cicero, si morbi aut vulneris diserta mentio coniungitur, aut certe cogitatio esse potest: neque omnino hoc nunc agebatur: *dare leges populis* volebat, (II, 14, 35) non item emendare aut corrigere. Hinc suspicabar aptius legi posse, *ad stabiliendos et iure sociandos populos*, sicut *coetus iure sociati*, Somn. Scip. XIII, 13. Orell. conf. Republ. I, 25, 39.

ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur) Requiro *nec diligenter*, memor eorum quae prudenter Madvigius disputavit tum alibi, tum ad Fin. I, 9, 30, p. 65.

nec tamen ut omnibus probentur) Concedi non potest Wyttenbachio, ut ex anteced. *vereor* in his subaudiatur *postulo*: sed in *nec tamen* intelligendum est *ita bene provisa*.

expetenda duxerunt) Recipiendum hoc fuit prae altero *dixerunt*. Fin. II, 13, 41: *voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit*. Longe autem plerisque locis utraque lectio e Codd. profertur, sed optio tum aliunde pendet, tum ex eo, quod sententia et consilium scriptoris postulat; quemadmodum fecit in Coeliana 32, 78, Madvigius in Opusc. p. 409, idemque contra omnium librorum auctoritatem rectissime *dici* edidit Fin. II, 27, 87: rursus, ibid. III, 19, 64, edidit *illa vox inhumana et scelerata dicitur*, nescio casu, an consilio, sed certe non recte; requiritur enim manifesto *ducitur*, quum non de appellatione, sed de re agatur. Ideo perperam Beierus in Offic. I, 20, 67, edidit *fortis animi magnique dicendum est*. Quid intersit, intelligitur ex Fin. IV, 20, 57, *nec vero minoris aestimanda ducebat ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse dicebant:* in quibus *dicere* est *affirmare*, oppositum verbo *negare*; nec audiendus Goerenzius, qui interpretatur *statuere*, quod (sicut Offic. I, 2, 5, *voluptatem summum bonum statuens*) in sententia, non in appellatione dicitur. Rursus contra omnes, ut videtur, libros legendum est Offic. I, 2, 6, *qui maxime honestatem propter se ducant expetendam*. — Deteriores libri habent *duxerint:* qualem Coniunctivum non nisi aut causalis sententia, aut pendens oratio, aut restrictiva enunciatio recipit, non item simplex definitio, ut h. l. et Offic. III, 4, 20. — Ceterum perperam Moserus in tota hac enunciatione (*ut iis qui — sponte posset*) censet tres philosophorum scholas designari, Stoicorum, Academiae primae, et Peripateticorum. Manifestum est verba *qui omnia — duxerunt* praemitti ut in generis definitione, eiusque generis duas formas subiici, Stoicorum (*aut nihil — laudabile esset*,) et Socraticorum (*aut certe — posset*): et sic Offic. l. c.

nullum habendum magnum bonum) Talibus exemplis confirmatur Madvigii correctio, in loco Fin. III, 1, 2, *ut*

delentis. — Mox, quod Lagom. 10 affert *possit*, pro *posset*, nullo modo probandum in hac continuatione structurae, quae a *duxerunt* pendet: et de Imperfecti Coniunct. usu in philosophorum placitis memorandis, utilia monuit Madvigius ad Fin. III, 20, 67. p. 463.

§ 38. *his omnibus*) Et hic, et mox, ubi haec iterantur, optimi libri habent *iis* (*is*); perperam: eademque varietas est Fin. II, 11, 34. *Hic* pronom. ponitur in eo, quod iam indicatum est. Propterea non nisi plene ante haec interpungendum fuerat. — Mox optimorum librorum *mansuris* pro *manserunt*, indicium est illos iam ex sciola correctione fluxisse: tantoque maioris faciendus est E, qui, quamquam scriptus est ab indocto homine, tamen saepe integer manet a talibus correctionibus.

congruentes re, genere docendi paulum differentes) Hanc Antiochi esse sententiam, qua semper utatur Cicero, bene monuit Madvigius ad Fin. IV, 2, 5. p. 491. — *Genus docendi* nunc proprie dicitur, non eo modo quem supra ad Cap. 5, 16, explicui.

rebus non commutatis immutaverunt vocabula) In nonnullis est *ex rebus*: sed manifesto haec corruptio est verbi *est*. Tum satis firma est lectio *commutatis* (quae vel in corrupto *communicatis* latet) usu sermonis. De *immutaverunt* quaeri potest, pro quo Davisius trium librorum auctoritate *commutaverunt* legebat (non *commutarunt*, ut memorat Goerenzius.) Sed quo modo defendat Goerenzius, *immutare* esse *totum*, *penitus mutare*, (quod certe alienum est ab loco ad Div. V, 8, 3, Cort.) aut quo modo hoc de Zenonis terminologia valeat, non assequor. Si quae vis peculiaris insit in composito, puto potius esse *aliquantum mutare:* nec tamen propterea sic corrigendum est Fin. V, 29, 88, (de Zenone, *vocabulis rerum mutatis*, ubi tamen Gud. uterque *imitatis*.) *Commutare* et *commutatio* dicuntur hac in re Acad. I, 10, 37. 11, 42. — Mox, in *iam tamen* et melior et maior pars librorum conspirat: sed

sive hoc modo, sive *sed tamen iam* legatur, difficile est tueri adversativum *tamen*, unde in Lag. 10 fluxit *tum*. Cicero aliis locis hanc sententiam memorans, *iam diu* dicit repudiatam esse. — Tum pro *secuti sunt* Lagom. 65 *secutis* habent, mendi genere ex cuius observatione recte alicubi correctum est.

his omnibus haec, quae dixi, probantur) Suspicari quis possit, propter lectionem Ambr. *a probabantur*, veram lectionem fuisse *probabuntur*. Verumtamen tum propter *haec, quae dixi*, tum propterea quod tota haec oratio inde ab initio § 37 non nisi excusationem continet praecedentis disputationis, cuius principiis reliqua essent accommodanda, recte et hic pronunciare videtur Cicero sua illis probari, et mox Epicureorum ceterorumque eiusdem generis spernit iudicium. Atque illa affirmatio quum inchoetur ab *his omnibus, sive in Academia* —, non ferenda Goerenzii opinio est, Ciceronem »excidisse ex constructione quam in verbis *sed ut iis* inchoavisset."

§ 39. *sibi autem indulgentes, et corpori deservientes*) Tria postrema vocabula sine causa in D omittuntur. Sic Fin. II, 24, 79, *sibi quemque natum esse, et suis voluptatibus*.

etiam si vera dicunt) Moserus de his, »habent haec »quamdam indulgentiam erga Epicureos, quasi dicat, »etiamsi fortasse quibusdam in partibus non errent." Sed quis umquam accipiet, Ciceronem partim Epicureis concedere potuisse? tum, quae esset haec ratiocinatio, »fortasse vera dicunt, sed tamen audire eos nolo?" Alio enim modo Tusc. I, 21, 49 loquitur, de re incerta, et cuius contrarium ambagibus tantum suspicionum consequi solebant veteres, *quod ut ita sit* (*nihil enim pugno*), *quid habet ista res laetabile?* ubi recte Orellius servavit *ita:* conf. Madvigius ad Fin. p. 169 et 754: (locum Orat. III, 17, 63, alias tractabo): eodemque modo Fin. I, 21, 72, *quae — si essent vera, nihil adferrent:* in quibus concedit

fieri posse ut vera sint. Contra, h. l. argumentatio est hypothetica: si vera dicunt Epicurei, abstinere debent ab omni societate rei publicae, neque nos in hac disputatione morabuntur, quod sic consentaneum est eorum reliquae sententiae. Similiter Fin. II, 25, 80, *tamen, si haec vera sunt (nihil enim affirmo), non satis acutus fuit:* sed perperam mihi videtur Madvigius in his verbis indicare Academicae dubitationis significationem; nam *haec* intelligenda puto de humanitate et comitate Epicuri in amicitiis tuendis; itaque *non acutus fuit*, quoniam, ut paullo post dicit, sic eius vita refellitur oratio. In Fin. IV, 1, 1, corrigendum mihi videtur sic: *tam enim diligenter, et, si minus vere, (nam nondum id quidem audeo dicere) sed tamen accurate — fundatam — disciplinam non est facile perdiscere:* Codd. *etsi minus vere:* Madvig. ex Erl., opinor, *etiamsi*: additque, *etsi* significare, non vere fundatam esse disciplinam, *etiamsi* tantum dubium hoc relinquere. De postremo, ut modeste dicam, dubito: videturque mihi dubitationem significari solere Coniunctivo ad *etiamsi* adiecto, non ipsa hac coniunctione: igitur Senect. 22, 79, *eumdem igitur (animum) esse creditote, etiamsi nullum videbitis*, nullam continent dubitationem: contra Nat. D. I, 39, 110, *quae etiamsi essent, quae nulla sunt*, dubitationem cum concessione, esse posse, continent: omninoque exempla apud Handium Tursell. II. p. 588. sqq. satis evincunt, vel, cum Indicativo (qui nonnumquam in pendente enunciatione Coniunctivus fit, ut Ligar. 8, 25), certum casum aut tempus indicari, vel, cum Coniunctivo, incertum poni casum. Quae si vera sunt, utro modo legatur, *etsi minus vere*, an *etiamsi*, necessario significatur *non vere fundatam esse disciplinam*, id quod minime in illum locum cadit. Alia de causa, sed eodem modo, corrigendum in Tusc. V, 12, 34, *et, si Zeno Citieus — videtur, huius sententiae gravitas —:* in quibus nihil contrarium poni manifestum

est, sed conceditur Zenonem nihil praeter verba mutasse, res et sententias veterum retinuisse: (modo ante § 33, *si esset*, Coniunctivum attulerat oratio pendens.) Quapropter in hoc quoque loco quem in manibus habemus, nullo modo ferendum esset *etiamsi:* similisque locus est Fin. II, 31, 103, *non dico: nihil opus est litibus.* — Ceterum *dicunt* intelligendum *illa placita sua* de voluptate, in qua summum bonum sit, cet.: et sic intelligendus mox Infinit. *dicere*, de quo perperam docere nos vult Goerenzius esse pro *disserere* et *disputare;* atque intempestive conferri iubet sophistarum illud (Fin. II, init.) *iubere dicere qua de re quis vellet audire.* Sollemnis illa iteratio verbi est (*si — dicunt, iubeamus dicere,*) nec probanda Ciacconii suspicio, qui malebat *desidere. Dicere* quo modo in Epicuro intelligendum, apparet ex Offic. III, 33, 117. — Quod nunc dicitur *in hortulis suis*, idem, opinor, significatur his Fin. III, init., *suis se finibus tenere iubeamus.*

paullisper facessant rogemus) Quod ex optimis libris enotatur, *facessat ut rogemus* (e Davisianis *facessant ut*), nihil est nisi correctio erroris, *nt* (corruptum in *ut*) pro *t*, ut terminatio verbi emendaretur, eaque sine causa abutitur Davisius. — Quae sequuntur de Arcesila et Carneade ipsa ostendunt Ciceroni Antiochi maxime rationem probatam fuisse.

nimias edet ruinas) Non dubito quin vera sit optimorum librorum lectio. Prima corruptio fuit, omisso *ni*, *miscet et ruinas*, in Ambr. γ: hinc reliquae. *Dabit ruinas*, quod pro varia lectione est in Voss. C et Paris. *s*, poetarum esse opinor, et, quod vidit Davisius, alienum a sententia est.

CAPUT XIV.

§ 40. *nam et in iis sine illius suffimentis —*) Operae pretium est, animi causa, coniicere quid in lacuna

25*

(quam perantiquam esse necesse est, siquidem eius in nullo libro indicium exstat) interierit. Quae in Moseri editione memorantur virorum doctorum opiniones, eae, ut lenius dicam, aut calidiores sunt, aut etiam leviores quam decebat eos, qui intente totius disputationis iter observarent. De Turnebo taceo. Quod in multis editionibus ponitur, »deesse hic nonnulla de peccati conscientia »et de scelerum poenis, quam improbi apud inferos »luant;" ea ipsa sunt quae mox tractantur, nec absumta in lacuna dici possunt: multo minus apparet quo modo haec ipsa cum antecedd. cohaereant. Eruditius Wagnerus: ea, quae interciderunt, fuisse eius argumenti, cuius Platonica Legg. IV, p. 713, sqq. et X, p. 906, tum Porphyrius Stobae. XXI, p. 184. Atqui in priore Platonis loco agitur de Croni instituto, qui daemones praefecerit humanis societatibus; tum memoratur controversia de consilio legum, et iuris et iniuriae, et refutatur eorum ratio, qui putant imperii causa, non universae rei publicae, leges constitui; contra, magistratum servum esse legum oportere; porro de obtemperatione legibus, deque poenis eorum qui negligunt, de pietate erga deos, cetera. Altero loco agitur de opinione eorum, qui deos precibus cantibusque flecti posse existimant ut male factis ignoscant. Postremo Porphyrius agit de sententia huius praecepti, *γνῶθι σεαυτόν*. Intelligi puto nihil horum eiusmodi esse, ut Ciceronis argumentationem expleat. Goerenzium, qui sermonem fuisse putat de mysteriis Eleusiniis, omitto. Nec Wyttenbachius quidquam novi attulit, sed tamen utiliter reliquae disputationis cursum et argumenta notavit. Igitur quum appareat ea quoque ipsa quae interciderunt pertinuisse ad demonstrationem ius in natura positum esse, quae proxime cum his quae supersunt coniuncta fuerunt, sine dubitatione eo pertinuerunt, ut diceretur, quae vulgo falso poenae et haberentur et constituerentur, eas tum remitti, tum vitari posse, omnino-

que expiari posse delicta nonnullis cerimoniis; quae quum opinionibus continerentur, leges ipsas, unde ista fluxissent, opinionis esse: contra, quae vere poenae essent, eas esse in natura positas, necessarias et inevitabiles; ergo ius quoque, quod vere sic appellari posset, naturae esse, unde illae poenae manarent.

Ipsa verba, quae ex illa disputatione supersunt, corrupta sunt. Neque enim *in quo expiari* recte dicitur, nec quid sint *illius suffimenta* intelligi potest.

at vero scelerum — nulla expiatio est) Quum universe disputet, offendit nonnihil plurale in *scelerum*, et *impietatum*, praeterquam quod *impietates* certe numquam, quantum memini, hoc numero ponitur. Praesto est correctio e deterioribus libris, siquidem Lagom. 39 *sceleris* habet, et 10 *impietates* i. e. *impietatis*. Sic infra II, 17, 43, *sceleris est poena:* Fin. IV, 24, 66, *impietas* et *scelus*. Tum quod adiicitur *in homines*, non quidem per se pravum est (*scelera in patrem fratresque* dixit Salustius Iugurth. XXXIII, 4, et Liviana exempla sunt in Drakenborchii annotatione ad I, 32, 9:) sed merito exspectabamus ut *in deos* adderetur, nec soli *homines* memorarentur. Contra persuasum mihi est nihil a Cicerone eiusmodi fuisse adiectum, qui *scelus* sua definitione intelligat et per se spectet, non ratione eorum ad quos pertineat. Suspicor antiquitus lectum fuisse *in animis*. Infra II, 10, 24, *animi labes* dicitur nullis amnibus elui posse: Tusc. III, 6, 12, *immanitas in animo*.

itaque poenas luunt) Notabilis subiecti mutatio, ut ex *scelere et impietate* cogitentur ii, qui illa admittunt.

hodie multifariam nulla sunt) *Multifariam* i. e. multis locis, ut bene Torrentius explicat ad Sueton. Calig. 18, et Turnebus ad h. l. (qui perperam praecedentia, *quondam nusquam erant*, de illo tempore accipit, quum Romae nulla publica iudicia essent.) *Nulla esse iudicia* significat sublatam esse severitatem et religionem iudiciorum. Verr.

Act. I, 15, 43, *nulla in iudiciis severitas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia*: ibid. III, 58, 132, *qui modo iudicia Romae fore putaret:* ubi non probandum est Lambini *fieri* pro *fore:* dixisset enim *fieri posset:* sed Lambinus tenebat aliud exemplum, ibid. IV, 10, 22, *tum quum severa iudicia fiebant*, de quo loco non assentior Madvigio Ep. Cr. ad Orell. p. 27, omitti posse *severa:* (sed totum locum Scholion esse Zumptio concedo): ad Div. X, 1, 1, *in qua civitate — nec leges ullae sunt, nec iudicia*, i. e. quum illa vim nullam habent. Alio modo intelligendum Orat. in Tog. Cand. apud Ascon. p. 85. Orell., *si aut illud iudicium, aut illa absolutio nominanda est.* Rursus Verr. Act. I, 14, 41, *iudicia nulla* dicuntur, si nulla lex esset ex qua iudicium fieret. Pro Rosc. Amer. 10, 28, *quod iudicia tamdiu facta non essent.*

ubi sit tamen, persaepe falsa sunt) Edidi vitiosam lectionem ex optimis libris (in quibus nulla est diversitas, nisi *fit* pro *sit*), quoniam aliam nullam defendere licet: sed veram puto correctionem, quae est in Lagom. 124. 126, et in Ven. *ubi sunt tamen, persaepe* —. Et sane requiritur *ubi*, propter antecedd. *nusquam* et *multifariam*. *Ut sint* defendi poterat, si universe quaereretur utrum omnino iudicia essent; quod probari nullo modo potest. Sed notandi sunt Goerenzius et Moserus, qui in illa lectione *ut* exponunt quasi idem sit quod *utut*, et hoc interesset, quod *utut* cum Indicativo, *ut* cum Coniunctivo componitur. Iteratur haec praeceptio a Mosero ad Divin. I, 6, 10, ubi manifesto *ut* est *licet*, concedentis: rursus ibid. I, 19, 38, *sed, ut vis, acciderit*, ubi commendat *utut vis*, propter illam suam regulam: sed nihil aliud postulat ille locus, nisi *ut* (quomodo) *vis:* nam Quinto cognita haec Marci opinio erat, in qua significatione Indicativum postulat directa oratio, sicut in *quam vis*, quod, separatis vocibus, restituendum est Tusc. I, 21, 47, ubi

nunc editur *quamvis*, cum sententiae et constructionis interitu: ad Div. XVI, 18, 1, *sed, si me amas — quod quidem aut facis, aut perbelle simulas, quod tamen in modum procedit — sed ut est, indulge valetudini tuae:* ubi Cratandr. et Lamb. *utut*, alii *ut* sic interpretantur: mihi *ut est* dici videtur sicut *ut facis.*

ut eos agitent insectenturque furiae) In hac corruptione, quae constans est in optimis libris, mirum non est interpolationes probatas esse, quarum alteram, *sed ut*, habet Ambros. *β.*, *quam ut* Lagom. 120. 126: itaque alterutram viri docti amplexi sunt. Quaerendum tamen de ratione huius syntaxis, qua Indicativo in hac altera parte substituitur *ut* cum Coniunctivo: dicendum enim fuerat *non tam luunt, quam agitantur.* Neque enim confundenda ea ratio est, per quam *ut* ponitur pro Infinitivo, sicut pro Flacco 27, 65, *quid in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?* aliisque locis, quos attigit Madvigius ad Fin. II, 3, 6, p. 146. sq., et ex cuius doctrina h. l. quoque fortasse quis explicet, *sed fit illud ut;* eamdemque rationem adhibeat his, Offic. II, 8, 30, *haec est enim una res prorsus, ut non multum differat inter summos et mediocres viros.* Verum tamen quum coniunctio (*sed*, aut *quam*) non tantum omittatur in optimis libris, verum etiam Indicativos ab iisdem servatos esse tuto coniicere liceat, potius in hanc inclino sententiam, ipsum *est* corruptum esse ex *sed*, legendumque esse *sed eos agitant insectanturque —*. In altera illa ratione multo frequentissimum est ut in comparatione post Infinitivum in priori parte sententiae subiiciatur *si* cum verbo finito: sicut Verr. III, 91, 213, *ut multo isti perniciosius sit dicere, se in re improbissima voluisse Antonium imitari, quam si defendere possit, nihil —*: ad Div. III, 8, 3, *iam non tam mihi videntur iniuriam facere ii qui haec disputant, quam si cuius aures ad hanc disputationem patent.*

non ardentibus taedis — fraudisque cruciatu) Opportuna annotarunt ad h. l. Davisius et Wyttenbachius: quibus haec addantur. Aeschinis locum in Timarchea p. 180. R. imitatur Iuncus Stobaei CXVII, 9. (T. III. p. 447. Gaisf.) loquens de cupiditatibus et iniustitiis iuventutis asseclis, *αἷς σύμμαχός τε καὶ συνέριθος ἡ νεότης γίνεται, ὑφ᾽ ἧς βαδίζουσαι καὶ κατακρύπτεσθαι δοκοῦσαι μονονουχὶ μάστιξι καὶ κέντροις, ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς αἱ τῶν τραγῳδῶν Εὐμενίδες, τὸν νεὸν ἐλαύνουσιν.* eumque locum usurpavit Wyttenbachius ad Plutarch. S. N. V. p. 35: ex eademque imitatione fluxit Philostratus Icon. II, 23. De *ardentibus taedis* tragoediae utilia monet Westrikius meus, in Disput. de Aeschyli Choeph. cet. p. 79. (Lugd. Bat. 1826.) Ad Euripidis Menalippen contulit Ciceroniana Valckenaerius Diatr. Eur. p. 185. C: sed praeter locos indicari solitos hi quoque conferendi sunt: Verr. I, 2, 6, *multa enim et in deos, et in homines impie nefarieque commisit: quorum scelerum poenis agitatur*: ad quem locum perperam discedit Ernestus a Dorvillio, rectissime *poenas*, *furias* intelligente; qua de re collegi nonnulla in Bibl. Crit. N. V. 1. p. 47. Milon. 23, 61, *ut neque timeant, qui nihil commiserint, et poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.* Fragm. in Clod. et Cur. apud Quinctilianum, *perturbatio istum mentis et quaedam scelerum offusa caligo et ardentes furiarum faces excitarunt:* ad quae annotavit Beier. p. 91. Contractius Livius XXI, 41, 8, *quem nisi Saguntinum scelus agitaret:* alium Livii locum, quem descripsit Davisius, cum Tacito Ann. XIV, 30, bene contulit Ernestus. Sueton. Neron. 34, *neque tamen sceleris conscientiam — ferre potuit, saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum ac taedis ardentibus.* — Postremo, ut *scelerum poenae*, sic dicitur *fraudis cruciatus*, in quibus quum *fraudem* recte interpretaretur Goerenzius, miror eum infra III, 4, 11, sine animadversione praeteriisse pravam Davisii interpretationem: conf. Divin. I, 4, 7, fin.

poena, non natura) Salustius Iugurth. C, 5, *Marius — pudore magis quam malo exercitum coercebat:* ubi vid. Inttpp. Livius I, 21, 1, de Numae institutis, *ut fides ac iusiurandum, proximo legum ac poenarum metu, civitatem regerent:* in quibus non probanda videtur Douiatii interpretatio, verumque potius vidisse mihi videntur Nannius et Gronovius, ille *pro ipso*, hic *pro summo*, corrigentes: sententia certe non *proximo*, sed *pro* requirit.

quorum tamen nemo — iure aliquo quaereret) Quod optimi libri habent, *abnuerit*, vitiosum esse arguunt sequentia Imperfecta (*fingeret* et *quaereret.*) In Leid. C E, pro *abnueret* est *ob iniuriam:* sed hoc ipsum continetur iis quae subiiciuntur, *sui doloris causam aliquam fingeret.* Scilicet, maleficorum duplex proponitur defensio: vel ut negent factum, vel ut iure factum contendant: quorum posterius indicio est ipsos quoque natura uti ad iuste iniusteque facta distinguenda. De hac distributione defensionum multus est Cicero, veluti Orat. II, 30, 132, sqq. Verr. III, 85, 195. Milon. 3, 8, cett. Livius IX, 11, 7. Sed eamdem Oratores Attici usurpaverant: Antiphon de Caede Herod. p. 736. R. οἱ μὲν γὰρ πανουργοῦντες ἅμα τε πανουργοῦσι καὶ πρόφασιν εὑρίσκουσι τοῦ ἀδικήματος. Demosthenes Contr. Onetor. II, p. 879, med. οἱ τὰ τοιαῦτ' ἀδικοῦντες σκοποῦσι τί λέξουσι, καὶ οὐδεὶς πώποτ' ὤφλε σιωπῶν οὐδ' ἀδικεῖν ὁμολογῶν. Conf. in primis Fals. Legat. p. 408. Lycurgus in Leocrat. § 90. — *Iusti sui doloris causam*, i. e. causam doloris, qua hunc iustum esse demonstrat. *Dolorem* esse indignationem, bene interpretatur Ochsnerus ad Ecl. Cic. p. 88. conf. Fin. II, 20, 66. Verr. III, 31, 74. Sext. 17, 39. 41, 88. Livius III, 39, 7, et saepius. Ad illud defendendi genus referendum, quod Ἄδικος λόγος in Aristoph. Nub. 1076. Herm. flagitia, honesto nomine, appellat τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας. — Servavi *a natura iure aliquo:* quamquam in paucis deterioris familiae meis est *naturae*, quae lectio

huousque non satis firmam habebat auctoritatem, sed tamen ipsa correctio tantum est. Malim *a natura et iure aliquo*. Ceterum non assentior Madvigio, qui ad Fin. II, 19, 61, p. 251, in his *iure aliquo — quae*, transitum fieri putat a generis appellatione ad singula pronom. plur. significanda: aptissime enim *quae* tum ad *causam doloris iusti*, tum ad *naturam* et ad *ius* revocatur; nec facile cogitari possunt *singula iura naturae*.

quod si poena — habendi sunt improbi) Goerenzii et Moseri incredibiles in hoc loco interpretando errores satis castigavit Madvigius Emendatt. I. p. 11, (iterum de inaudito illo coni. *aut* usu monens ibid. p. 142.) Sensus satis perspicuus est: si poena deterret ab iniuriosa vita, nemo, qui iniuriam committat, proprie iniustus appellari potest: quo igitur illi nomine appellandi sunt? habendi potius sunt incauti, non improbi. Laborat tamen, ut verum fatear, huius argumentationis enunciatio. Durum est enim, quum praecedant ea, quae referuntur ad vitam non iniuriosam (*deterret ab iniuriosa vita*), in his, *nemo est iniustus*, intelligere eos qui non deterreantur ab iniuriosa vita. Tum, sive *aut*, sive *atque* legatur, sequentia non aliud quid, sed ipsum illud significant, quod verba *nemo erit iniustus*. Postremo ne hoc quidem placet, ut dicatur *improbos habendos esse incautos potius*, quod non nisi sic explicari poterit, » quos vulgo improbos » appellemus, eos habendos esse incautos." In Lagom. 58 quidem vitiose legitur *nemo non est iniustus:* sed delenda potius est partic. negans in adiectivo, legendumque *nemo est iustus:* si quidem ii demum *iusti* rite appellari possunt, quos ipsa turpitudo ab iniuriosa vita deterret. Quod si probabitur, (contrario errore *iustus* pro *iniustus*, Lagom. 10. infra Cap. 15, 42, et *iustum* pro *iniustum* habet B. infra III, 12, 27), nulla causa erit mutandae coni. *aut*, qua indicatur id, quod sequitur, eodem redire atque superius, (neminem iustum esse, et neminem impro-

bum esse.) Tum clausulae ipsi sic opitulandam esse puto, ut legatur *non improbi*, in qua forma in proximis quoque dicitur *callidi sumus, non boni.* — *Ipsam turpitudinem* in eadem fere causa ponit Fin. III, 11, 38. Sed ad praesentem locum accommodatus est alius ibid. II, 22, 71, ubi contra Epicureos disputans sic scribit: *nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria. — nec enim, dum metuit, iustus est, et certe, si metuere destiterit, non erit:* in quibus verbis nihil desideravisset Goerenzius, si huius de Legg. loci memor fuisset.

§ 41. *tum autem — ut boni viri simus*) Perperam, aliorum Editorum exemplum secutus, maxima distinctione haec a superioribus disiunxi, quum coniuncte dicantur. De ordine verborum in *boni viri*, dixi nonnulla supra ad § 21. Hunc ordinem nunc postulabat emphasis in adiectivo, sicut ad Div. XIII, 11, 3: et pro Planc. 1, 1, postulabat alius adiectivi coniunctio, sicut mox, *iustus vir ac bonus.* Contra est Offic. II, 9, 33. 10, 35.

callidi sumus, non boni) Transfert idem ad scientiae vel laudem, vel dedecus Plato Menex. p. 246, fin., *πᾶσά τε ἐπιςήμη χωριζομένη δικαιοσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς, πανουργία, οὐ σοφία φαίνεται.*

quid faciet — in tenebris) Referendum ad proverbium, *quicum in tenebris*, de quo Offic. III, 19, 77: conf. Fin. II, 16, 52.

etiam colloquetur) Haereo nonnihil in coni. *etiam* sic posita, ubi nihil est quod praecedat, quodque incrementi significationem patiatur. Nullam tamen varietatem afferunt Codices: quamquam durum est intelligere, »non »tantum non spoliabit, sed etiam —.“ siquidem oppositio mox nude subiicitur. Placeret magis *amice colloquatur.* — Mox, *in viam deducet*, est ex praecepto Ennii, Offic. I, 16, 51.

faciet, mentietur) Hanc lectionem, quam optimi mei

quoque commendant, satis defendit Madvigius Emendatt. p. 12. Futura postulat definitio posita in enunciatione hypothetica, de eo quod futurum sit. — Mox, *videtis, credo, quid sit acturus*, necessario a Lambino corrigitur *facturus*, ut respondeat hoc initio, *quid faciet is homo.* Sic quoque Fin. II, 10, 30, *nunc vides, quid faciat,* quae mire sollicitarunt viri docti. — Tum, in proximis, spernendum erat quod Lagom. 10 habet, *illi se*, quoniam in hac sententia non eminere oportet *illi*. Eademque de causa non recipiendum fuit e deterioribus, *turpe natura.* — Quod Leid. D pro *iudicet* habet *videlicet*, ortum est ex compendio; itaque confirmatur nescio cuius, nec quo loco, emendatio, qui ex *iudices*, *videlicet* correxit. Infra III, 19, 42, fin. Lagom. 39 ex *vim* fecerat *videlicet.*

ne emanet, id est, ne malum habeat) Sic Fin. II, 22, 71. Ibid. 9, 28, est *hominum conscientia remota.*

in qua non modo docti, sed etiam agrestes erubescant) Prima corruptio est in Voss. C *agressi*, sed addita correctione duarum postremarum syllabarum *aestes*: hinc reliqui errores in deterioribus libris, in quibus est quoque *verum etiam*, optimis *sed* servantibus. Quod *docti* et *agrestes* sic coniunguntur, fit idem Offic. III, 19, 77: Paradox. V, 1, 33: Orat. III, 25, 98: Tusc. II, 18, 43.

CAPUT XV.

§ 42. *iam vero illud stultissimum* —) Profligata Epicureorum sententia, qui iustitiam ministram voluptatis relinquebant, nunc eos aggreditur qui ius et iniuriam θέσει et νόμῳ, non φύσει dirimebant, ut Protagoras apud Platonem Theaet. p. 172, A. B, aliique sophistae, de quibus Platonis locos indicat Stallbaum. ad Gorg. p. 483, B. cf. Legg. X. p. 889, E. Xenoph. M. S. IV, 4, 12. sqq.: quamque sententiam postea ornavit Carneades: cf. Intpp. ad Cic. Republ. III.

quae scita sint, in populorum institutis —) Madvigius Emendatt. p. 12. sq. rectissime demonstrat *sita* prorsus alienum esse ab h. l.: sed quod inde consequi demonstrat, praep. *in* delendam esse, non assentior. Quid enim est, *scitum esse populi institutis?* Levi tantum distinctione separanda haec erant, quod feci; siquidem nihil nisi hoc dicitur, *omnia iusta esse in populorum institutis aut legibus, quae scita sint*, i. e. simul atque scita sint. — Tum fortasse praeferendum quod Lagom. 10 habet, *ac legibus:* nam *aut* pro *et* accipere, ut Goerenzius vult, plane inauditum est.

etiamne si quae leges sint tyrannorum) Davisii intempestivam correctionem (*legibus etiam. An, si quae* —) satis respuit constans usus coniunctionis *etiamne*, ubi urgenda est interrogatio, sicut Tusc. V, 26. init. Philipp. XIII, 6, 14.

leges imponere) In C et δ exstat *legem ponere*, praepositione verbi absorpta per literam *m*. Neque enim hinc (quod Goerenzio placuit) conficienda est lectionis varietas: multoque minus *ponere leges* respondet Graeco τίθεσθαι νόμους (iubere leges), quod de populo dicitur, sed τιθέναι ν. (ferre leges), quod latori tribuitur.

aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus —) Constans haec est omnium librorum lectio (nisi quod in duobus est *homines*, pro *omnes*, sollemni varietate). Nihilominus languidum mihi in primis videtur illud, *omnes Athenienses:* tum, quum triginta illorum leges certe tyrannicae fuissent, quid opus erat quaerere de eo, si omnes Athenienses iis delectarentur? Tamen, memoratis modo Athenarum rebus, ex eadem civitate aliud exemplum attingere voluisse videtur Cicero. Id autem habebimus, si (ut millies nomina propria corrupta sunt aut obliterata) restituimus, *aut si omnes Athenionis delectarentur t. l.* Cognita est huius tyranni historia vel ex Posidonio apud Athenaeum V. p. 211. F. sqq. Alius

Athenio, Siculorum dux, bis in Verrin. III memoratur. — Mox optimi libri servant *eae*, non *hae:* et illud pronomen legitimum est in hac demonstratione.

interrex noster) Davisii dubitationem bene alii Inttpp. spreverunt; nec quisquam alius intelligendus est, praeter L. Valerium Flaccum. Loquitur sane invidiose; itaque eodem modo de ipso Sulla, Verr. III, 35, 81, *unus adhuc fuit post Romam conditam — cui res publica se totam traderet —, L. Sulla. Hic tantum potuit, ut nemo, illo invito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset.* Et neminem praeter Sullam potuit indicare Cicero: adeo ut nihili sit, quod ex adiecto in deterioribus libris *esset* post *dictator*, effecerunt nonnulli *dictator qui esset.* — Nec melius est id, quod Goerenzio placebat, *vel indicta causa:* scilicet *vindicta* merus error librarii est notum vocabulum substituentis minus cognito sibi. — Pro *impune posset* duo libri *posset impune*, fortasse melius, quum praesertim potestatis illius extraordinariae significatio in verbo insit.

est enim unum ius —, unaque lex, quae est recta ratio imperandi) Deserui Orellianam et reliquas fere editiones, secutus optimos meos libros Voss. B. C. Attinebat sane dicere *unum esse ius*, quod *lex* constitueret; non item. quod *lex una* constitueret; sed separatim addi, eam legem ipsam quoque *unam* esse, nempe rectam rationem imperandi, quo distingueretur scilicet ab iis, quae in populis sciscuntur. Corruptus locus in deterioribus libris est omisso *quae.* Nec fortasse spernendum quod Ambr. *a* habet *quodque*, pro *et quod*, quo ducit Lagom. 10 *quodve.* Tritum est *que*, aut *quae* saepe per librariorum negligentiam excidisse. Non tamen assentior viris doctis in Salustio Catil. III, 5, quum libri haberent, *ac me, quum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem quae ceteros fama atque invidia vexabat*, corrigentibus *eademque quae.* Neque enim eodem modo

cupido honoris, et *fama atque invidia* dici possunt *vexare*. Equidem credo sic corrigendum esse, — *honoris cupidum, eadem, quae ceteros*, —: et Salustium ita significare qui fructus sibi fuerint ambitionis.

quam qui ignorat, is est iniustus) Duplicem horum verborum interpretationem proponit Goerenzius, instituto sanequam lubrico et perverso; tum pronior est in deteriorem interpretationem. *Ignorare* h. l. est, non agnoscere, non probare, non sequi: contrarium est *nosse*, et *noscere*, quae explicui supra ad Cap. 4, 11. Tum addit, nihil interesse ad eius legis auctoritatem utrum ea scripta, an non sit: et ex seqq. item apparet, *ignorare* i. q. non obtemperare.

obtemperatio scriptis legibus) Tam cognita est haec substantivorum verbalium constructio cum casu eo quem verbum ipsum regat, ut non esset quod Goerenzius ad exemplum prorsus hinc alienum recurreret: nam supra, Cap. 8, 24, *agnatio nobis* ex alia forma explicandum esse dixi. Praeter Heusingerum ad Vechner. Hellenolex., exempla annotarunt viri docti ad Livium XXIV, 38, 2. XXXI, 40, 10. XXXV, 31, 13. Gronovius Lect. Plaut. p. 15. Cortius ad Salust. Catil. XXXII, 1, et ad Hist. Fragm. III, p. 978. Ruhnkenius ad Terent. Andr. I, 1, 17. Neque assentior Perizonio ad Sanct. Min. p. 122. sqq., hanc constructionem ellipticam esse docenti. De Graecis monuit Matthiaeus Gramm. § 396. Thucydideum hoc quoque exemplum est, I, 122, ἐπιτειχισμὸς τῇ χώρᾳ. Platonis Republ. VI. p. 493. D, πόλει διακονία. Conf. Stallbaum. ad Euthyphron. p. 14, D. init. Ceterum, *iustitiam esse obtemperationem scriptis legibus*, in sophistarum disputationibus apud Platonem dicitur, ὅτι τὸ νόμιμόν ἐςι τὸ δίκαιον. Conf. Theaetet. p. 172. A. et Interprett.: iidemque iustum definiebant τὸ λυσιτελοῦν, τὸ ξυμφέρον, cet.

easque perrumpet) Errare mihi videntur Goerenzius ad h. l. et Beierus ad Offic. III, 8, 36, qui huius locutionis

auctoritatem repetunt a dicto Zaleuci aut Anacharsidis, apud Stobaeum XLV, 25, de legibus araneorum telis. Communis et perpetuus sermonis mos hunc sequitur usum, ut leges vel cum vinculis, vel cum septis conferantur; unde *septus legibus*, Philipp. XII, 10, 25: *legibus vincire*, Marcell. 8, 23: *constringere legibus*, Agrar. II, 10, 26: et prout *rumpere vincula*, similiaque dicuntur, sic *perrumpere leges*.

ea quae propter utilitatem constituitur) Sic sane et optima et maior pars librorum. Correctionem tamen, quae erat in promptu, *eaque quae*, habent Ambr. β γ, Lagom. 10: quamquam ne altera quidem correctio, *et ea quae*, spernenda est. *Neque* — *que* est Fin. I, 14, 48, multisque aliis locis. Utriusque rationis exempla collegit Beierus ad Offic. I, 21, 72, fin. Recte tamen Madvigius ad Fin. V, 22, 64, p. 730, hoc *neque* — *que* in quodam negligentiae genere ponere videtur: quamquam difficile erit, credo, locum indicare, in quo per severam duarum partium oppositionem hae partes sic disiungantur, *neque* — *que*. Nam Fin. I, 14, 48, quod opponi alteri videtur, (*temperantiam expetendam*), revera continebatur altero illo (*intemperantiam fugiendam.*) Ibid. III, 1, 3, (*nec enim* — *nostraque*) non est oppositio: multoque minus Catilin. II, 13, 28. fin.

utilitate illa convellitur) Satis constat huius lectionis auctoritas, nisi quod duo Davisiani pro *illa*, habent *ipsa*. A Victorio est, quod dein multas occupavit editiones, *alia:* quam necessariam esse correctionem sic defendit Madvigius Emendatt. p. 14, sq., ut doceat, nihili esse pron. *illa*, quo nihil demonstrari possit, quum de una eademque utilitate agatur: contra hoc significari a Cicerone, utilitatem cum utilitate pugnare, esseque alio tempore aliam, ut utilitas ipsa ab alia utilitate interdum vincatur. Recte omnino sic Goerenzius aliique refutantur, qui *illa* servabant: sed ne *alia* legatur eaedem fere

rationes obstant: quippe una semper est utilitas et eadem, non alia quae aliam tollat. Et sic loquitur Fin. II, 24, 78: *et, si utilitas amicitiam constituet, tollet eadem:* III, 21, 70, *eaedem enim utilitates poterunt eas* (amicitiam aut iustitiam) *labefactare atque pervertere.* Sic Offic. II, 15, 52, *benignitate benignitas tollitur.* Veterem credo esse interpolationem, cui tum *illa*, tum *ipsa* debeatur, recteque utrumque omitti in Lagom. 96, id est libro haud spernendae auctoritatis.

§ 43. *atque si natura — tollatur*) Necessario *atque* scribi, non *atqui*, quod boni libri habent, viderunt Interpretes: scil. novam argumentationem apagogicam inchoat, *praeterea, si* —. — *Confirmatura* pro *confirmatum*, vetus mendum fuit, ortum ex oscitantia librarii praeced. vocabuli terminationem iterantis: nactum est tamen defensores Goerenzium et Moserum, qui quomodo intelligant naturam *confirmaturam*, nec iam confirmasse ius, difficile est assequi. — Tum in deterioribus libris est *virtutes omnes* (aut *omnes virtutes*) *tollantur.* Fieri tamen non potest ut scripserit ita Cicero, qui in proxime sequentibus eas tantum virtutes memoret, quae essent cum iustitia coniunctae, neque aut prudentiam, aut fortitudinem, aut modestiam. Prudentius sane, in simili causa, aliis locis disputat: veluti Nat. D. I, 2, 3, sublatis diis, eas tantum virtutes tolli, quae essent cum opinione deorum coniunctae. Hinc suspicor, quum optimi libri careant duobus illis vocabulis, verum subiectum verbi *tollatur* diu excidisse, et male suppletum esse: nam propter sequentia necesse est fuisse, *vinculum societatis*, aut simile quid, cuius verba praestare non ausim.

nam haec nascuntur ex eo, quod natura —) Recte *haec*, (non *hae*) quamquam ad illas virtutes refertur. Itaque non spernendum, quod habet Erl. in Fin. III, 9, 30, *quae* (pro *quas*, sc. sententias) *quamquam vitiose quidam secuti sunt:* sicut ibid. 11, 39, *stultitiam et timi-*

ditatem et iniustitiam et intemperantiam quum dicimus esse fugienda —. V, 13, 36, *docilitas, memoria: quae fere omnia* —. — Pro *quod*, liber is, unde nostri antiquissimi fluxerunt, videtur habuisse *quia*, postea male disiunctum in *qui a*. — Quod Lagom. 10 affert, *ad diligendum homines*, neminem morabitur post accuratam disputationem Madvigii Opusc. p. 380. sqq.

sed etiam in deos, caerimoniae — tolluntur) Interpungendo, sicut fecerat Ernestus, indicare volui, *caerimonias religionesque* per epexegesin addi, nec dici *caerimoniae in deos:* et aliena confundit Goerenzius. — Nihil erat, quod Lambinus mutaret *tollentur*: sed rursus ad defendendam vulgatam alienissimis exemplis utitur Goerenzius.

quas non metu, sed ea — conservandas puto) Negationem, *non*, nonnunquam in optimis libris perperam omitti, exemplo est hic locus. — *Conservandas* i. e. conservari. Nam hoc participium sic praesentis habere significationem, et alii post, et dudum docuerat Perizonius ad Sanct. Min. p. 142. sqq. Non attendit hoc Goerenzius, sic interpretans, »deorum cultum, et ritus retinendos esse duco, sed ita ut —." At hoc non agebatur.

CAPUT XVI.

si principum decretis) Non oportebat Moserum quidquam tribuere Engelbronneri suspicioni, *principum* mentionem alienam esse a Cicerone. Intelliguntur *delecti* in civitate, quibus aut omnis, aut maior potestas commissa est: et sic tum in libris de Republ., tum in Sextiana loquitur. — Multitudinis iussa quam ridicule pro veris et iustis habeantur, festive arguit Plato Republ. VI. p. 493. A-D. — Mox improprie mihi videtur scribi *iura constituerentur;* siquidem *iura* et *iussa* sane populi constituunt (conf. Cap. 5, 17); sed, quod istis auferre vult, est *ius constituere*, i. e. ipsam normam iuris: Cap. 6, 19, fin.

Quare in hanc sententiam corrigendum esse, supra dixi ad Cap. 5. fin.

testamenta falsa supponere) Bene quidem docuit Goerenzius, sine adiecto dici *testamenta supponere*, aut *subiicere:* et sic Catil. II, 4, 7. Livius XXXIX, 18, 4, *subiectio testamentorum:* Tacitus Ann. XIV, 40, *subdidit testamentum.* Neque tamen propter has ellipticas locutiones damnanda plena oratio est, nisi forte quos aliquoties *populos* appellat Cicero, aliis locis *liberos populos* dicere ei non licebit. Aliud exemplum est Caecin. 25, 71, *itaque in ceteris controversiis — et fictus testis subornari solet, et interponi falsae tabulae.* Rosc. Comoed. 17, 51, *falsum subornavit testem Roscius Cluvium.*

si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur) In hac sententia nullum potest esse discrimen inter *suffragia*, et *scita* multitudinis, nisi quod haec illis constituuntur: quare *aut* fortasse corrigatur, ut *et* legatur: sicut mox *sententiis atque iussis. Probari* i. e. explorari, ad suffragiorum normam exigi. — Continetur his iteratio conditionis eius, quae initio sententiae posita erat: id quod Graeci frequentissime usurpant, per coni. ἐπεὶ in clausula sententiae.

§ 44. *stultorum sententiis*) Et hoc non Stoicum tantum, sed Socraticum est, de multitudine dictum, ut ex Xenophonte et Platone intelligitur; et aptiora sane, quam fieri solet, ad Tusc. V, 36, 104, aut ad Divin. II, 39, init. commemorari poterant, vel ex Protagora: conf. Paradox. III, 2. init. IV, 1. — Initio huius sententiae *quae si* servandum fuit: nam *quod si* (sicut in meorum quoque nonnullis est) novum incipit argumentum, non, ut h. l. requiritur, persequitur eam argumentationem, quae instituta erat.

aut, quum ius ex iniuria lex facere possit —) Vulgo editur, *aut cur quum ius —*. Nos secuti sumus optimos libros; qui in hoc laudandi sunt, quod alterutram parti-

culam servant, reprehendendi quod perperam alteram habent. Legendum enim est, *aut cur ius — possit, bonum eadem facere non possit ex malo?* ex illo modo coniungendarum duarum enunciationum, quarum altera necessario ex altera pendere significatur; quam rationem abunde in Emendatt. exposuit Madvigius. *Quum* (*cum*) interpositum post *cur*, debetur libris tantum recentioribus.

naturae norma dividere) Veram lectionem quum C retinuisset, et ille liber unde E fluxit, in aliis optimis diu corrupta fuit in *naturalis norma*. — Eademque est auctoritas in omittenda praep. *a*, ante *natura diiudicantur:* neque tamen accurata disputatione hoc commendaverat Goerenzius (ut Mosero videtur): neque enim h. l. perpetuus usus spectatur, sed quid ipsa sententia postulet; si quidem non natura diiudicare dicitur, sed nos diiudicamus naturae norma, i. e. natura. — Rursus deflectunt optimi libri a vera lectione, et, omissis *et iniuria*, habent *ius — diiudicatur.* Bene receptam lectionem defendit Goerenzius.

nam et communis intelligentia — in vitiis turpia) Nondum expediverunt huius loci difficultates viri docti, vel interpretando, vel corrigendo. Quod Davisius volebat, *nobis notas rerum effingit*, probari non potest, quoniam notae rerum neque effinguntur, neque inchoantur in animis (dicereturque sic ὕϛερον πρότερον), sed rebus ipsis imponuntur, quod tum de *nominibus*, tum de aliis formulis dici solet: Fin. V, 25, 74. fin. Orat. 23, 75, conf. Schutz. in Indic. Latin. (quamquam hinc excludenda sunt *argumenta*, quae pro *notis* dici, minus bene conficitur ex Acad. I, 8, 32: exponitur et describitur ibi Academicorum dialectica: *scientiam nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus; qua de causa definitiones — appellabant: post argumentis et quasi rerum notis ducibus utebantur ad probandum —*. Sed primum *ducibus*, quod nihili est, omittendum Codd. auctoritate: tum *argumenta*

esse non possunt *rerum notae*, neque haec respondent alteri parti dialectices, quam in *rationibus* versari modo dixerat: *notarum* usus in definitionibus esse poterat, non in rationibus aut argumentis. Quapropter corrigendum mihi videtur, *quasi rationum punctis:* conf. Orat. II, 41, 177. Paradox. Prooem. 2.) Sed reliquorum quoque interpretationes eo laborant, quod *efficiendi* et *inchoandi* potestatem *communi intelligentiae* tribuunt, quum *naturae* ista debeantur. Accedit, quod nondum hac argumentatione conficitur id, quod postulabatur, *honesta et turpia natura diiudicari;* et argumentatio concluditur demum his verbis in seqq., *honesta quoque et turpia natura diiudicanda sunt.* Unde apparet necessario *naturae* requiri mentionem, qua voce semel obliterata, reliqua, suspicor, in alienam sententiam corrupta sunt. Legendum credo: *nam ita communes intelligentias natura efficit, easque in animis n. inchoavit, ut* —. Sic certe supra Cap. 9, 26, natura dicitur *intelligentias inchoasse*, i. e. notiones: conf. Cap. 22, 59. *Nobis* tum per se inutile est, sequ. *in animis nostris*, tum fluctuantem sedem habet in Codd., et excogitatum videtur ut corrupto vocab. *notas* adiungeretur. — *In virtute ponantur* i. e. laudabilia ducantur: et quod subiicitur *haec autem*, intelligendum, utrum quid laudandum sit, nec ne. Neque probanda erat Davisii opinio praeferentis id, quod de meis quoque libris nonnulli afferunt, *ea autem:* non tamen propter » vim » loco aptiorem", quam Goerenzius tribuit pronomini *haec*, aut » quum ista pronomina ubique invicem permutentur:" sed quod postulat perpetua Ciceronis consuetudo, ut *hic* pron. ponatur, ubi nova argumentatio aut confirmatio antecedentis instituitur, non continuatur iam instituta: conf. Offic. I, 2, 6, (*hae disciplinae*), 4, 13, (*huic — cupiditati.*) Contra, *is*, ibid. 5, 15, (*eiusque virtutis*), 10, 31, (*ea quum commutantur*), 16, 50, (*eius autem*).

§ 45. *in quo abutimur nomine*) Siquidem, ex Stoicorum definitione, virtus est perfecta ratio (Fin. V, 14, 38. Offic. I, 16, 50.) Sed communis usus *virtutem* animantibus quoque rationis expertibus, tum inanimis tribuit: unde recte a corrigendo Clericum revocat Dukerus ad Livium XXXVII, 24, 1: et commendanda ideo lectio Guelf. 3 in Salustio Catil. I, 5, *corporis, an virtute animi* (pro *vine corporis.*) Cuiusque operis excellentissima facultas, ἡ τοῦ πράγματος ἀρετή appellatur a Platone Legg. I, p. 643, D. In Metopo Pythagoreo Stobaei I, 64. init. minus recte Iacobsius (Lect. Stobaeens. p. 37. sq.) commendat Frischlingii correctionem: servandum est, ἕκαςον γὰρ τῶν ἐόντων τέλειον καὶ ἄκρον γίνεται καττὰν οἰκείαν τᾶς ἀρετᾶς φύσιν, i. e. illa perfectio est pro cuiusque virtutis natura, s. pro natura eius praestantiae, quo quidque pervenire potest.

quid sit est) Recentiorum librorum lectio est, partim correcta, partim interpolata, *quod si ita est.* Nihil aliud ex veteribus libris conficere licet, nisi *quod si est.* In primis utitur Cicero hac forma in contracta argumentatione; adeo ut non mirarer, si Tusc. V, 15, 45, quoque ex Codd. fortasse nondum collatis bis idem esset restituendum.

nam si opinione — omnis honestas eodem modo) Demonstratio ex absurdo: Si universa virtus opinione probaretur, partes eius etiam: Atqui partes virtutis probantur natura: Ergo omnis virtus eodem modo. Sed ista liberius enunciat. Veluti, pro assumtionis enunciatione negante (atqui partes virtutis non probantur opinione,) quaerit *quis igitur —?* in quibus *igitur* est urgentis contrarium sibi concedi oportere, neque in argumentationis serie ponitur; id quod fefellit Goerenzium, qui exponit *igitur velut*, confundens alios locos, in quibus *igitur* non nisi concludendi coniunctio est. Tum additur confirmatio assumtionis: *est enim* [*virtus*] *perfecta ratio —:* in quibus

quare *virtus* expungi malim mox dicam. Postremo subiicitur conclusio, *igitur — eodem modo.* — Nunc de singulis videndum. *Ex ipsius habitu*, i. e. ex ipso. Iure Wyttenbachius Peripateticorum ἕξιν contulit: modo teneamus tam virtutem et scientiam, quam quae his contraria sunt, eo vocabulo contineri: conf. Cic. Invent. II, 9, 30, (quo loco quae duo ponuntur, *habitus* et *affectio*, non accuratissime respondent tribus his, δύναμις, πάθος, ἕξις, apud Plutarchum Virtut. Mor. p. 443, D, nec debueram hunc locum cum Stoicis coniungere ad Cleomed. p. 277.) Sed mirum in modum labitur Goerenzius, qui ad haec explicanda Stoicorum ἕξεις advocat, nec sensit errorem Moserus. Et quemadmodum h. l. *prudentis habitus*, ita transfertur idem ad ipsam virtutem: Arch. 7, 15, *naturae ipsius habitus:* Fin. III, 14, 48, *virtutis habitus;* ibid. IV, 14, 37, *rationis habitus:* conf. Cortius ad Salust. Iugurth. XXVIII, 4. — *Est enim virtus perfecta ratio.* In his multis modis labitur Goerenzius. Primum, *enim* dicit esse pro *autem*, *iam vero;* nec sensit hanc esse confirmationem assumtionis. Delectatus hoc suo invento, inculcat idem ad Fin. IV, 14, 37, ubi tamen eamdem confirmandae propositionis, quae subiicitur, vim continet. Suffragantem huic placito nactus est Moserum ad illos locos de Divin. quos, exempli causa, indicat: sed neque in istis, neque in ullo alio nativa vi defraudanda est Coni. *enim*, quamquam paullo diversus usus est, non tantum in *etenim* (ut Madvigius docuit), sed etiam in *neque enim.* Sed minus opportune h. l. affirmari videtur *virtutem* esse *perfectam rationem:* neque enim in hac assumtione de universa virtute agitur, sed de prudentia quae pars sit eius. Tollendum credo *virtus*, intelligendaque *prudentia.* — *Quod certe in natura est.* Goerenzius (rursus plaudente Mosero) *quod* coniunctionem esse dicit, et reprehendit Ernestum, qui *quae* corrigebat. Sed, ut saepe fit post cuiusvis generis substantiva, neutr. *quod* re-

fertur ad totam notionem quae praecedit; (itaque hoc exemplum citat Madvigius ad Fin. III, 6, 21, p. 378:) nempe ad *rationem perfici*. Natura enim, ut dixit supra Cap. 9, 27, fin., *confirmat ipsa per se rationem et perficit*. Ita infra, II, 10, 24, *in quo*, non ad *animum*, sed ad *animo caste adire* refertur: et Davisius in II, 4, 8, corrigebat haud inepte *ex quo illa lex*, pro *ex qua* (*lege*): et certe verissime correctum est *ex quo*, Fin. III, 8, 28, init.

CAPUT XVII.

sua sponte, non aliena) *Aliena* pro pronomine esse, recte docet Madvigius Fin. V, 17, 46, p. 701. Ceterum *sponte* non recipit adiectivum. — Mox, deteriores libri, *quae est virtus*, ideo improbandum, quod *virtus* ipsa est, quae illo modo definiatur, non contra: propptereaque corrigendum in seqq., *quod vitium est*.

sua natura probavit) Sic et maior et melior pars librorum. Sed recipienda est vera correctio, quae in recentissimis libris est, *probatur*. Lagom. 10. *probantur*.

§ 46. *nos ingenia iuvenum non item — referri necesse erit*) Locus unus omnium in his libris corruptissimus. Ex meorum librorum collatione apparet omnes conspirare in his tribus vocc., *nos ingenia iuvenum:* in seqq. eorumdem fere verborum merae corruptionis diversitates cernuntur, *non ratione ab ingenita naturae, non item at ingenuo natura, non item ad ingenia natura, at ingenia natura, at ingenita nature, ab ingenita naturae, ab ingenia naturae:* tum, communi errore, *virtute sed vitia*, (unus et alter *sed et*): dein conspirant omnes in his, *quae exsistunt ab ingeniis:* pro *iudicabuntur*, reperitur *iudicamus*, tum *iudicabimus; aliter* in uno Ven. abest: mox *an ea aliter*, aut *at ea non aliter:* porro *quam* omissum; aut pro eo *non*, ante *honesta;* item *quam non ho-*

nesta. De his, quae superiores editores excogitaverunt, nunc non attingam, ne patientia legentium abutar. Sed Madvigius bis hunc locum tractavit, Emendatt. p. 19. sqq. et Programm. laud. p. 12, utrobique, ut omnia, magna cum acuminis laude. Tenet hoc rectissime, bipartitam esse interrogationem: sed in priore constituenda sententiam mutat. Nam quum prius merito quaesisset, quid h. l. *iuvenum* ingenia spectarentur, igitur istud vocabulum certe delendum censuisset, postea suspicatus est lacunam esse, sic explendam: — *sua natura* [*iudicabitur. An arboris aut eculei ingenium natura*] *probabimus, ingenia iuvenum non item?* Quod quamquam est ingeniose excogitatum, cedere tamen debet verissimae admonitioni in Emendatt. positae, alienissimam h. l. esse *iuvenum* mentionem: ne dicam, quum modo supra poneretur *equi* et *arboris virtus*, imtempestive eadem fere nunc iterari: neque *probari inconstantiam sua natura* non recte dicitur, si quidem i. q. explorari, iudicari; ut haec certe nulla caussa sit, cur illud *probavit* auferatur praecedenti sententiae. Reliqua quod attinet, prius sic ordinaverat: *nos ingenia iudicamus natura; non item virtutes et vitia, quae exs. ab ing., iudicabuntur?* Multo tamen melius postea: *an ingenia natura, v. et v. quae e. a. ing. aliter iudicabuntur?* Mihi de hac prima interrogatione sic videtur: primum abiicienda esse verba *nos ingenia iuvenum*, quorum nullum quod non inficete h. l. vel dicatur, vel collocetur, si quidem *nos* — *iudicabuntur* in recentissimis demum exemplis correctum est, ut aut *iudicamus*, aut *iudicabimus* legeretur. Tum necessario ordiendam esse interrogationem, quae novum argumentum contineat, a particula *an* (pro *at*, *ad*, *ab*, quae in Codd. sunt). (Eodem modo correxit Madvigius in Verr. IV, 45, 102, et *an* partic. defendit a correctione Orellii, Opusc. p. 462.) Similiter Fin. V, 30, 91, *an hoc usque quaque, aliter in vita?* Sed quum corrupta illa (*nos*

ingenia iuvenum) recte correcta essent sic, *an ingenia natura*, oscitantia librarii eius Codicis, unde nostri libri omnes fluxerunt, omissa sunt post veram lectionem *non item*, quae falsae iam addita fuerant; et hinc suspicor factum esse, ut *aliter* adderetur ante *iudicabuntur*, quod tamen in Ed. Ven. recte omittitur, quum probari non posset iterari mox idem adverbium. Igitur locum sic constituendum esse arbitror: *an ingenia natura, non item virtutes — ingeniis iudicabuntur?* Offendo praeterea in his, *quae exsistunt ab ingeniis.* Nam *exsistere ab*, vel *ex* aliqua re, ut Gr. ἐκφανῆναι, dicitur de iis quae subito et inexspectato prodeunt alicunde: neque ea locutio sic accipi potest, sicut Fin. V, 13, 38, de virtutibus dicitur, quae *ex ratione gignuntur.* Quumque *virtutes et vitia* sic distinguenda videantur, ut sint voluntaria, ingeniorum contra natura aut indoles involuntaria (prout eodem loco Fin. distinguitur,) ita tamen, ut illa voluntaria cum ipsis ingeniis coniuncta sint, puto corrigendum esse *quae exsistunt in ingeniis.* — Videamus de altera interrogatione. Quae nunc aliquanto facilius sic constituuntur: *an ea* (i. e. tum ingenia, tum virtutes et vitia) *non aliter, honesta et turpia non ad n. r. n. e.?* Quae interrogatio non opponitur alteri (ut *an* esset pro *aut*,) sed iteratur idem urgendi, in hac forma interrogandi, modus; sicut loco modo cit. Fin. V, 30, 91, *an dubium est*, subiicitur.

quod laudabile bonum est) Intempestive Goerenzius exponit »quod attinet ad id, quod bonum laudabile est.” In istis Stoicorum rationis conclusionibus *quod* (ὅ τι) pronomen est. *Laudabile*, quod Wagnerus tolli suadebat, propterea abesse non potest, quoniam id ipsum vocabulum est, cuius vis urgetur in propositione (*habeat quod laudetur:*) tum, quod subiicitur, *ipsum bonum*, indicat in propositione compositam fuisse illam notionem, ex qua *bonum* posset segregari. Attigit has Stoicorum argutias Madvigius ad Fin. III, 8, 27, p. 392.

in se habeat) Et h. l. recte dicitur, et Fin. III, 5, 17, fin., aliisque locis, ubi sermo est de eo, quod natura ipsa cum aliqua re coniunctum est. Quare non ferendum erat Orat. II, 84, 344, ut demonstravi Bibl. Crit. N. V. 1. p. 29. Schol. Hypomn. II, p. 189. — Mox, praeter morem legitur *opinionibus*, quum in hac oppositione singulare poni soleat, rectiusque legi quis suspicetur *opinione:* nisi forte *varietatem opinionum* voluit significare, ut statim post appellat, et supra Cap. 9, 27, et Acad. I, 12, 44.

§ 47. *et quia — sensibus, hos natura certos putamus*) Non ferenda argumentatio: neque nunc hoc agebatur, utrum sensus natura certi essent. Quare necessario ex E, i. *e.* libro recenti quidem, sed ex optimo descripto, recipiendum est, *et hos —:* et conclusio incipit ab *illa quae aliis —.* — Ceterum nugatur prorsus Goerenzius, haec proxime ad Epicureos pertinere dicens, immemor eorum, quae supra Cap. 10, 30, dicebantur (*sensibus eadem omnia comprehenduntur.*)

ficta esse dicimus) Victorianum *ducimus* praetulerat Ernestus, ita tamen melius abesse sentiens *esse.* Sed (quamquam exigua est in talibus librorum auctoritas) nihil obstat quo minus *dicimus* servetur, in quo est affirmandi significatio: conf. Cap. 19, 51. fin.

abducit a vero: animis omnes —) Ambr. *γ. at vero* (quod vitium in aliis quoque est) *ab hiis quos animis —:* per errorem h. l. positis iis verbis (*ab iis quos*) quae paullo inferius leguntur: rursus exemplum erroris relicti, nec deleti. Postea demum illud *ab his* locum occupare coepit vocabuli *animis.* — *Parens, nutrix, magister* sic coniunguntur apud Platonem Protag. p. 325. C. conf. Tusc. III, 1. fin. sq., ad quem locum qui affertur a Davisio Augustini locus C. D. II, 14, fin., non hic mihi videtur similis, sed idem esse atque ille, ornatus tantum ab Augustino. Elegantissime hoc de populo, velut summo magistro, explicat Plato Republ. VI, p. 492. B: *ὅταν*

ξυγκαθεζόμενοι ἀθρόοι πολλοὶ εἰς ἐκκλησίας ἢ εἰς δικαστήρια ἢ θέατρα ἢ στρατόπεδα ἤ τινα ἄλλον κοινὸν πλήθους ξύλλογον ξὺν πολλῷ θορύβῳ τὰ μὲν ψέγωσι τῶν λεγομένων ἢ πραττομένων, τὰ δὲ ἐπαινῶσιν κ. τ. λ. Unde fortasse quis probaret si h. l. legeretur *multitudinis consessus.*

vel ab iis, quos nominavi) Nunc praeferam *ab his*, quod Codd. Goerenzii, et Paris. *s* habent, ut supra Cap. 13, 38, fin. *haec, quae dixi.* Sic referri solet *hic* ad demonstrandum id quod antecessit: *is* in eo, quod nunc definitur: unde mox *ab ea*, quia nunc demum voluptas indicabatur; cuius generis omnia exempla sunt, quibus ad alteram lectionem confirmandam utitur Goerenzius: neque paullo infra Cap. 18, 48. init. *ex iis, quae dicta sunt* insignem illam designationem continent, ut probanda altera lectio sit *ex his.* — Mox, quod nonnulli habent *acceperint*, satis damnatur accurata disputatione Madvigii ad Fin. p. 690. — In sqq. *inficere* idem esse quod *informare* et *fingere*, minus caute affirmat Stuerenbergius ad Arch. p. 39.

imitatrix boni, voluptas) Conf. Cap. 11, 31. Sed Goerenzius, quod *voluptas*, non *voluptate* (pendens ex *ab ea*) legitur, perperam hanc antiptosin appellat ad III, 5, 12. Nam *voluptas* h. l. in praedicato et definitione ponitur, non ipsum est definitum. — Mox *autem* non exaggerationem, sed contrarium indicat. — *Γαργαλισμὸν* Epicuri (cui Goerenzius *scabiem* respondere putat) attigi ad Cleomed. p. 431.

non cernuntur satis) Ita meliores libri, fortasse propter vitium, quod iidem tenent in antecedd., *corrupta.* Davisii correctio, *cernunt*, praesidium habet nunc ex Ambr. *a.* eamque nunc credo et facillimam et veram esse. *Cernimus* ipsa quoque correctio est in libris deterioribus.

CAPUT XVIII.

§ 48. *Sequitur, ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio* —) In eo erraverunt novissimi editores, quod verbo *sequitur* consequentiam ex antecedd. significari putaverunt. Nihil aliud indicatur, nisi novam demonstrationem institui; (sicut Cap. 12. init, et saepe in his libris) et haec est illa *series rerum sententiarumque, ut alia ex alia nectatur*, ut dicit Cap. 19. fin. — Tum perperam Goerenzius *ratio* praetulit. *Oratio* (λόγος) universa disputatio est, (non argumentatio) ut Cap. 12, fin.: *conclusio rationis* prorsus ab hoc loco aliena est. Sic Fin. IV, 28, 78, *iam enim concludatur oratio*, i. e. tota quae hoc libro instituta erat disputatio.

errare, et diligere) Goerenzii causa et Wagneri monendum, *errare* esse ἁμαρτάνειν (unde sapiens ἀναμάρτητος), *diligere* esse Stoicorum προσίεσθαι, ut apud Diog. Laert. VII, 85, eodemque modo interpretatur Cicero Fin. III, 5, 16.

quod si ius, etiam iustitia sic in ea reliquae quoque virtutes —) Bene omittitur *est* post *ius*, quod non nisi in recentissimo libro, Leid. D, est. *Si haec*, quae est Wyttenbachii correctio, confirmatur Ambr. β. Sed ne *in ea* quidem resecanda sunt, quamquam non spernendae auctoritatis libri omittunt. Corrigendum potius *ita*, quod in concludendo ponitur.

si sine praemio benignus est) Servandum putavi *benignus*, ut ex virtutis nomine homo intelligatur: nec sane *liberalitas* ipsa *benigna* dici poterat. — *Praemium* et *mercedem* putide h. l. distinguit Goerenzius, quasi illud a dantis penderet voluntate, haec certa et constituta esset. Ecce, Fin. II, 31, 99, *probitatem gratuitam, non — praemiorum mercedibus evocatam.* Dicitur utrumque de fructu et utilitate ex aliqua re speranda: conf. Fin. II, 14, 45. Gronovius Observ. II, 25, et ad Gell. N. A. III, 8,

ubi ex Claudio Quadrigario citatur *pretio aut praemio*, idemque ex oratione C. Gracchi apud eumdem Gellium XI, 10: ut, quod mox subiicitur, *nihil praemii*, *nihil pretii*, proverbiale fuisse videatur, aut ex formula.

ergo eadem iustitia —) Non puto corruptam hanc optimorum librorum lectionem adiuvari adscito, pro *eadem*, vel *item*, vel *idem*, e libris deterioribus. Corrigendum puto, *ergo ea demum iustitia*, *quae nihil* —. Corruptio orta fortasse ex eo quod paullo post occurrit, *eademque*. — Tum praetuli *expetit* prae altero *exprimit*, tum quod hoc nimium est (nihil enim vult aliud, nisi sperat, spectat), tum quod oppositionem quaesivisse videtur Cicero in his, »iustitia nihil expetit, sed ipsa per se »expetitur."

eademque — causa atque sententia est) Interpretatur Wyttenbachius, »eadem natura, eadem vox:" Goerenzius etiam Germanice, sed ita ut non explicet verborum vim. Et *causam* quod attinet, *haec virtutis causa est*, idem est ac si dicas, hoc est in quo defendi virtus debeat, nempe gratuitam esse, et ipsam per se expeti; quo sublato aut neglecto actum sit de re: eodemque modo explicanda est *causa imperii* (Orat. I, 34, 159), et *causa rei publicae* (pro Sull. 10, 32) sicut infra III, 18, 41, *causae populi*; non, ut Madvigius accepit, pro *conditione*, ad Fin. I, 15, 49, p. 98: tum intelligitur non insulsum interpretamentum irrepsisse in celebratissimum locum Nat. D. I, init. *causam id est principium philosophiae, esse inscientiam*; si quidem *causa philosophiae* hoc est, quo sublato nulla futura esset philosophia, ideoque demonstrat solos Academicos veros esse philosophos, quippe qui assensum cohiberent: id autem optime recentior Latinitas interpretabatur, esse *principium*. — *Haec virtutis sententia est*, i. e. hanc vim tribuimus ipsi nomini virtutis.

§ 49. *si emolumentis, non sua sponte virtus expetitur*) *Emolumentum* universe esse *effectum*, docte demonstrat

Ruhnkenius ad Vell. Pat. II, 78, 1. — Ablativum, qualis hic est *emolumentis expetitur*, sic accipiendum esse, ut sit *propter emolumenta*, bene post alios monuit Madvigius ad Fin. I, 10, 33, p. 73; qui tamen paullo infra ad § 36. p. 78, minus recte mihi videtur excludere ab hac interpretatione Fin. II, 26, 83, *si fructibus — amicitias colemus*, quum praesertim in oppositione dicatur, *propter se*. — *Suapte natura*, quod novissimi editores tenuerunt, non nisi deteriorum librorum auctoritate firmatur: et quum reliqui habeant *suapte*, satis mihi praesidii erat in C E ut ederem *sua sponte;* nec usquam, in hac disputatione, *suapte natura* deprehendi. Nec, ut suspicor, his formis *suopte*, *suapte*, locus est, nisi ubi oppositio cogitari potest, sicut *suapte manu interfectum*, i. e. non aliena manu: contra h. l. universe *natura* opponenda erat *emolumentis*, non alienae naturae. — *Expetitur* locum suum propterea tuetur, quoniam tota haec argumentatio versatur in eo, ut demonstretur quam ob causam *expetendae* sint virtutes: et, ut *emolumentis expendere* recte dicitur, ita dubito an recte dicatur *sua sponte expendere*. Igitur *expenditur* vitium adhaesit optimis meis libris.

una erit virtus, quae malitia rectissime dicetur) Nemo videtur haesisse in his; quamquam ea affirmatio est de *una* virtute, ut aliae virtutes cogitandae sint, quae non *malitiae* nomine dicantur: quod tamen prorsus alienum: et tamen sic interpretari videtur Ernestus, quoniam corrigi volebat *dicatur*. Necessario, sicut in simili conclusione supra Cap. 15, 42, (*ita fit ut nulla sit iustitia*), corrigendum, *nulla erit virtus, atque malitia rectissime dicetur*. *Atque* e nullo libro enotatum reperi, sed habet optimus meus C, tum Burn. δ.: E. *et malitia*. Platonis locum quem supra apposui, interpretatur Cicero Offic. I, 19, 63: ibid. II, 3, 10, *malitiam sapientiam iudicant*. *Malitiae* nomine interpretatur Graecum *κακίας*, sicut

Fin. III, 11, 39: quam interpretationem alio loco corrigit, Tusc. IV, 15, 34. — Mox, pro *quaecumque*, ed. Rom. *quicumque:* facile tulissem *quodcumque*, ut saepe in tali demonstratione hoc sing. utitur.

nullam virtutem nisi malitiam putent) i. e. non virtutem agnoscant, sed malitiam. Forma orationis ad oxymorum referenda, in quo genere explicui illud in Sext. 53, 114, *nec quidquam — nisi repulsam tulit*, Schol. Hypomn. I, p. 114. sq.: quamquam non ignoro multis locis Viros doctos *nisi* ita accipere, ut sit pro *sed*.

si nemo alterius causa benigne facit) Non negligendum, in nonnullis libris esse *bene*, pro *benigne*, idque vel ante, vel post *causa* poni. Suspicari quis posset interpolatum esse adverbium; et *beneficum* esse qui *alterius causa facit*, quod tam dici, quam *alicuius causa velle*, ut in utraque locutione *bene faciendi* notio insit. Verum tamen, quum desint exempla, tenendum potius videtur *benigne facere* idem esse quod *gratificari*, *χαρίζεσθαι·* sicut Planc. 19, 47, *gratiosum esse Plancium, quod multis benigne fecerit*, quibus subiicitur *noli maleficium putare esse gratiam:* et sic *benigne facere* Terentius Adelph. V, 4, 24.

si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam) Ordinem certe hunc verborum constanter servant optimi mei: in aliis transpositio facta est, propter similitudinem extremi in utraque particula sententiae vocabuli (*grati* et *gratiam*.) Sed quum longe maior pars Codd. servet *ipsi*, solus ex meis Ambr. *γ* habet *ipsum*, quod praestat, si quidem nunc non *grati* demonstrandi erant, sed alter qui cernendus sit. Et aliis etiam modis disiecta olim fuisse verba, indicat Ambr. *α*, sic habens, *si non eum ipsum cui nunc referunt —:* nam illud *nunc*, quod ipsum nihili est, ortum puto ex *eum:* et h. l. instaurandus mihi videtur verus ordo, *ipsum eum*, sicuti mox *ipse amicus* non *amicus ipse*. De duplici ordine similium pronom. (*ille*

ipse et *ipse ille*) docte disputavit Madvigius Opusc. p. 131: qui tamen secus, ut mihi videtur, exemplorum multitudine dirimendum esse statuit, quo modo in singulis locis esset legendum. Nihilominus discrimen hoc esse poterit, ut *ille ipse* dicatur ad distinguendum, non *alium* esse; *ipse ille*, dicatur pro *per se*, *sua sponte*, in oppositione. Sic ad Div. VI, 4, 4, *quum plus in metuendo mali sit, quam in ipso illo, quod timetur:* alii perperam, *in illo ipso:* opponitur ipsum quod timetur, per se, *timori*. Hinc fortasse ad Div. VII, 28, 3, *nec vero nunc quidem culpa in eo* (*Caesare*) *est, in cuius potestate omnia sunt — nisi forte id ipsum esse non debuit*, legendum *ipsum id:* significatur enim nimiam illam Caesaris potentiam ipsam per se, etiam non habita ratione incommodorum quae inde oriantur, esse reprehendendam. Recte Tusc. II, 3, 7, *quia profitentur ipsi illi, qui eos* (*libros*) *scribunt:* opponitur quod *ipsi*, sua sponte, profitentur, iudicio aliorum de libris illis: nec satis erat Orellium annotare hunc ordinem vere Ciceronianum esse. Recte quoque supra Cap. 10, 28, *sunt haec maiora, quam ipsa illa, quae aliorum causa fortasse complecteris:* ut fortasse in simili loco corrigendum sit, ad Div. III, 13, 1, ubi nunc sine varietate legitur, *haec mihi ampliora multo sunt, quam illa ipsa, propter quae haec laborantur.* Sic, ut unum alterumque locum attingam de iis quos Madvigius indicavit, Milon. 19, 50, *ipse ille locus*, non est indicatio; locum illum per se, exclusa etiam reliqua omni suspicione, facinoris culpam sustinere potuisse. Neque hoc negligendum est, peculiarem esse causam eorum locorum, in quibus *ille*, secundum locum tenens, arctissime cohaeret cum proximo substantivo, neque *ipse*, quod praeponatur, in unam indicandi notionem coalescere cum *ille*. Hoc igitur cernitur Sext. 30, 66, (in quibus distrahi non poterant *illi populari sacerdoti*) et 54, 116, (*ille maxime ludius*), utrumque cum contumelia dictum.

qui etiam deserendus —) Satis nunc cognitum est refutationem saepe a relativo initium facere: igitur recte reiecta est Davisii correctio *quin etiam* —.

aequalitas et iustitia per se expetenda) Quod in deterioribus Codd. additur *sunt*, per errorem factum ex *st:* et ipsum *est* habet Lagom. 96, quo modo necessario legendum esse vere vidit Madvigius Opusc. p. 184.

CAPUT XIX.

§ 50. *quid vero de modestia* —) Recte non obtemperavit Moserus Goerenzio, *vero* delenti: retinent particulam omnes mei. *Vero*, in continuanda enumeratione partium (ut h. l. virtutum) recte ponitur. Ita II, 7, 16, *quem vero* —: et recte hoc agnovit Beierus ad Offic. I, 14, 44. — Quod ad argumentum attinet, similis transitus a iustitia ad modestiam est Fin. II, 19, 60. Synonymiam illam (*modestia, temperantia* cet.) animadvertit Goerenzius ad Fin. II, 22, 73. Sed minus recte Beierus in Offic. I, 27, 93, ita verba exprimi curavit, quasi *ornatus vitae* excluderetur ex illa synonymia: interpretari autem mihi voluisse videtur Cicero Graecum κοσμιότης. — Mox *pudorem pudicitiamque* de more coniungit, sicut Verr. III, 3, 6. Cluent. 5, 12. Sext. 34, 73. Deiot. 10, 28: conf. Cortius ad Salust. Catil. XII, 2: de *pudicitia* vid. Duker. ad Flor. IV, 11, 9.

infamiaene metu non esse petulantes — iudiciorum) Constructio pendens ex verbo *dicam*: dicamne modestiam esse infamiae metu, an legum et iudiciorum, non esse petulantes? — *Non* in tribus meis corruptum in *nos*, ut saepe. — Sed apparet non eumdem esse *pudorem*, et *infamiae metum*, qui in eodem genere ponitur cum *metu legum et iudiciorum:* sicut *famae metum*, et *poenae*, coniungit Planc. 29, 71: *famae pudorem*, et *supplicii timorem*, Prov. Cons. 6, 14. Laudare tamen hunc metum

videtur Plato Legg. I. p. 647. fin. sq.: atque haec eadem vulgo obtinebat opinio. Tacitus Annal. IV, 38, *contemtu famae, contemni virtutes:* cf. ibid. II, 85: et ipse Cicero coniungit *famam bonorum*, et *pudorem*, ad Div. VI, 6, 6. — Gellius N. A. XII, 11, quam a Cicerone poterat, a Peregrino philosopho sumere maluit sententiam. — Mox pro *ergo* Ven. perperam *vero:* consectarium ducit manifesto absurdum e praecedd. Similem conclusionem ponit, sed extra interrogandi formam, Fin. II, 24, 78: rursus ibid. 33, 110, *ergo* interrogationem orditur.

erubescunt — de pudicitia) Ne hunc quidem locum sine animadversione dimisit Madvigius Programm. laud. p. 13, sq.; cuius ratio huc redit, primum sequendam esse nonnullorum librorum auctoritatem, qui, sublata in praecedd. interrogandi forma, distinguunt, — *rumorem bonum colligant, erubescunt. Pudet iam loqui de pudicitia.* »Nam, inquit, nec tenellus hic pudor de »pudicitia loquendi Romani est ingenii, nec, quod caput »est, ullo modo eius rei commemoratio ad hunc locum »pertinet, ubi quaeritur, praemii spe et poenae metu »modesti homines et verecundi sint, an ipsius virtutis »causa, nec cum iis, quae proxime antecedunt, coniun»gitur, ubi ficta boni rumoris causa modestia significata »est." Tum, ut ostendat *erubescunt* recte isto modo ad praecedentia referri, » aptissime, inquit, ipse rubor inge»nuus in ista ratione captatio famae fieri dicitur." Horum, pace viri praestantissimi dicam, mihi nihil probari potest. Quod postremum illud attinet, quo modo pudor ingenuus, i. e. pudicus, in quoquam arte quaesitus et fictus, et ad famae captationem adhiberi dici potest? Ne tum quidem non ingenuus et verus est pudor, quum in ipso malefacto cui suboritur: qualem intelligit Orat. I, 26, 120, de oratore inepto: *non enim pudendo, sed non faciendo id quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus.* De ipsius loci lectione tantum inter nos convenit, *pudici*.

pro *pudet*, (quod mei quoque optimi libri servant,) reiiciendum esse: ortum est ab iis, qui ignorabant subiectum de more intelligendum esse: atque hac semel corruptione illata, alii aliis ineptius locum integrum reformarunt. Sed *iam*, pro *etiam*, non nisi duo recentissimi libri habent Lagom. 10. 39. Nunc videamus accusationes. Tenellus, ut ait M., pudor ille, nunc non quaerendum utrum ingenii Romani sit, sed an omnino verus et a natura profectus, tum etiam an ea commemoratio huic disputationi apta sit. Nisi forte contra Romanum ingenium depinxit Cicero Cluentii sororem, quae, quum nefarium matris pellicatum ferre non posset, de eo tamen *ne queri quidem sine scelere se posse arbitrabatur:* Cluent. 5, 13. Sic igitur innocentes *pudet etiam loqui de pudicitia.* Tum, nihil magis pertinet ad hunc locum quam ea commemoratio, si quidem ita ad praecedentem interrogationem respondetur, ut dicat, non propter emolumenta, quae inde oriuntur (bonam famam), innocentes sunt, sed, contra, ipso pudore, quem rubor ostendit ubi vel audiunt impudica, revocantur ab impudicitia, i. e. natura innocentes sunt: *pudet etiam loqui d. p.*, multo magis igitur pudore ab ipsa impudicitia arcentur. Simplicem hanc interpretationem, per quam nec sententiae, nec disputationi, nec verbis vis fit, probatum iri confido prae Madvigii ratione, qui ista, *pudet iam* — de se ipso dicere Ciceronem fingit, quasi puderet eum loqui de ea pudicitia, quae dissimulatio esset impudicitiae. Neque attendisse videtur, quamquam ipse quoque in proximis servans *ac pudet me*, nullam esse huius pronom. (*me*) causam, nisi prius *pudet* ad innocentes referatur.

ac me istorum — mutatum putant) *Me istorum*, quod unice verum est, quo modo corrumpi potuerit, e varietate lectionis intelligitur. Quinam *philosophi* intelligantur (Madvigius non recte Epicureos putat), dicam, si prius de sequentibus verbis quaesivero. Quam lectionem ex

Cod. Havn. enotavit Madvigius, eam de praestantissimis meis describi curavi: *nullum* habent alii: *vitium*, pro *iudicium*, nullus, praeter Ambr. α, et Lagom. 10, *e vitium:* pro *vitio*, libri exiguae auctoritatis habent *iudicio: ipso* omittitur in Lagom. 10. et Paris. *s*: participii *mutatum* eae sunt varietates, quae aliunde cognitae sunt: unus tamen D *ipsarum multarum* habet: *putant* omnes, excepto Lagom. 10, *putent*. Madvigii coniectura (*qui ullum iudicium pertinacius vitio ipso vitandum putant*) praebet sane eam sententiam, quae intelligi possit: sed praeterquam quod *pertinacius vitare* Latinum non est, certe huic sententiae non convenit, non erit haec sententia Epicureorum, qui virtutes, quamquam suo more, tamen propter ipsas, certe non iudiciorum metu, colebant. Videntur autem mihi haec arctissime cohaerere cum illius pudoris mentione, ex quo ne loqui quidem impudica dicebantur innocentes. Quare sic puto Ciceronem reliquisse, restituto eo substantivo, quod propter crebrum alterius usum in hac disputatione obliterari potuit: — *qui nullum flagitium in verbis, nisi vitium ipsum vitandum putant.* Sic adversatur Stoicorum et Cynicorum εὐθυῤῥημοσύνῃ, de qua vid. Offic. I, 35, 127, sq. ad Div. IX, 22. Malui autem verbum *vitare*, ortum fortasse e proximo participio, mutare, quam, ut alii suadebant, delere.

§ 51. *possumus eos qui stupro arcentur — consequatur*) Habent sane non spernendae auctoritatis libri *qui a stupro:* quod tamen non video, quare, ut Moserus ait, apud Ciceronem praeferendum sit. Supra Cap. 14, 40, praepositionem postulabat perspicuitas: at omittitur Philipp. II, 40, 104. — Tum, quod *ipsa infamia propter rei turpitudinem consequi* dicitur, non intellexisse videtur is, cui debetur lectio in marg. Gothofr. et Lamb., (in qua omittitur *propter*,) recte sic dici, sicut Fin. I, 14, 48, *ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas dolores consequantur:* scribere potuerat, *nulli eas*. Et quo sensu

consequi in his sententiis dicatur, exponit Madvigius ad Fin. I, 10, 32. p. 70. add. Verr. V, 68, 176, *de nobis — iudicium consequatur.* — *Ipsa infamia*, i. e. infamia per se, sua sponte, etiam sine sententiis iudicum, aut hominum sermone: igitur corrigit quodammodo sermonis communis usum, qui non nisi hanc *infamiam* agnoscebat. — *Turpitudinem* (pro quo in aliis est *formidinem*, in optimis adeo *fortitudinem*,) satis tuetur tum ipsa sententia loci, tum Fin. II, 19, 60. III, 11, 38. Idem vocabulum in Cod. Palimps. De Rep. corruptum erat in *turpidinem*, de quo Heinrichius p. 160. sq.

nam quid aut laudari rite — putes) Nihil verius est hac recepta lectione: et faciles sunt aberrationes, quibus optimi etiam libri contaminantur. Non recte Lagom. 120, omisso *natura*, habet *si ab eo recesseris:* opponenda enim erat *natura* cuiusque rei iis quae inde consequuntur. — Goerenzius, *recedere a re*, inquit, est *rem non respicere:* imo, *si recesseris* tantum est, quantum *nisi*, *excepto*.

quid immanius libidine) Nullus meorum habet *infamius*, cuius patrocinium Davisius et Ernestus susceperant: sed *inanius*, levi vitio, (quale est Fin. IV, 9, 23) Lagom. 10. Sed tam perversa defensio verae lectionis, quam ipsa prava lectio castiganda. Igitur perperam Wagnerus hoc agere Ciceronem putat, ut infamiam ex naturae turpitudine ortam confirmet. Imo, ipsorum vitiorum eam esse turpitudinem, ut in iis offendant homines, nec praeterea quidquam requirant, cuius ea nomine vituperent. Sed, ut *foedum*, sic *immane* quod est, sensibus subiici potest: et *immanitas* in tyranno (cuius propria est libido) dicitur Republ. II, 26, 48. *Foedum* certe ita dici docet Cortius ad Salust. Catilin. XV, 5: conf. Tacitus Histor. I, 7, et Gronovius ad II, 30. Tum Cicero fragm. pro Scauro § 14. fin. *videtis libidines immanes.* Igitur *immanitas perspici* potest, *infamia* non potest.

quid ergo? eos — miseros esse dicimus) Non puto *eos* abesse posse, quod in Cod. M. apud Moserum erasum est. *Esse* complures de meis quoque omittunt: sed vid. supra ad Cap. 17, 47, init.

quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest) Omnibus quamvis libris repugnantibus suspicor h. l. corrigendum esse, *quod idem*: (nihil attinet monere quam saepe ista confusa sint.) *Item* in enumeratione, aut in mera adiectione dicitur: *idem* in nova sententia. Offic. I, 30, 109, postquam in enumeratione, quam una sententiae continuatione complectitur, (melius enim Heusingeri locum distinxerant, quam postea factum a Beiero et ab Orellio) *item* posuisset, sic novam orditur sententiam; *audivi — hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica.* Orat. II, 61, 248, *quod idem in bono servo dici solet.* Brut. 31, 118, *quam hoc idem in nostris contingere intelligo!* — *Ad contrariam laudem*, aptissime dicitur, pro *ad laudem, quae contraria est vituperio.* Lagom. 11 levi vitio *ad contrarium:* Ambr. γ. et Ed. Ven. *a contrario*, cuius nullum novi exemplum: nullus habet *e contrario*, quod Davisius malebat. Sed quae exempla excitari solent huius postremae locutionis (Fin. V, 12, 36. Rosc. Com. 16, 47. Invent. II, 8, 25. Orat. II, 43, 182,) eorum nullum in eadem sententiae forma versatur, in qua hic locus: si quidem, *si idem ex contrario in virtute diceretur*, dicendum esset, virtutes non esse laudandas propter ipsarum vim. Igitur *e contrario* perperam quidem Moserus non esse Ciceronianum dixit, sed huic loco non convenit. *Contrario* defenderat Cellarius Cur. Post. p. 51. ed. Heusing. — Pro *in virtute*, pauci de meis habent *in virtutem*, quod probabant Heusingerus patruus, et Beierus ad Offic. I, 9, 28. Nunc quidem perpaucos esse puto, qui dubitent alterum verum esse: sed ita tuendus est Ablativus, ut *in aliquo* accipiatur pro, quum agitur de aliquo. Orat. II, 55, 222, *ut in Scaevola continuit ea* (*dicta*)

consequi in his sententiis dicatur, exponit Madvigius ad Fin. I, 10, 32. p. 70. add. Verr. V, 68, 176, *de nobis — iudicium consequatur.* — *Ipsa infamia*, i. e. infamia per se, sua sponte, etiam sine sententiis iudicum, aut hominum sermone: igitur corrigit quodammodo sermonis communis usum, qui non nisi hanc *infamiam* agnoscebat. — *Turpitudinem* (pro quo in aliis est *formidinem*, in optimis adeo *fortitudinem*,) satis tuetur tum ipsa sententia loci, tum Fin. II, 19, 60. III, 11, 38. Idem vocabulum in Cod. Palimps. De Rep. corruptum erat in *turpidinem*, de quo Heinrichius p. 160. sq.

nam quid aut laudari rite — putes) Nihil verius est hac recepta lectione: et faciles sunt aberrationes, quibus optimi etiam libri contaminantur. Non recte Lagom. 120, omisso *natura*, habet *si ab eo recesseris:* opponenda enim erat *natura* cuiusque rei iis quae inde consequuntur. — Goerenzius, *recedere a re*, inquit, est *rem non respicere:* imo, *si recesseris* tantum est, quantum *nisi*, *excepto.*

quid immanius libidine) Nullus meorum habet *infamius*, cuius patrocinium Davisius et Ernestus susceperant: sed *inanius*, levi vitio, (quale est Fin. IV, 9, 23) Lagom. 10. Sed tam perversa defensio verae lectionis, quam ipsa prava lectio castiganda. Igitur perperam Wagnerus hoc agere Ciceronem putat, ut infamiam ex naturae turpitudine ortam confirmet. Imo, ipsorum vitiorum eam esse turpitudinem, ut in iis offendant homines, nec praeterea quidquam requirant, cuius ea nomine vituperent. Sed, ut *foedum*, sic *immane* quod est, sensibus subiici potest: et *immanitas* in tyranno (cuius propria est libido) dicitur Republ. II, 26, 48. *Foedum* certe ita dici docet Cortius ad Salust. Catilin. XV, 5: conf. Tacitus Histor. I, 7, et Gronovius ad II, 30. Tum Cicero fragm. pro Scauro § 14. fin. *videtis libidines immanes.* Igitur *immanitas perspici* potest, *infamia* non potest.

quid ergo? eos — miseros esse dicimus) Non puto *eos* abesse posse, quod in Cod. M. apud Moserum erasum est. *Esse* complures de meis quoque omittunt: sed vid. supra ad Cap. 17, 47, init.

quod item ad contrariam laudem in virtute dici potest) Omnibus quamvis libris repugnantibus suspicor h. l. corrigendum esse, *quod idem:* (nihil attinet monere quam saepe ista confusa sint.) *Item* in enumeratione, aut in mera adiectione dicitur: *idem* in nova sententia. Offic. I, 30, 109, postquam in enumeratione, quam una sententiae continuatione complectitur, (melius enim Heusingeri locum distinxerant, quam postea factum a Beiero et ab Orellio) *item* posuisset, sic novam orditur sententiam; *audivi — hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica.* Orat. II, 61, 248, *quod idem in bono servo dici solet.* Brut. 31, 118, *quam hoc idem in nostris contingere intelligo!* — *Ad contrariam laudem*, aptissime dicitur, pro *ad laudem, quae contraria est vituperio.* Lagom. 11 levi vitio *ad contrarium:* Ambr. γ. et Ed. Ven. *a contrario*, cuius nullum novi exemplum: nullus habet *e contrario*, quod Davisius malebat. Sed quae exempla excitari solent huius postremae locutionis (Fin. V, 12, 36. Rosc. Com. 16, 47. Invent. II, 8, 25. Orat. II, 43, 182,) eorum nullum in eadem sententiae forma versatur, in qua hic locus: si quidem, *si idem ex contrario in virtute diceretur*, dicendum esset, virtutes non esse laudandas propter ipsarum vim. Igitur *e contrario* perperam quidem Moserus non esse Ciceronianum dixit, sed huic loco non convenit. *Contrario* defenderat Cellarius Cur. Post. p. 51. ed. Heusing. — Pro *in virtute*, pauci de meis habent *in virtutem*, quod probabant Heusingerus patruus, et Beierus ad Offic. I, 9, 28. Nunc quidem perpaucos esse puto, qui dubitent alterum verum esse: sed ita tuendus est Ablativus, ut *in aliquo* accipiatur pro, quum agitur de aliquo. Orat. II, 55, 222, *ut in Scaevola continuit ea* (*dicta*)

Crassus (al. *Scaevolam*): *in Scaevola*, absolute positum, est, quum adversarium in iudicio haberet Scaevolam, neque ullo modo intelligi debent *dicta in Scaevolam*. Milon. 12, 32, *itaque illud Cassianum — in his personis valeat*, i. e. quum quaeritur uter utri (Milo an Clodius) insidias fecerit: Planc. 20, 49, fin. *cuius in honore*, i. e. quum populus eum aedilem creabat: ad Div. VI, 6, 10, *at in eius* (Pompeii) *persona multa fecit asperius*, ut recte edidit Orellius; alii *personam*. Ex aliis scriptoribus satis exemplorum praestant Ruhnkenius ad Vell. Pat. I, 12, 7. II, 31, 3. et 43, 3. Cortius ad Salust. Catilin. XI, 4, LI, 6. LII, 12. Beierus ad Offic. I, 39, 139: nec tamen hic ad III, 14, 60, deserere debuerat Heusingeros, verba *in quibus ipsis* verissime interpretantes *formulis proferendis*, i. e. quum illas formulas proferebant. Atque hinc factum est, ut nonnumquam explicandi causa participium interpolatum sit, quod uno alteroque exemplo ostendi in Sextiana, Schol. Hypomn. I. p. 126.

§ 52. *nam si propter alias res —*) *Nam* firmatur meorum librorum auctoritate; quamquam ex iis quorum ratio habenda est, C E habent *postremo;* quod quum Moserus servaret, *nam*, inquit, non bene continuaret orationem. Sed continuatur demonstratio de virtute, cuius argumentum modo enunciatum erat: et sic *nam* ponitur supra Cap. 16, 45. 19, 51. Praeterea *postremo* esset eius, qui certis finibus orationem circumscripsisset: contra hic, ut mox subiicit, alia ex aliis nectuntur.

melius esse aliquid) Ambr. *β. aliud.* Et quod multi viri docti docere solent, *aliquid* poni pro *aliud quid*, (Ruhnkenius ad Vell. Pat. I, 17, 7. Heusingerus ad Offic. II, 21, 11. Garatonius ad Sext. 64, 135) post Madvigii admonitionem deserendum est: et certe Goerenzius fallitur, in Fin. II, 19, 62, *tres aliqui* isto modo intelligens, quum sit Graecum τρεῖς τινες.

pecuniamne igitur?) Hunc accusativum ex attractione recte explicuit Madvigius ad Fin. II, 27, 88. p. 295: postulabatur enim *pecuniane igitur* melior est?

quum adsunt, perparva sunt) Haec si sana sunt, consequitur eadem quum absint, maiora esse: quod vix ferendum. Et tamen requiritur id, quod ad minuendam eorum bonorum dignitatem pertineat. Quare levi mutatione legi poterit *perparvi fiunt*, ut dicat, qui habeant, non multum curare; tum esse instabilia. Contra Epicureus *praesentibus ita potitur, ut animadvertat quanta sint ea quamque iucunda*, Fin. I, 19, 62. Diversum est quod dicit ibid. II, 28. init. *ista parva sunt.*

videtisne) Vetus mendum fuisse videtur, quod mei quoque libri habent, *videturne*, ortum ex terminatione praeced. verbi: tum in nonnullis ante hoc interpolatum *sed.*

atque ut ex alio alia nectantur) Unus meorum, B, habet *ex aliis*, sed correctum ex *ex alio:* ut satis constans sit huius lectionis auctoritas. Eam tamen condemnat Goerenzius (cui Moserus obtemperavit) duplici nomine, tum quod subiectum praeponi soleat (*alius ex alio*), tum quod numerus idem esse: et sic Beierus ad Offic. I, 7, 22, qui tamen ad I, 32, 115. p. 248 (*ipsarumque virtutum in alia alius mavult excellere*) restringi agnovit illam regulam de subiecto praeponendo.

quin labebar longius, nisi me retinuissem) In huiusmodi temporum modorumque coniunctione (*labebar — retinuissem*) solebant antea enallagen agnoscere viri docti (pro *lapsus essem*); de quo genere Heusingerus ad Offic. II, 1, 5, et Conr. Heus. in Praefat. p. LVI. sq. Garatonius ad Milon. 17, 45, ad Sext. 67. p. 274. a. Et Beierus quidem perperam huc referebat locum Offic. II, 19, 67, *admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae — deplorarem, ni vererer —;* quasi esset pro *admoneret:* sed *nisi vererer* sententia cohaeret

cum *deplorarem*, in quo primaria sententia est; quo minus res eum admoneret, cavere nullo modo poterat. Nunc credo rectius sentiri, Imperfecto Indicativi peculiarem contineri enunciandi modum, ita ut quasi praesentius et vividius proponatur id, quod exspectandum erat. In Graecis idem servatur omissa partic. ἄν, eamque rationem acute demonstravit Hermannus Opusc. Vol. IV. p. 70. sqq. conf. Stallbaumius ad Platon. Symp. p. 198, C. — *Labor longius* scripsit quoque ad Div. IX, 10, 3. — Ceterum elegans huius cautionis, ne praecipuum sermonis consilium obruatur, est exemplum in Platone Theaet. p. 177, B: *περὶ μὲν οὖν τούτων, ἐπειδὴ καὶ πάρεργα τυγχάνει λεγόμενα, ἀποστῶμεν· εἰ δὲ μὴ, πλείω ἀεὶ ἐπιῤῥέοντα καταχώσει ἡμῶν τὸν ἐξ ἀρχῆς λόγον· ἐπὶ δὲ τὰ ἔμπροσθεν ἴωμεν, εἰ καὶ σοὶ δοκεῖ. ΘΕΟ. Ἐμοὶ μὲν τὰ τοιαῦτα, ὦ Σώκρατες, οὐκ ἀηδέστερα ἀκούειν· ῥᾴω γὰρ τηλικῷδε ὄντι ἐπακολουθεῖν· κ. τ. λ.* Conf. mox Cap. 22. init. Tusc. I, 33. fin. Brut. 13, 52.

CAPUT XX.

cum ista oratione tecum prolaberer) Sic optimi mei et Ox. ψ: *cum* facile corruptum est in *quod:* itaque *quod istam orationem* habent C E: hinc deteriores *ad istam orationem*. Sed quum nesciret Quintus quo laberetur Marcus, dicere non potuit *ad istam orationem;* neque si posset, *oratio* dici poterat de certa quadam quaestione. — Quod edidi, *prolaberer*, unus tantum de meis habet, Ambr. γ, in Goerenzii quatuor esse videtur, de Oxoniensibus nihil notatur: sed certe optimi *prolaber*, in uno tantum correctum *prolabor*. Scilicet corrigendum erat *prolabebar*, eo modo et sensu, quo M. dixerat *labebar longius*. Nihil aliud significat, nisi placere sibi hoc quod iam audiverat, sic ex alio alia necti. Ita infra Cap. 21, 56. fin. *ego huc declinabam nec invitus. Lon-*

gius prolabi ponit Caecin. 35, 101: sed quid *prolabi* sibi velit pro Quint. 24, 77, non perspicio. — Dicit igitur hoc: ego facile patiebar me sic te disputare audientem, trahi per illam sententiarum seriem: et ut hic *cum ista oratione*, sic infra illius praepos. vim declarabo in II, 11, 26. Tusc. I, 33, fin. *te de aeternitate dicentem aberrare a proposito facile patiebar.*

cuius causa sunt facienda omnia) Omisi gerundium auctoritate optimorum librorum, A. Lagom. 11. 65. Oxon. ψ, aliorum: et tamen *ascindi* ante *causa* habent alii minime spernendi, *apiscendi* Ambr. β. γ. i. e. recentissimi. Sed facile evincam eam esse, quamvis vetustam, interpolationem. Primum *apisci* pro *adipisci*, semel tantum ipse Cicero scripsit, Att. VIII, 14, 3, sine varietatis mentione: tum Sulpicius in nobili Epistola ad Div. IV, 5. fin. (*laudem apisci*, al. *adipisci.*) Maius est, sicut multis aliis locis recte ponitur *adipisci* (infra Cap. 22, 59 *adipisci sapientiam:* Fin. III, 6, 22, *adipisci principia naturae:* IV, 17, 46, *ad. summam bonorum:* ibid. 47, *summi boni adeptio*: V, 7, 20, *ad. quae secundum naturam sunt*), ita nusquam dici a Cicerone *finem adipisci*, neque in tanto elegantiae studio dici potuisse; si quidem neque *potiri fine bonorum*, nec *habere*, nec similia, recte cogitantur: neque reliqua, quae proferri possunt exempla, patiuntur ut *adipisci* interpretemur *pervenire ad*, aut *assequi*, quorum utrumvis apte in *fine bonorum* diceretur: Fin. V, 23, 68: *summum bonum assequi.*

aliquando iam iudicandam) Editores hucusque *aliquando tamen iudicandam*, sine ulla varietatis mentione: nec quicquam ex Oxonn. enotatur. Sed *tamen* unus tantum de melioribus meis habet C, tum recentissimus D, et Editt. R et V: reliqui conspirant in *iam* aut *tam*. Credo hec dicere velle Ciceronem, nunc ita concertationibus dissidentium illustratam et ad maturitatem perductam

esse controversiam, ut *iam* diiudicari possit, idque se aliquando facturum. Neque tamen vulgata lectio non commodum sensum praebet.

§ 53. *L. Gellio*) Turbaverunt in hoc homine viri docti. Ioculare certe illud est, quod in Ind. Histor. ex Ernesto repetiit Schutzius, hunc L. Gellium fortasse esse eum, quem ad Div. X, 17, 3. Cicero memorat ut praesentem: atqui scripta est illa epistola A. U. 711, hoc autem Legg. loco sermo est de mortuo. Rursus Goerenzius diversum esse putat L. Gellium, praetorem A. U. 667, (Pigh. Ann. T. III. p. 293), ab eo qui A. U. 681 Consul, et 683 Censor fuit. Nimirum totum illud, de praetura A. U. 667, finxit Pighius ex falsa huius loci interpretatione, quasi non in Graeciam provinciam venisset Gellius, sed per Graeciam iter fecisset in Achaiam provinciam; itaque hoc illorum temporum fuisse, quibus ipsa Graecia libera esset. Receperat sane illo anno Athenas Sulla a ducibus Mithridatis (quum Athenio tyrannus urbem teneret;) sed et ante inde a Mummio, et post Attica Achaiae provinciae et nomine et conditione continebatur. Meliora docuerat Pighius T. II. p. 457: conf. Heinsius ad Vell. Pat. I, 12, 1. Et *in Graeciam venire* de adventu in provinciam accipiendum est, sicut Acad. II, 1, 2, de Lucullo, *in Asiam venit*. Contra Orat. I, 18, 82, *quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem:* et sic aliis locis iter a provincia distinguere solet, ut ibid. 11, 45. Brut. init. ad Div. IV, 5, 4. Istius igitur anni praetorem omittamus. Sequitur Orellius, (nam Moserus nihil habuisse videtur in quo haereret) qui in Onomast. Tullian. p. 269. b, quem Cicero Brut. 27, 105, *familiarem nostrum* appellat, eumdem fuisse suspicatur atque L. Gellium, quem ibid. 47, 174, Crassi, Antonii et Philippi aetati coniunctum memorat oratorem. Fieri potest sane: Carbo mortem sibi conscivit A. U. 634, quem adolescens audire potuit Gellius, sicut Antonium

audierat Cicero. Sed mirum hoc, distingui ab illo Gellio Gellium Poplicolam, qui A. U. 681 Consul fuit cum Lentulo (in quem annum Verris praetura urbana incidit,) quique bis in Verrinis memoratur, I, 48, 125, (ubi *hominum* mutandum in *hominis*, i. e. Gellii tum Consulis) et II, 39, 95. Et hunc vixisse usque ad A. U. 698 apparet ex Pison. 3, 6, quae oratio illo anno dicta est in senatu. Igitur grandem aetatem adeptus est Gellius: sed quo anno Achaiam provinciam ex praetura obtinuerit, difficile est statuere.

quid tandem id ad rem?) Hoc optimi mei servant: et in quibus est *qui tandem*, manifesto *d* similis consonantis vicinia absorpta est. Igitur non quod non optime sonet *qui* post breve intervallum repetitum, (ut Mosero videbatur) sed quia soloecum est, repudiandum. Verr. III, 79, 183, *quid ea res ad hanc rem pertinet?* et sic semper; ut *nihil hoc ad rem*, non *nullo modo:* eiusdem generis sunt, quae Madvigius memorat ad Fin. p. 33. fin., eademque varietas Tusc. I, 6, 12.

quoniam Athenis audire ex Phaedro meo memini) Sumsimus *quoniam* ex Ambr. *β*. Paris. *ε*. Lagom. 10. 39: idque latet in *quam*, quod Oxon. *E* et mei optimi libri servant, postea perperam correctum in *qui*. Accedit, quod non tantum saepius *quoniam* corruptum esse constat, sed ne aptum quidem est *quia* h. l. Nam neque Fin. I, 10, 32, Cicero scripsisset, *voluptatem, quoniam voluptas sit, aspernatur:* neque h. l. *Gellii mors ad istam pertinet controversiam quia audivi ex Phaedro* cet. Quid intersit inter utrumque, considerandum in ipso ingressu primae ad Lentulum epistolae. — Eiusdem corruptelae (*quia*) corollarium est in deterioribus libris *me* additum, idque alienissimo loco. Ad Div. VI, 6, 2, *memini me ex multis hospitibus — audire:* et perpetuo, ubi pronomen additur, non divellitur ab ipsa locutione; id quod non latuit Ernestum. Sed *memini* ex illo genere verborum

est, in quorum adiecto Infinitivo saepe et recte omittitur pronom. reflexivum, quorum multa, post alios, exempla apposuit Madvigius Emendatt. p. 111. sqq. Vellem Orellius paruisset Cod. Med. in his, ad Div. VII, 10, 1, *subinvideo tibi, ultro te etiam arcessitum ab eo*; nam, omisso demum *te*, suum locum recuperat *etiam*.

pro consule ex praetura) Explicat Turnebus, *pro consule* mitti solitos eos, qui consulatu nondum functi essent; et sic Gellium, quippe in provinciam consularem. Sed constare puto Achaiam fuisse praetoriam provinciam. Pighius Annal. T. II. p. 471 affirmat sine discrimine et praetores, et propraetores et proconsules fuisse appellatos. Accuratius haec diiudicavit Ernestus Ind. Latin. V. *praetor* et *proconsul*. E Cicerone haec notentur exempla praetorum in proconsulari provincia: M. Brutus (Philipp. II, 13, 31. conf. Abramius ad 38, 97. et X, 11, 25:) C. Cassius, Q. Marcius Crispus, L. Statius Murcus (Philipp. XI, 12, 30:) M' Acilius Glabrio (ad Div. XIII, 30:) Q. Ancharius (ad Div. XIII, 40:) M. Antonius (conf. Fabrit. Vit. Cicer. ad A. U. 651:) C. Marcellus (Verr. III, 91, 212, ubi vid. Garatonius, cuius certissimam correctionem ibid. 54, 125, *praetores* pro *praetoribus*, et memorare et recipere debuerat Orellius:) Q. Cicero (Divin. I, 28, 58. ubi tamen legendum *pro consule*.) Igitur hoc conficere licet, ideo hanc appellationem cum praetoribus fuisse communicatam quod antiquitus rem publicam non nisi Consules gerere soliti essent: neque opus esse arbitror ut, Sigonium secuti ad Liv. XXVIII, 38, 4, ista exempla cuncta ad extraordinarias potestates referamus: neque assentior Dukero corrigenti Livium XXXV, 22, 6: cuius ne eae quidem rationes, quas exponit ad XXXVII, 46, 7, satis mihi persuadent, (conf. ad XXXIX, 29, 4,) ipsaque Livii in illis appellationibus usurpandis inconstantia monere poterat promiscue ista poni. Post Ciceronem qui scripserunt historici, fieri potest ut subinde erraverint:

sed videndus Ruhnkenius ad Vell. Pat. II, 15, 2, qui Iuniam quoque (sine dubio Asiae praetorem) proconsulem appellat II, 42, 3: tum Ernestus ad Tacit. Annal. I, 74: Dukerus ad Flor. II, 14, 5. 16, 3. 20, 5: Ruhnk. Sueton. Caesar. 54, et de temporibus post sublatam libertatem, Salmasius ad Hist. Aug. Scriptt. T. I. p. 34. sqq.

venisset, Athenis — convocasse) Accidit in hoc loco, ut una contracta labes plura pareret necessario vitia. Nam quum semel *convocasse* per errorem abiisset in *convocasset* (quod vel praestantissimus A habet), necesse fuit copulam inserere post *venisset* (*et Athenis*, ut Lagom. 39, et is liber habuisse videtur, unde C et γ fluxerunt.) Igitur vera correctio est, quam D habet, et proxime a vero abest E, *venisse et Athenis*. Ceterum non attinet huius facillimae corruptionis exempla excitare, quum vel in proxime subiectis, pro *fuisse*, nonnulli libri vel *fuisset*, vel *fuissem* habeant: et aliud corrupti Infinitivi exemplum videbimus infra II, 16, 41.

magnopere) Minus recte discessi ab Orelliano *magno opere*, quod A C E habent, et Cod. M. Moseri, verumque videtur, si probandae sunt rationes Stuerenbergii ad Arch. ed. sec. p. 113. sqq. Idem Madvigius secutum puto in Fin. IV, 28, 79.

posse rem convenire — aliquid convenire) Non sine causa in his offenderunt viri docti. Nam etiamsi *si posset* ita accipias, ut sit pro *ut posset*, quod recte praecipit Madvigius Emendatt. p. 54 (i. e. ut spes et propositum significetur), non tamen hoc uno, ut ille putabat, turbae in hoc loco sedantur. Quid enim hoc est, primum ut affirmetur *posse rem convenire*, tum ut operam polliceatur, *si posset convenire?* Ingeniose sane Wyttenbachius, quo uno defendi possit, hoc excogitavit » rem posse componi, si modo philosophi id pate» rentur:" nisi quod *rem convenire* quum dicitur, nihil aliud intelligitur, nisi convenire de re inter litigantes, sicut Philipp. I, 3, 8, *rem conventuram*, nempe inter

senatum et Antonium: pro Quint. 5, 21, *res convenire nullo modo poterat:* Livius XXIV, 27, 6, *Marcellus posse rem convenire ratus:* aliaque exempla apud Cortium et Kritzium ad Salust. Iugurth. LXXXIII, 2: Tacitus Hist. I, 27, *significatio convenerat:* alioque modo Livius I, 11, 2, *rem coalescere concordia posse:* atque sic locutionem h. l. explicandam esse, vel ipsa, quae praecedunt verba, cogunt. Omittunt nonnulla Codices: veluti Lagom. 10, *posse rem — et simul,* (quae tamen mera negligentia esse videtur,) tum 124, 126, eadem verba, quae Manutius expungebat, *si posset — convenire:* sed illae editiones sunt, non scripti libri. Nihilominus nihil mutandum esse sentio, sed culpam tribuendam esse Gellii stoliditati: nam ipsum illud, *aliquid inter eos convenire,* ridiculum erat, quasi incertum esset qua de re ageretur: sed edidi ex optimis, *aliquod,* quod corruptum puto ex *aliquando.* — Quae modo a Madvigio mutuabar, de *si posset,* ea pertinebunt ad corrigendum Moserum et Creuzerum, qui ad Divin. II, 10, 26, perperam alium locum ibid. 34, 72, (*si videbitur: si pascuntur*) ad eamdem rationem vocarunt. — Quod in Gellio *ioculare* notatur, placuit fortasse Tiberio, de quo Suetonius Cap. 11, haud dissimilia narrat.

inter antiquam Academiam) Intelligi Peripateticos quoque, tum e § 55 intelligitur, tum ex Fin. V, 3, 7: ad quem locum in Goerenzii annotatione miror patrocinium susceptum esse putidi glossematis in Brut. 31, 120.

unane est solum dissensio?) Quod in multis legitur, non optimis, *una de re est s. d.,* ex interpolatione ortum, ut videre licet in B. Wyttenbachio facete scilicet dictum videbatur, *una de re, quae ad rem pertineat:* mihi contra. Reliquae corruptiones, per quas pro *ain' tandem,* legitur *an tantamne,* aut *an intersit,* facillime agnoscuntur. Ceterum *una dissensio,* rectissime dicitur, pro *dissensio de una re:* quapropter glossema eiiciendum est ex Philipp.

VIII, 5, 17, *parva est enim mihi tecum* [*aut parva de re*] *dissensio?*

§ 54. *quae quidem ad rem pertineat*) De hoc usu Coniunctivi post *qui quidem* quum praecepisset Madvigius Opusc. p. 504, hunc quoque locum citans, attigi eadem Schol. Hypomn. I. p. 134. Extra controversiam Coniunctivus restituendus est duobus locis, de Oratore II, 25, 105, *quae quidem sint criminum;* editur *sunt:* et ibid. 71, 291, *de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuerit;* editur *fuit.* Nat. D. I, 7, 16, *Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem quae in honore sunt, vacaret locus:* ubi servandus Indicativus.

quippe quum antiqui omnes, quod secundum naturam esset —) Nusquam, opinor, in tali disputatione, *omnes antiquos* appellat, sed simpliciter *antiquos* Zenoni opponit, sicuti mox § 55: conf. Fin. IV, 4, 8 (*antiqui*), ibid. 6, 14 (*superiores*). Scilicet et ea de causa, et quo emineat oppositio, (*nisi quod honestum esset*) corrigendum videtur, *quum antiqui, omne quod* —. Comprobatur hoc similibus locis: Fin. III, 11, 36 (*omne quod honestum sit, id esse per se expetendum:*) ibid. I, 11, 37 (*omne id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne, quo offendimur, dolor.*)

nisi quod honestum esset, putarit bonorum) Edidi, quod habent omnes mei, quorum quidem ratio habenda sit: alii *nihil* ante *putarit* inseruerunt, exceptis Turnebo et Victorio. Controversiam, utrum negatione adiecta carere possit *nisi*, ut alios omittam, tractavit Kritzius quoque ad Salust. Iugurth. LIV, 5, affirmans abesse non posse negationem. Nolim discedere a magnorum virorum iudicio, tum quod tritissimum est ut librariorum incuria negandi vocabula omittantur, tum quod *nihil bonum* ex Ciceronis consuetudine est in eiusmodi definitione, velut Fin. III, 4, 13. sq. Sed nondum mihi persuasum est in nulla [illegible] structura sententiae, in qua *nisi* sit, omitti negationem posse.

parvam vero controversiam) Non solet amplificari adiectivum in hac ironiae forma; itaque servavi quod habent mei omnes, *parvam:* alii ediderunt *perparvam*, ut Ven. — Quae sequuntur, *non eam*, primum, ut in C, corrupta sunt in *nos eam*, inde facilis lapsus fuit in *noscam*, quod ut constaret, *fac* ortum est ex *ac*, sicut in E: tum ex *fac*, ortum *sat*, in Cod. H. apud Moserum. — Goerenzii causa monendum, plane ironiam indicari partic. *vero:* et in eodem genere dici apud Platonem Rep. I, p. 339, B, σμικρά γε ἴσως προσθήκη. Tum *ac non* dicitur ut *nec potius*, sicut mox *si re ac non verbis*, et pro Sext. 19, 44. Sed satis ista trita sunt.

sentis — dissiderent) Ernestus, ut tempora consentirent, aut *sentires*, aut *dissident* legendum esse putabat. Goerenzius, ut defenderet vulgatam, prorsus novo invento gloriatur, »in his praess. ubique praeteriti notionem »latere." Ne Moseri quidem ratio satisfacit, *sentis* dictum esse pro, probe quidem ego te sentire dicerem. Sed nudus Indicativus saepe ita ponitur subiectus conditioni incertae (si — dissiderent), plane ut apud Gaecos Indicativus sine part. ἄν: unde non opus est corrigere *sentires*. Atque hac vera interpretatione assumta, non video quid impediat, quo minus recte subiiciatur *si — dissiderent*. *Dissident*, in hac, quae postulatur, sententia soloecum est: neque *dissideant* scribi poterat, quasi nunc etiam exspectandum esset utrum dissensuri essent. Unum *si — dissiderent* indicare potest Ciceroni videri non dissidere eos. Nihil huc pertinent ea quae, Mosero indicante, disputant Viri docti ad I Nat. D. 22, 61, neque quae ipse expromsi Bibl. Crit. N. III. p. 213.

CAPUT XXI.

Antiocho assentiris) Huius enim hoc iudicium erat, Stoicos verbis tantum, non re distare ab antiquis: conf.

Madvigius ad Fin. III, 2, 5. IV, 2. fin. add. Nat. D. I, 7, 16. — Antiochum suum quoque familiarem appellat Cicero mox, et Acad. I, 4, 13: eumdemque secum habuerat Lucullus, Acad. II, 2, 4. 4, 11.

ex nostris — hortulis) Eosdem *hortos* appellat Atticus Fin. V, 1, 3: et ibid. § 2, Platonis *hortuli* commemorantur. — Mox *perpauculis passibus* bene explicatur a Wyttenbachio: est enim, si perpauculi passus accessissent. Sic Verr. I, 30, 75, *condemnari paucis sententiis*. Videtur convenire cum Graecorum Genitivo intervalli, de quo Matthiaeus Gramm. Gr. § 378. 3 et 4, ex cuius observatione vix dubito quin interpretandus sit Lysias Nicom. § 20, quum dicitur ἱερὰ ἄθυτα τριῶν ταλάντων γεγενῆσθαι, i. e. quum deficerent tria illa talenta: ceteroquin utuntur praep. παρά, ut bene restitutum in Demosthen. Timocr. p. 743. 21, παρ' ὀλίγας ψήφους.

vir iste fuit ille quidem) In optimis quibusque abest *quidem;* sed merito in recentioribus, ut videtur, per correctionem insertum est; nam ut bene observat Madvigius ad Fin. p. 552, nulla alia de causa pronomen ponitur, nisi ob partic. *quidem*. — Mox, in Var. Lect. per errorem posui *in* abesse ab E: copula tamen *et* abesse nequit. — Tum, quod reliqua per *que* (*mihique*) adnectuntur, cadit hoc in eam rationem quam explicat Handius Tursell. II. p. 527. sqq., ut sic non continuetur partitio vel enumeratio in eodem genere, sed praeterea adiiciatur aliud quid: conf. supra ad Cap. 10, 30. — Quod in nonnullis inseritur *fuit* (*mihique fuit* aut *fuit familiaris*), mera interpolatio est. — Ceterum eadem acuminis laus Antiocho tribuitur Nat. D. I, 7, 16.

hoc dico — qui istud tandem vides?) Postrema in multis Codd. corrupta sunt; sed earum corruptionum fons fuit hic, quod in optimis pro *qui* scriptum erat *quin*. Extremum vocabulum, *vides*, interpolationi deberi puto: certe in tali interrogatione non solet expleri sententia,

sicut modo erat *quo tandem?* et *quid tandem id ad rem?* et *quo tandem istuc modo?* Neque quo modo istud *videret* Cicero, quaerere potuit Atticus, sed quo modo controversia sedari posset. Verum ea interpolatio non invasisset hanc interrogationem, nisi Marcus dixisset, *hoc video, non hoc dico:* et isto modo corrigendum puto, ut accuratius opponantur *mox videre* et *hoc video.* Rosc. Amer. 48, 139, *nolo dicere: hoc dico.* Senect. 10, 32 *vellem equidem idem posse gloriari, quod Cyrus: sed tamen hoc queo dicere.* Muraen. 16, init., *maxima proelia commemorare possem: sed non id agimus: hoc dico —.* Diversa ratio est Nat. D. I, 32, 90, *video. Sed hoc dico —:* est concedentis adversario.

§ 55. *quia si, ut Chius Aristo dixit —*) Satis constantem optimorum librorum lectionem expressimus, in qua nihil nec reprehendendum, nec mutandum est. Goerenzius eam interpungendo corrupit (*si, ut Chius Aristo, dixit*), quem merito castigat Madvigius Emendatt. p. 54 sq., docens *dixit* nullo modo esse pro *dixisset*: neque eam intellexerunt ii, quibus debetur interpolatio in libris nullius fere auctoritatis, *solum bonum esse diceret*, aut *solum bonum esset.* Et tamen illud *diceret* aptius excogitatum erat, quam quod Madvigius legi vult, *si, ut Ch. A. dixit, dixisset.* Nam in hac praesentis, non historicae, controversiae explicatione, quum agatur de Zenonis sententia quae viveret, et in honore esset, et nunc maxime defenderetur, aequum erat ut praes. (et imperf. conditionale), usurparetur, non perf. aut plusquamp. in commemoranda sententia; sicut modo *quum dicat — appellat.* Quam saepe, in tradendis philosophorum sententiis, praes. et inperf. tum iungantur, tum commutentur, docte monet Madvigius ad Fin. III, 20, 67: sed operae pretium erat attendere ad usum perf. et plusquamp., de quo nonnulla notavi supra ad Cap. 1, 2, (*dicit.*) Videor enim mihi affirmare posse nusquam illis temporibus locum esse, nisi quum in historiae conse-

cutione res aut placitum commemoretur. Fin. IV, 6, 14, *quum enim superiores — dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt:* in quibus *dixissent*, quod illorum sententiae successit altera Stoicorum. Ex eadem ratione ibid. 8, 20, *stulte antiquos dixisse.* Rursus de ipsis Stoicis Cato, ibid. III, 17, 57, *bonam famam — sumendam esse dixerunt*, exponens quippe velut vicissitudines illius placiti. Ibid. 12, 41, *adduxit* et *non destitit*, de Carneade, velut ex historia; neque enim quidquam scriptum ille reliquerat. Conf. ibid. II, 11, 34, (*adiunxit*), IV, 20, 56, (*postea — coepit — concessit.*) Atqui haec ratio in praesenti loco non obtinet, contraque agnosci posset, si inverso ordine prius de antiquis, quid illi *dixissent*, memoravisset, tum subiecisset de Zenone. Exclusa igitur tum Goerenzii interpunctione, tum aliorum interpolatione, restat ut dicamus *si* coniunctionem suspensam esse, reliquaque accommodari non ad illam conditionalis sententiae primariae formam, sed ad secundariae verbum *dixit*, per Accusat. et Infinitivum: cuius rationis notissima exempla sunt, velut Offic. I, 7, 22, (*quoniam, — ut placet Stoicis, — omnia creari:*) conf. Beier. ad Offic. I, 10. 33, p. 77. Orat. I, 41, 185, (*sed — faciliorem sibi cognitionem videri.*) Sed Goerenzius, non contentus soloecismum affinxisse Ciceroni, alia quoque temere turbat: veluti Orat. II, 3, 13, *dicebat*, post *dixit*, sublatum a Schutzio probat, non intelligens *dixit* de facto dici, *dicebat* referri ad expositionem illius sermonis, quem a Crasso habitum ex Scaevola cognovisset Caesar. Rursus Divin. II, 47, 97, tolli vult *dixerit*, praecedente *dicere:* non recte: neque tamen *dixerit* probandum, quum nulla ratio Coniunctivi sit, quae esset, si consilium habuisset Cicero explicandi quae dixisset Panaetius: nunc autem hoc tantum dicit, sua convenire iis quae Panaetius dixerat, itaque aut *dixit*, aut, quod malim, *disserit* corrigendum est.

a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia) Non audiendus est Goerenzius, qui postremum *et*, qua particula adnectitur universum genus singulis quae commemorata erant, interpretatur *id est:* similique interpretationi eius adversatur Handius Tursell. II. p. 480. fin. sq., hunc ipsum locum usurpans. Fin. II, 13, 39, *Aristippi Cyrenaicorumque omnium:* III, 4, 14, *explicabo — totam Zenonis Stoicorumque sententiam.*

de omni vivendi ratione) Quippe quae ratio constet delectu rerum appetendarum et fugiendarum, quo nulla vitae pars vacare potest.

nunc vero quum decus, quod antiqui —) Mei quoque optimi pro *quum* habent *quod.* Sed non dubitavi recipere verissimam correctionem, quam alii libri habent. Nihil in hac conformatione sententiae reprehendendum.

controversia est nata de finibus) Malim nunc alterum ordinem, *nata est*, quem recentiores libri commendant. In Lagom. 10 *hic* insertum ante *de finibus.* Fuitne *haec?*

usucapionem XII *tabulae intra quinque pedes esse voluerunt*) Locum iuris Romani, quo haec referuntur, abunde explicuerunt Viri docti: vid. Moseri Exc. I. Sed fluctuant libri inter *intra* et *inter:* tum affertur *noluerunt* pro *voluerunt.* Sana tamen sententia eorum est quae edidi: si quidem in ipso *intra* continetur id, quod XII tabulae prohibebant, i. e. *non ultra*: et sic apte ponitur *voluerunt.*

depasci veterem possessionem — non sinemus) I. e. ut novis excogitatis verbis sententiam, quae Academicorum fuerat, sibi vindicet. — Mox, *sed ex his tres arbitri*, bene mihi defendere videtur Creuzerus ab ingeniosa coniectura Ranconeti, *ex* XII.

§ 56. *quamnam igitur sententiam dicimus?*) *Dicemus*, quod ex uno Brux. edidit Goerenzius, in nullo meorum reperi. Nec puto requiri futurum, quoniam de praesenti arbitrio sermo est.

requiri placere terminos — iisque parere) De iunctis

Infinitivis passivi et activi, in primis post impersonalia, Madvigius annotavit quoque ad Fin. II, 7, 21. Post *placet* activum defendit Drakenb. in Livio XXXI, 5, 9, contra Dukeri correctionem. Ceterum *placere*, tum Scti proprium est verbum, conf. Verr. II, 39, 95; tum sententiae a iudice pronunciandae, Flacc. 21, 49. Ruhnk. Schol. in Sueton. p. 165. Livius III, 13, 6. 40, 5. XXXVIII, 52, 8. XXXIX, 54, 10, ubi Drakenb. bene defendit lectionem IX, 8, 7: conf. Salust. Catil. LI, 43. Iug. XXVIII, 2. — *Pegerit*, quod optimi quique servant, satis defenditur verbis Quinti, qui fratrem laudat, quod verba usurparet iuris civilis et legum.

disputationem tuam) Quod Goerenzius secutus est, *dubitationem*, habent duo de meis. Et sane *dubitare* et *dubitatio* poni pro quaerere, *deliberare*, multi docuerunt, Graevius ad Verr. II, 22, fin. (ubi eadem est MSS. fluctuatio) Ruhnk. ad Sueton. Claud. 35. Moser. ad Cic. Divin. I, 3, 6. Sed neque Orat. II, 31, 134, neque h. l. *dubitatio* dici poterat, si quidem non ipsa deliberatio, sed potius disciplina et demonstratio intelligitur; id quod in primis in oratore valet, quem non in illo universo genere deliberare, sed demonstrare oportet. Hinc mox, Cap. 22, 58, populis leges dare et disciplinam proprium esse dicitur *huius disputationis;* id quod de dubitatione dici nullo modo poterat.

sed certe ita res se habent —) Haec alii Viri docti fuerunt qui non Quinto, sed Marco tribuerent, usque ad *perfecturi sumus:* alii Quinto reliquerunt, sed in parenthesi comprehenderunt: tandem alii totum locum insititium habuerunt. Quas sententias diiudicare licebit singulis loci partibus explicitis. Ponuntur duae *summi boni* definitiones, quarum prima haec est: *ex natura vivere, id est, vita modica et apta virtute perfrui.* Est hoc Stoicorum τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν, adiecta interpretatione, in qua *vita modica* referenda videtur ad mode-

rationem earum rerum, quae natura evenirent, ita tamen, ut principatus penes virtutem esset. Altera definitio haec est; *naturam sequi*, adiecta ea interpretatione, quam Madvigius ad Fin. III, 6, 22, ex Antipatro Tarsensi expressam esse demonstrat. Stoicos certe ipsos celebratum illud Zenonis (ὁμολογουμένως ζῆν) diversis modis interpretatos esse, non tantum Ciceroni fides habenda Fin. IV, 6, 14, sed etiam Posidonio apud Galenum iis locis, quos apposui in Posidonio p. 223, sq.: et miror Madvigium postulavisse, ut triplex illa interpretatio, quam Cicero l. c. proponit, unius cuiusdam Stoici fuerit. Alia, quae permulta colligere licet de Stoicorum summi boni definitionibus, nunc non sunt huius disputationis. De postremis verbis, *quod inter haec — vivere*, verum vidisse credo Davisium, ea ab annotatore esse; continent enim languidam interpretationem eorum, quae ipsa interpretationis loco adiecta erant. Habemus igitur Stoicae definitionis duas formas; quas nemo negabit aptissime Quinto tribui, qui breviter significata Stoicorum sententia ostendere velit eam distare tamen, quocumque modo explicetur, ab antiquorum placito. Et hinc explicanda ipsa formula *sed certe*, quae, sicut interpungendo indicavi, respondet prioribus, *ista quidem magna d. e.*, videturque a Quinto usurpari non ulterius controversiam disceptari, et tamen sibi quod videatur expromere cupiente. Nec dissimiliter paullo infra, § 58, quum Quintus, ut videtur, omnem de philosophia disputationem deprecatus esset, concedens ei Marcus, tamen in philosophiae laudes exspatiatur, hac exorsus formula, *sed profecto ita se res habet*. Non diligentissime haec explicuit Handius Tursell. II, p. 26; neque enim commode cum coni. *tamen* permutabitur *certe:* ne Planc. 8, 20, quidem, ubi *sed certe* vindicavi Bibl. Crit. N. III, p. 72. Tusc. I, 31, 76, contaminatum locum esse puto hunc: *tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, — ut verear ne homini nihil*

sit non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius: quae quamquam alius alio modo in ordinem cogere instituit, in hanc tamen interpretationem potiores videntur conspirare, ut putent Ciceronem prius affirmare nihil esse praeter mortem, quod *non malum* sit. Quam sententiam si agnosco, tamen loquendi modum non puto esse Ciceronianum, certe studiose impeditum. Corrigam, — *ne homini nihil sit habendum aliud, sed certe nihil bonum aliud potius:* in quibus prius affirmet nihil bonum esse, praeter mortem, tum hoc mitiget addendo *nihil bonum aliud potius esse.* — Initio huius loci reliqui id, quod mei quoque omnes afferunt, *habent*, recte tamen ab editoribus correctum *habet.* — In verbis *quantum in ipso sit*, turpiter haeret et mira comminiscitur Goerenzius, nec satis accurate Orellius interpretatur, ad Tusc. I, 38, 92, (in Wolfii Praelectt. p. 363. init.)

Quapropter hoc diiudicari — perfecturi sumus) Ne haec quidem ulla ratio est, quamobrem non recte Quinto tribuantur. Verumtamen negari non potest non eleganter elaboratam esse a Tullio hanc dialogi partem. Concedo novissimis editoribus, corrigendum esse *numquam*, quod vel ex A. recipere debueram.

CAPUT XXII.

§ 57. *quae a me adhuc dicta sunt, nec Lycurgi leges*) Carent mei quoque libri indicio lacunae aut defectus; nisi quod in uno de Ambrosianis spatium relictum est septem fere literarum. De fragmento apud Lactantium V, 8, 10, post videbo. Sed neque hoc satis arcte cum argumento, quod in manibus habent colloquentes, cohaeret. Non difficile tamen est coniicere, (quamquam nemo verba ipsa praestare velit), quid exciderit. Nam quum supra Cap. 12, 34, dixisset, se *ad ius civile venturum esse*, quum perpauca dixisset de hoc, ius in natura

esse positum; consentaneum videtur ut nunc hic ipse transitus indicatus fuerit, absoluta illa generali quaestione, tum properante Quinto ad id, quod susceptum erat. Et, quod mox excipit Quintus Lycurgum et reliqua, inde haud iniuria conficias Marcum universe significavisse consideraturum se nunc esse ea, quae supra posuerat, Cap. 5, 17, (*tum haec tractanda — iura civilia.*)

leges vivendi et disciplinam daturum) Intelligo *legem vivendi* i. e. normam, dici posse, (et sic deteriores habent libri), non item *leges vivendi*. Et sane in eadem re infra II, 14, 35, non nisi *leges dare* dixit, pariterque supra Cap. 6, 20, *leges*, tum *serendi etiam mores:* conf. Tusc. V, 2, 5. Quapropter transponenda fortasse verba erunt sic, *leges*, *et vivendi disciplinam daturum*, ut illud ad populos, hoc ad singulos referatur: sicuti mox, § 58, *vivendi doctrina* dicitur.

§ 58. *sed profecto ita se res habet*) Hoc quoque arctius coniungendum erat cum superioribus, nec maxima distinctione separandum. — In ordine verborum *ita se res habet*, et plures et meliores secutus sum libros: pauci et recentiores *ita res se habet.* Certam normam nullam se nosse dicit Madvigius ad Fin. I, 7, 25. Aliud exemplum ex Scauriana attigi Bibl. Cr. N. III. p. 207.

vivendi doctrina) Placet viris doctis *doctrinam* sic interpretari, ut eadem sit quae *institutio*, aut *praeceptio*, aut *disciplina.* Sed in tritissimo vocabulo aliquanto prudentius potestas definienda est, quam fecit aut Schutzius in Ind. Latin., aut Grysar. in libro supra cit. p. 218. Verbi causa hoc ipso loco ea *vivendi doctrina* intelligitur, (quam alibi, Platonis imitatione, *artem vitae* appellat), unde praecepta vitae regendae petantur, non quae ipsa sit vel παραίνεσις, vel παιδεία: quae quum *a lege duci* dicitur, significatur fontem et principium eius artis esse in lege. Itaque *doctrina* ipsa tamquam materia est, quam quis instituendo aut praecipiendo tradit aliis, non

illa institutio: estque compositio eorum, quae dissipata erant, in unam artis et rationis compagem et formulam. Hinc res esse dicuntur, *quae nullo modo doctrina tradi possint*, Orat. II, 54, 218, id quod paullo ante (§ 216) *arte tradi* dixerat. Sic coniunguntur *ratio et doctrina*, ibid. 25, 108. Tusc. I, 13, 30. Neque quum Sext. 56, 119 dicit, *mihi sumsi hoc loco doctrinam quamdam iuventuti, qui essent optimates*, intelligit *disciplinam*, sed a se confectam et constructam rationem et generalem notionem, (quae tamen non esset *ars*, quamque ideo *quamdam* doctrinam appellat), quam traderet iuventuti; additque, quid *in ea explicanda* demonstrandum esset. Neque *doctrina rerum honestarum* Offic. I, 42, 151, de disciplina aut de institutione earum rerum dicitur. Maximeque quid intersit intelligitur, si tenemus *studia doctrinae* recte dici (Orat. 10, 34.), non item *studia disciplinae;* tum *doctrinae possessio* (Orat. III, 31, 122), non item *disciplinae*. Nam quod est Coel. 30, 72, *cuius prima aetas dedita disciplinis fuit iisque artibus* cet., necessario accipiendum est, *earum artium disciplinis*, sicut Orat. 1, 4, *magnarum artium disciplinae:* nam si *disciplinas* absolute intellexisset, dicendum fuerat *iis disciplinis, iisque artibus*. Sed infinitum est omnia percurrere: tantum significare volui, minime inter se permutari posse *doctrinam* et *disciplinam*.

ita fit, ut mater omnium bonarum rerum sit sapientia) Non perspicua sane est argumentatio: »quod a lege vi»vendi doctrina ducitur, ita fit ut cet.," nisi tenemus legem esse perfectam rationem, et hanc, quum in homine perfecta sit, appellari sapientiam (Cap. 7, 22.) Intelligimus sic sapientiae amorem Ciceroni nunc eumdem esse cum iuris et legis amore. — Pro *rerum*, ex meis non nisi deteriores habent *artium:* sed vera lectio minus idoneum defensorem nacta est Goerenzium. Nam fallitur primum, quum dicit *bonarum rerum* appellatione uti Ciceronem,

ut »artes sapientiae notione simul complecteretur:" si quidem de illa diversissimarum rerum in unam notionem contractione ne cogitare quidem potuit Cicero. Quod autem addit, »si sapientiam *artium* modo *matrem* dixisset, parum sane eam laudasset:" quid igitur faciet loco Orat. I, 3, init., ubi philosophia *omnium laudatarum artium parens* appellatur? (nam vix admonitione indiget, multis locis commutari inter se *sapientiae* et *philosophiae* nomina.) Sed Rathius commode visus est Mosero laudare Orat. III, 16, 60, *omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio, philosophia nominatur:* quo tamen loco necessario *artes* sunt intelligendae, contra quam hic. nam in *rebus* iis, quas sapientia (aut philosophia) nos doceret, difficillima mox haec numeratur, *ut nosmet ipsos nosceremus*, quam sane nemo artem appellaverit: itaque intelligendae *virtutes*, sicut Offic. II, 2, 6.

a cuius amore — nomen invenit) Perperam in bonis quoque libris nonnullis omittitur *a:* neque enim nudus Ablativus ponitur, nisi quum factum hominis indicatur, *quo* is nomen invenerit, sicut de Torquato, Fin. I, 7, 23; idemque valet quum *ex eo* ponitur, Divin. II, 32, 69: sed philosophia nullo suo facto, verum hominum oratione, nomen invenit *ab* amore sapientiae. Non attendit Goerenzius. — Quod subiicitur relativum, *qua nihil* —, ad *sapientiam*, non ad *philosophiam*, pertinet: nec necesse est hunc locum ab Augustino indicari, Civ. D. XXII, 22, fin., quum alii sint eiusdem sententiae. — *Praestabilius* quod h. l. omnium consensu legitur, induxit fortasse Nonium, ut v. *praestare*, idem recitaret ex Offic. II, 2, 5.

haec enim una nos —) Ambr. *a una vox:* quae tam facilis confusio est, quam tritum est ut permutentur *nos* et *hos*. Hunc locum libenter elaborare solet Cicero, veluti Tusc. V, 24, sq., secutus Platonis auctoritatem, v. c. Republ. VI. p. 485, sq. 500, B. C. Legg. XII. p. 966.

fin. sq. Platonem sequitur Porphyrius apud Stobaeum XXI, 27.

tanta vis, et tanta sententia est) Copulam *et* servant mei optimi quique: neque omittitur, nisi in auxesi, aut quum efficaciori anaphora opus est. Orat. I, 44, 196, *cuius rei tanta est vis, ac tanta natura.* Neque attinebat *vim* et *sententiam*, quae synonyma sunt, sicut infra II, 5, 11, per istiusmodi asyndeton distinguere. — De temporum consecutione, *est* — *tribueretur*, tenendum a generali iudicio subito transire ad historiam: id quod facere non licebat, quum Fin. V, 16, 44, utrumque ratione coniungeret, *quod praeceptum quia maius erat* (non *est*) *quam ut ab homine videretur, idcirco adsignatum est deo.*

§ 59. *qui se ipsum norit*) Non satis idoneam rationem reperi, quamobrem eorum librorum auctoritatem desererem, qui *ipsum*, non *ipse*, afferunt: in hoc enim praecepto *ipse* quisque sibi obiectum cognoscendi est: ita et modo *nosmet ipsos*, et Fin. l. c. Quid, quod mox Lag. 10, habet *quum se ipsum perspexerit.* Videtur aut omnis norma iudicandi abiicienda esse, aut saepe contra Codd. auctoritatem corrigendum.

ingeniumque — sicut simulacrum aliquod dedicatum) Editores novissimi *dedicatum* non cum *ingenium* iungi crediderunt, itaque distinxerunt secundum hanc interpretationem. Perperam. Vult enim Cicero ipsum *ingenium*, tamquam *simulacrum*, *dedicatum* esse in homine, tamquam in templo: et hoc est illud quod dixerat, *aliquid se habere sentiet divinum.* Illorum interpretatio nihil affert nisi hoc, *putabit ingenium in se suum* (esse): quo quid ineptius esse potest? Ceterum hanc quoque similitudinem a Platone sumit Cicero, Sympos. p. 216, E, *τὰ ἐντὸς ἀγάλματα*, ad quem locum opportune Tulliani loci meminit Stallbaumius: alia imitandi exempla reperientur in Ruhnkenii copiis ad Tim. p. 6, sicuti non dubito quin ex Platone fluxerit hoc Stobaei I, 38,

τοῦ σοφοῦ ςόματος ἀνοιχθέντος. καθάπερ ἱεροῦ, τὰ τῆς ψυχῆς καταβλέπεται ὥσπερ ἀγάλματα. Epictetus apud eumdem, XLVI, 80, ἐν σεαυτῷ πρῶτον ἀνάθες τὸ κάλλιςον ἡμερότητος καὶ δικαιοσύνης καὶ εὐποιίας ἀνάθημα. Alio quodam modo Tiberius apud Tacitum Ann. IV, 38: *haec mihi in animis vestris templa, hae pulcerrimae effigies et mansurae.* Tum ex simili fonte fluxit personatus, ut mihi videtur, Demosthenes Aristogit. I. p. 780. fin.

perspexerit totumque tentarit) Merito repudiata est Ernesti suspicio, haec transponenda esse (*tentarit — perspexerit*), neque eam commendari opinor propter haec, Orat. II, 78, 318, *tota causa pertentata atque perspecta.* Nulla in talibus ὑςερολογία fingi potest, si quidem hoc unum quaerere solet Cicero, ut pluribus verbis idem significet, plenioremque faciat orationem. Temere talia ab interpretibus distinguuntur; et Goerenzium merito castigavit Madvigius ad Fin. I, 16, 50, (*divelli, distrahi*), quocum conf. Tusc. I, 29, 71. Nec minus temere eadem Beierus ad tautologias refert, Offic. I, 13, 40, p. 101 sq. Fin. II, 35, 118, *tute introspice in mentem tuam ipse, eamque omni cogitatione pertractans* —. Eadem de causa non assentiar Wyttenbachio, paullo infra (*animo ac mente conceperit*) accurate distinguenti *animum* a *mente:* nam et permutantur haec inter se, ut Tusc. I, 20, 46, (aliud exemplum apponam infra II, 17, 42), nec nisi in ornatu et in synonymia saepe poni solent, velut Cluent. 53, 146, *mens, et animus et consilium, et sententia civitatis posita est in legibus.* Alia utiliter notavit Ochsnerus ad Ecl. Cic. p. 42. ed. 3tiae.

subornatus) Non sane multum aberrant a vera interpretatione, ratione habita praep. *sub*, Turnebus et Ochsnerus l. c.: demonstrat contra Cortius ad Epp. ad Div. X, 23, 6, *subornare* nihil esse aliud nisi *ornare, instruere:* neutri satis diligenter; quippe praep. *sub* cogitationem indicat fundamenti et praesidii, quod rebus gerendis explican-

disque virtutibus tamquam supponitur, id quod in Graeco ὑπάρχειν valet. Quam rationem alii servarint scriptores, nihil ad Ciceronem. Sed altera, notiori illa, significatione *subornare* ponitur fragm. in Clod. et Cur. p. 106. Beier.

ad obtinendam adipiscendamque sapientiam) Madvigius ad Fin. II, 22, 71, p. 265, aut durissimam hanc hysterologiam esse putat, aut scripturam mendosam; nam obtinemus, inquit, quod iam adepti sumus. Offendit in haud dissimili loco Stuerenbergius, Arch. 7, 16, *ad percipiendam colendamque virtutem.* Rursus defendo ista ea ratione, qua modo *perspexerit — tentarit.* Tum dubito an *obtinere* non nisi id sit, quod vult Madvigius. Nam et *obtinere quid* (ut infra III, 15, 33, sq. et Fin. II, 33, init. et *obt. testamentum*, Offic. III, 18, 73) est tamquam persuadendo expugnare; nec *obtinemus*, quae adepti sumus, sed *tenemus;* recteque dici puto, quae *adipiscamur*, ea nos obtinere, non quae *adepti simus.*

quoniam principia rerum omnium quasi adumbratas intelligentias — conceperit) Mei quoque optimi libri habent *principio.* Hoc tuetur Madvigius, Programm. p. 15, not. 1: »scientiae enim ista principia esse, *rerum omnium* »*principia* prorsus contra Ciceronis mentem dici (illas »adumbratas intelligentias): alia esse longe in ethicis »*principia naturae*, i. e. a natura data et commendata. »*Principio* referri ad id, quod adiicitur de iis intelligen-»tiis illustrandis." Sic igitur videtur accipere: primum (*principio*) concepit rerum omnium intelligentias, tum his illustratis cernit se beatum fore. Quod *principia rerum omnium* illas intelligentias appellari non posse dicit vir praestantissimus, quaero cur tamen recte *rerum omnium intelligentias* dici putet? Tum *fundamenta scientiae* in hoc argumento appellari novi, supra Cap. 9, 26; sed est tamen intelligendum *scientiae rerum plurimarum.* Et Fin. V, 21, 58, rursus in eodem argumento, *omnium*,

inquit, *rerum principia parva sunt*, non de scientia, sed de virtute agens. Contra, si *principio — conceperit* dixit, haec erit sententia, quasi non insitae essent illae intelligentiae natura, sed postea extrinsecus impressae: sed illam interpretationem in Stoicis servare videtur Cicero, quod ipse Madvigius, huius quoque loci auctoritate, demonstrat ad Fin. ibid. 59.

quibus illustratis sapientia duce) Secutus sum eos, qui optimorum librorum lectionem, *illustratus*, deseruerunt: neque enim ipse quisque, sed illae intelligentiae illustrantur.

CAPUT XXIII.

§ 60. *labem dedecoris*) Qui correxerunt, *decoris*, non intellexerunt hunc usum Genitivi, quo *labes dedecoris* dicitur pro *dedecus tamquam labem:* nec corrigendum erat Orat. II, 83, 338, *scena concionis*, i. e. concio tamquam scena. Sed haec olim attigi.

societatemque caritatis — suos duxerit) Multis partibus haec corrupta feruntur in libris. *Caritatis* quidem (pro corrupto *carnis*) edidi meos quoque optimos secutus. Tum *coniecerit* edidi, vitiosum sane, sed quod nullus meorum (exc. Lagom. 124. 126) *coierit* habebat, quod ipsum suspicor non in Cod. repertum esse a Turnebo (nemo post eum idem reperit), sed esse correctionem ab ipso aut alio factam, veram tamen et necessariam. Nec reliqua non turpi interpolatione laborant: putidum quippe est ut praecipiatur primum *societatem coire cum suis*, tum *omnes natura coniunctos suos ducere*. Sed antiquissima corruptio fuit *cum omnibusque natura*, unde facillima nascitur haec lectio, *cum omnibus quos natura secum coniunxerit*. Commendatur sane illa omnium hominum caritas, sed verborum usus non patitur, ut quis omnes istos *suos* habeat. Fin. II, 14, 45, *ut profectus a cari-*

tate domesticorum et suorum serpat longius, et se implicet primum civium, deinde mortalium omnium societate. Nam illa *caritas suorum* ita naturalis est, ut in bestiis etiam animadvertatur, Lael. 8, 27. Offic. I, 17, 54.

cultumque deorum et puram religionem susceperit) *Puram* ἀπὸ κοινοῦ dictum. Nat. D. I, 2, 3, *haec omnia* (pietas, sanctitas, religio) *pure ac caste tribuenda deorum numini sunt.* — Exquisitum est *suscipere religionem deorum*, quoniam non ita *suscipere* intelligitur, ut vulgo, in voluntate positum, cui v. c. *deponere* opponatur: sed explicandum est »imbutum esse religione, religiosum »esse, religione tamquam teneri." Erravit igitur Ernestus quum Clav. Cic. hos duo locos componeret, Sull. 31, 87, (*nisi esset severitas illa suscepta*,) et Orat. 71, fin. (*scribendi me impudentiam suscepisse:*) quorum illud voluntatis erat, hoc vitium ipsum animi declarat, sicut *religionem puram deorum suscipere* ipsam animi virtutem indicat. Contra temere reprehenditur Ernestus apud Moserum ad Divin. I, 4, 7, ubi indicandum esse dixerat, *quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus. Est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur.* Nam hic quidem *suscipere*, cui opponitur *negligere*, est usurpare, admittere: eodemque modo ibid. II, 39, 83, ubi sermo est de avibus et de signis, *partim horum errore suscepta esse, partim superstitione, multa fallendo:* tum 40, 84, *quae si suscipiamus:* et 54, 112, *valeantque ad deponendas potius, quam ad suscipiendas religiones:* quae omnia in voluntate et consilio dicuntur, perperamque interpretatur Moserus *assensu comprobare.* Contra, quum non de ipsis institutis aut ritibus agitur, sed de animi vel vitio, vel virtute, *suscipere* in virtute idem est atque *contrahere* in culpa, et eodem modo scripturum fuisse Ciceronem puto, *fraudem, superstitionem suscipere*, quam *religionem.*

exercuerit illam — ingenii aciem) Optimi libri servant alterum, *exacuerit*. Sed, ut *acuere ingenium* multis probatur exemplis, non item dici posse puto *exacuere ingenium ad quid faciendum:* nam *exacuere* absolute poni solet, ut infra, proprie, *mucronem tribunicium exacuere in nos*, III, 9, 21: translate, ut Gr. παροξύνειν, ad Att. XII, 36, 2, et Plancus, ad Div. X, 23, 7. Contra Catil. I, 10, 25, *ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit* —. Postremo, ne hoc quidem negligendum, non a quoquam ipso *acui ingenium*, sed a rebus externis.

ad bona eligenda) Merito hanc optimorum librorum lectionem servavi. Non agitur nunc de illo *delectu*, qui in rebus eiusdem generis instituitur, nulla habita ratione contrariorum. Sed *eligere* proprium in hac disputatione vindicabunt hi loci, Fin. II, 12, 38, (*eligenda — aut reiicienda*) V, 29, 88, nec dubitavit ea de re Madvigius ad III, 6, 20. — Mox probandus fortasse hic ordo est, quem Lagom. 10 habet, *appellata prudentia est.*

dici aut cogitari) Necessario restituendum erat, quod et optimi et plurimi libri habent, *cogitari*, pro *excogitari*. Nempe *excogitare* quid dicimur, quo utamur, ut *reperire:* ad Attic. IX, 6, fin. *ad haec igitur cogita, vel potius excogita*, quorum illud ad deliberationem, hoc ad consilium reperiendum pertinet. Fin. II, 16, 53, de viro improbo, *facile ut excogitet, quomodo occulte — fallat.* Philipp. VIII, 6, 19, *excogitare quae tua ratio sit, — non possum*, i. e. multum quaerendo non assequor qua vel adhortatione, vel obiurgatione mihi in te utendum sit. Sic *excogitare argumenta*, Orat. II, 38, 160: *novum in otio ludum*, ibid. III, 15, 58: Legg. II, 4, 8, *legem neque hominum ingeniis excogitatam*, quasi, quae ante non fuisset, eam ingenio reperissent ut uterentur. Contra, *cogitare quid* nihil aliud est nisi animo et mente comprehendere. Ideo servandum hoc, secundum Codd., in Orat. III, 45, 179, de mundi pulcritudine,

ut nulla species ne cogitari quidem possit ornatior: editur *excogitari.* Sic Tusc. I, 28, 68, recte sine ulla varietate legitur, *quum videmus — conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus.* Acad. II, 12, 37, *nihil enim agens ne cogitari quidem potest, quale sit.* Idemque saepe aliis verbis dicitur, ut Tusc. V, 28, 81, *quo quid sit beatius, mihi certe in mentem venire non potest:* ideoque iungi solent, *nec esse, nec cogitari.* Orat. 2, 7, *quod neque oculis — percipi potest, cogitatione tantum, et mente complectimur.* Et corrigendum est in Philipp. XIV, 5, 13, *nihil magnificentius cogitari potest,* in simili re atque illa, in qua Legg. II, 17, 42, dicit, *quo quid accidere potuit homini praeclarius.* Summo iure restitutum est *cogitatum,* Leg. Agrar. II, 33, 90, (ubi leg. *cogitatum est.*) Nec sensit Beierus ita corrigendum esse in Offic. III, 8, 36, tum in Catilin. II, 4, 7. Proclives fuisse librarios ad omittendas praepositiones in verbis compositis, monuit iam Bentl. ad Horat. Serm. I, 4, 20: sed non minus labuntur addendis.

§ 61. *quum coelum, terras, maria*) Progreditur ad commendandas eas virtutes, quarum laus e physicorum studio efflorescit; conf. Fin. III, 22, 73. IV, 5, 11, sq. — *Coelum, terras,* sicut de Graecorum οὐρανὸς καὶ γῆ dixi ad Cleomed. p. 258, omnem rerum universitatem indicant, sicut infra II, 4, 9, Rosc. Amer. 45, 131. Fin. V, 4, 9, *coelo, mari, terra, ut poetice loquar:* sed tria postrema vocabula perquam inepte ab alio adscripta, neque possunt esse Ciceronis: conf. ibid. II, 34, 112. — Quod additur, *rerumque omnium naturam,* non debebat viros doctos movere ut sanam lectionem mutarent in Nat. D. I, 14, 36, *rationem quamdam per omnem naturam rerum pertinentem:* nam *omnis rerum natura,* est ipse mundus: contra *omnium r. n.* in enumeratione dicitur partium. Tum ibid. II, 13, 36, pro *rerum omnium natura,* tota disputatio manifesto postulat ut reponatur *omnis.*

eaque unde generata — obitura) Perperam haec Turnebus ad certum placitum Stoicorum refert, de exustionibus et de igne omnium rerum principio. Locus tantum indicatur περὶ γενέσεων καὶ φθορῶν. — Mox, in verbis *divinum aeternumque*, is ordo servatur, quem Ciceronis consuetudine commendari dixi Schol. Hypomn I. p. 110. *In his* servandum fuit, quoniam tamquam in nova quaestione haec dicuntur, non in ea quae aliunde suspensa sit. — De forma *prenderit* egit quoque Ernestus ad Tacit. Ann. III, 53.

seseque non unis circumdatum moenibus loci) Expulsis manifestis interpolationibus (*popularem alicuius definiti*, post *moenibus*), quae optimos etiam Codd. invaserant, aliorum auctoritate hanc representavi lectionem, in qua *unis* verissimum est, iungendum cum *moenibus*, eamque in antiquissimis libris exstitisse, ipsum *definiti* arguit, cui explicationi locus non erat, si *unius* scriptum fuisset. Sed remansit vitiosum *circumdatum*, quod peperit alteram interpolationem, *popularem*. Quaenam enim, quaeso, ea oppositio est, *circumdatum moenibus*, et *civem totius mundi?* quasi hic postremus nullus moenibus circumdari posset. Requiritur ut loca inter se opponantur, hoc modo: *non unis circumdati moenibus loci, sed civem totius mundi —:* in quibus *civem* ἀπὸ κοινοῦ ponitur, et, de more, in postrema parte sententiae locatur: conf. Lael. 2, 6, fin. — Mox, in verbis *cognitione naturae*, perperam in nonnullis libris postremum omittitur: significandum hoc erat, oriri virtutes e physica philosophiae disciplina.

quod Apollo praecepit Pythius) Putide haec interposita videntur, quum idem dictum sit supra. Tamen omnes libri servare videntur.

ducuntur amplissima) Secutus sum tum alios libros, tum praestantissimum A. Moserum, qui aliquoties meliora ad Divin. libros docuit, non oportebat affirmare *duci* et

dici » eodem fere sensu usurpari." Nempe *dicuntur* ad sermonem, *ducuntur* ad opinionem vulgi pertinet, quae nunc memoranda erat in oppositione (*pro nihilo putabit.*) Orat. II, 2, 6, *Graecia quae semper haec summa duxit*: itaque Offic. I, 20, 67: Divin. I, 43, 96: et locus Offic. II, 17, 59, deterrere poterat Ochsnerum Ecl. Cic. p. 46, ne in eumdem, in quem Moserus, errorem incideret. Ex multis, qui corrigendi sunt, locis unum indicabo Verr. III, 33, 77, ubi Orellius edidit, de Verre, *qui se regem Siculorum esse ducebat.* Non tam stolidus Verres fuit, sed *dicebat*, i. e. Graeca oratione usus ita profitebatur, *βασιλέα*, non *στρατηγὸν* sese appellans. Contra Tusc. I, 39, 94, recte praefertur *hoc longum dicimus*, quippe agitur de eius adiectivi usu et vi, sicut Lael. 5, 19, *hos viros bonos appellandos putemus.* Sed non ubique verum est, quod contendunt viri docti, in *dicendi* verbo requiri Infinit. *esse*: conf. Beier. ad Lael. 19, 70.

CAPUT XXIV.

§ 62. *quasi sepimento aliquo, vallabit disserendi ratione*) Similitudinem hanc duxit e Platone Republ. VII. p. 534, E: *ἆρ᾽ οὖν δοκεῖ σοι — ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι κ. τ. λ.*, cuius loci nec Davisius meminerat, nec Menagius ad Diog. Laert. VII, 40, qui de Stoicis tradit, a quibus dialectica cum *περιβεβλημένῳ φραγμῷ* comparata fuerit. Quis olim cum Platone contulerit Ciceronis locum, apud Victorium V. L. II, 12, resciscere non potui: sed improbat collationem ipse Victorius, quamquam ipse concedens *θριγκὸν* non tantum esse apicem, culmenque (*τὴν στεφάνην τοῦ τείχους*, Hesych. al.) sed etiam vallum et sepimentum (*περιχαράκωμα, φραγμόν.*) Scilicet, quod apud Platonem dicitur *ἐπάνω κεῖσθαι*, et *ἀνωτέρω*, non de superiori loco accipiendum videtur, sed de universali principio, quod reliquis fundamenti loco

subiectum sit, quodque reliqua contineat: quam potestatem attigit Wyttenbachius ad Phaedon. p. 269. Et *θριγκὸν* quidem, *valli* significatione, eleganti correctione restituit Victorius V. L. XXIV, 15, in Xenophonte M. S. I, 4, 6. Altero sensu *θριγκὸς* et *θριγκῶσαι* apud Euripidem dicuntur, Troad. 497. Herc. Fur. 1280. Apud Ciceronem *sepire* bis figurate ponitur in libris de Oratore, *vallare*, fragm. pro Tull. p. 61. Beier. conf. Gronov. Obs. III, 18.

veri et falsi iudicandi scientia) Corruptiones Codd. fluxerunt e male iunctis syllabis (*discientia*, unde *de scientia*, et *disciplina sc.*) Nimirum *disciplina* apud Ciceronem numquam pro ipsa *arte* dicitur. Iunguntur sane eadem in Divin. I, 41, 91, *magorum disciplinam scientiamque percipere:* sed *disciplina* non dicitur nisi quum aut tradenda a doctore, aut percipienda a discipulo cogitatur: conf. ibid. I, 2, 3: supra Cap. 22, 57. fin. Ceterum manifestum est, *disserendi rationi* (*διαλεκτικῇ*) duo munera imponi a Cicerone, veri et falsi iudicandi, tum intelligendi quid quamque rem sequatur et quid sit cuique contrarium: ideoque per asyndeton ista subiiciuntur, quasi esset pro *disserendi ratione, id est veri cet.* Qui eodem pertinet locus Fin. II, 6, 18, laborare mihi videtur: *quae* (dialectica) *una continet omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale quidque sit, et ratione ac via disputandi.* Bremius corrigebat *rationem ac viam;* sed ita velut tertium ponitur id, quod duo illa priora continebat. Goerenzius verba sic componebat, *scientiam ratione ac via disputandi*, primum eodem errore, quo Bremius, implicatus, tum non intelligens *rationem ac viam* esse ipsam scientiam. Equidem puto *et* ante *ratione* tollendum esse, ut dicatur utriusque rei scientiam contineri *ratione ac via disputandi:* conf. in primis Tusc. V, 25, 72. in.

se ad civilem societatem natum) Aristoteles Polit. III, 4, 2, Schn., ἄνθρωπος φύσει ζῶον πολιτικόν· idemque

permulti ornaverunt. Sed Aristotelis auctoritate dicendi praecepta cum disserendi arte coniungebantur (Fin. V, 4, 10:) et rhetorice adeo pars esse τῆς πολιτικῆς dicitur, Rhetor. I, 2, 15: conf. Quinctilian. I. O. II, 17, 14. 21, 3: unde similis transitus a dialectica et otio ad vitam in civitate degendam Tusc. l. c.

fusa latius perpetua oratione) Bene vindicat hoc a Schefferi suspicione, *perpetua* a glossa esse, Moserus: et, ne alios memorem, Cortius ostendit recte duo adiectiva sine copula concurrere, ad Epp. ad Div. III, 4, 4. V, 11, 1. Sed notandus est Ochsnerus, ad Ecl. Cic. p. 47, non apte explicans quid sit *fusa oratio*, quum haud multo meliora docuisset Schutzianus Index. *Fuso dicendi genere* qui utitur, non ille quidem negligit sententiae demonstrationem, sed liberior est in ornandis, disponendis, dilatandis argumentis, maximeque reformidat conclusae rationis asperitatem continuam. Igitur non opponitur huic *pressus* orator, (quae laus diligentissimae demonstrationis, sed tamen oratoriae, tribuitur Demostheni in Ctesiphontea, Orat. 8, 26), neque *subtilis*, *acutus*, *brevis* (quae Pericli tribuuntur, Orat. II, 22, 93, quemque *latius et copiosius* dixisse tradit Orat. 4, 14, sq.) sed disputator Stoicus, qualem in Prooem. Paradox. describit Cicero: conf. Orat. II, 38, 159. Orat. 32, 113.

praecepta salutis et laudis) Summo iure Davisium reprehendit Moserus, corrigentem *salutis et voces*, et Ernestum miratur, quod *laudis* recepisse se dicat, dum melius quid inveniatur. Sed ipse *laudem* perperam interpretatur, rem laudabilem, et virtutem. Est ubi hoc valeat: nunc quidem *laus* eadem fere quae dignitas, honor: neque alio modo cum *salutis* mentione coniungi poterat. Duplex igitur praeceptorum genus ponitur, quorum alterum eo pertineret, quo quis modo *salutem* obtineret, i. e. servaret ac defenderet se in re publica:

alterum, quo modo *laudem* in re publica consequeretur, i. e. dignitatem, et honoratus esset. In Planc. 2, 6, *laus* cum *dignitate*, non cum *virtute* iungitur. Tum ad Div. I, 7, 8, *salus* et *laus* sic coniunguntur, *multum interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur:* et quae *laus* intelligenda sit, e proxime antecedd. verbis intelligi potest.

factaque et consulta — monumentis prodere) Perperam Turnebus haec ad historiae scriptionem refert. Subiicitur sane reliquis oratoris laudibus historiae ab oratore conscribendae officium, Orat. II, 9, 36: verumtamen in praesenti disputatione propria oratoris officia recenset, cogitandumque potius de instituto actionum literis mandandarum edendarumque, quale consilium in multis secutum esse Ciceronem constat: et hinc est id, quod dixit Philipp. XIII, 19, 40, *quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum sempiternae memoriae.* — In seqq. *quae quum tot res tantaeque sint —, earum —,* pronominis usum explicat Stuerenbergius ad Arch. p. 139, et notavi supra p. 339, ad Cap. 7, 23. — Tum melius nunc esse puto, quod optimi libri habent, *ab his*, quippe qui efficacius demonstrandi sunt.

laudata quidem a te graviter et vere) Non spernendum quod Moserus postulat, *laudata ea quidem —*: solet enim pronomen praemitti coniunctioni *quidem.* Contra, proba est lectio plerorumque librorum, *quorsus hoc pertinet*, i. e. laudari a te sapientiam, aut philosophiam.

§ 63. *quae tanta esse volumus*) I. e. tam magna, quam illa, de quibus hucusque egi, non exigua, qualia iurisconsulti tractabant: conf. Cap. 4, 14.

non enim sunt) Non nisi deteriores mei habent *erunt*, contra loci sententiam, ut puto. Neque enim futuram earum rerum magnitudinem et gravitatem intelligebat Cicero, sed praesentem.

quaeque me eum, quicumque sum, effecit) Non memini

alibi sic locutum esse Ciceronem, *philosophia efficit quem talem.* E corrupto δ. *efficixit,* coniiceres lectum fuisse *effinxit*: sed ne hoc quidem verbum commode sic usurpatur, certe longe diverso modo ponitur Nat. D. I, 23, 65, ad Epicurum, qui ad omnia abutebatur atomorum regno et licentia; *hinc, quodcumque in solum venit — effingis atque efficis.* Et tamen, sicut natura quem *fingere* dicitur, et suam cuiusque fortunam mores, ita philosophia, quam quis e disciplina percipit, fortasse recte *effingere* dicitur: ita ut optimorum librorum lectio *efficit* non corrigenda sit *effecit*, sed *effinxit.*

vero facis merito —) Reliquimus haec, sicut in optimis libris erant, nisi quod in iis, iterata praeced. syllaba, scribitur *revera. Vero*, in responso initio positum, illustrarunt Moserus ad Divin. I, 46, 104. Orell. ad Tusc. II, 11, 26. *Et ipse* parum prudenter recentissimi Editores sustulerunt. Sed Madvigius, qui Emendatt. p. 58 recte eadem servanda ducit, minus recte, credo, locum interpretatur sic: »et ipse recte facis (in philosophia laudanda), »et res ut ita faceres exigebat:" eaque sic accurate respondere putat iis, quae Marcus dixerat. Vim ita fieri puto tum Latinitati, tum sententiae, quae certe languida exit. Duo potius illa, per quae respondet Atticus Marci verbis, haec sunt, *facis et merito, et ipse*, quorum illud respondet his *recte cet.*; hoc priori *libenter;* neque aliud quidquam significat *et ipse* nisi, et tua sponte, ita ut proprium tuum hoc munus laudandae philosophiae sit. Sic excluditur id, quo Madvigii interpretatio nitebatur, ut *et* — *que* in sententiae partibus ponerentur, quod rarissimum esse supra notavimus ad Cap. 10, 30: conf. ad Cap. 21, 54. Nam *fuitque id* cet. pertinent ad superiora, *primum ad ea* cet.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

§ 1. *quoniam est satis iam ambulatum*) Melius fecissem si secutus essem potiores libros, hoc ordine servato, *quoniam et satis iam ambulatum est:* nam tum requiritur illa distributio *et — et*, tum non offendi oportet in *ambulatum est — sumendum est.*

nam id opinor illi alteri flumini nomen esse) Rectissime Madvigius Emendatt. p. 59 refutavit Goerenzium, qui his verbis Lirem designari putabat. Et mira est Creuzeri annotatio, quasi qui dicat, vel de Fibreno, vel de Liri loquitur: tutius certe divinari non potest. Pronom. *id* inserui ex uno alteroque libro: eodemque utitur Fin. V, 2, 4, *paene unus ex Atticis, ut id etiam cognomen videatur habiturus* Non reprehenderem *est* (pro *esse*), quod Lagom. 39 habet.

sive aliquid scribo aut lego) Sic et alii habent, et A. Nec sane eadem ratio est huius loci, quae ad Div. IX, 20, 3: *ubi salutatio defluxit, literis me involvo, aut scribo aut lego:* Fin. II, 33, 107, *quum aut scribis aut legis.* Nunc etiam coniuncte haec in distributionis (*sive — sive*) altera parte dicuntur. Propterea aliorum librorum lectio, *sive aut quid scribo*, correctio esse videtur, in qua tamen collocatio, ut *quid* seiungatur a *sive*, non ferenda est, neque ad eam defendendam advocari possunt exempla traiectae partic. *aut*, sicut in Sext. 46, 99. Fin. I, 10, 33, ubi vid. Madvigius.

§ 2. *qui nunc potissimum huc venerim*) *Potissimum* servant omnes mei, quibus quidem auctoritas tribuenda

sit: *primum* nihil est nisi aliorum interpretatio: nam et supra I, 7, 21, *potissimum* eo modo dicitur, neque, quod Goerenzius volebat, referendum est ad laetum anni tempus.

quos isti nilos — vocant) Non dubitandum est quin *isti* dicantur cum invidia, quasi ipse loqueretur Marcus. Sunt enim intelligendi ii, quos ad Att. I, 19, 6 et 20, 3, *piscinarios* appellat, quosque aliquoties in illo Epistolarum volumine eodem pronomine designat.

de lege et de iure) Perperam in deterioribus libris alterum *de* omittitur; id quod non nisi in iis fieri licet, quae necessario, aut ex formula coniuncta sunt.

ad requietem animi delectationemque) *Quietem*, quod alii habent, excludit loci sententia. Sed alio modo iunguntur haec Offic. II, 2, 6, *sive oblectatio quaeritur animi requiesque curarum:* intelligo *animi* iungi cum eo, quod primo loco ponatur. Commodissime autem haec opinio Attico tribuitur, qui ut Epicureus voluptates etiam a natura repetat, sicut Marcus legem et ius. — Mox, quod unus et alter habent, *ante admirabar*, ortum ex ignoratione, *admirari* numquam iungi cum accusat. et Infinitivo.

saxa et montes) Hinc ad Att. II, 15, 3, *ego vero in montes patrios et ad incunabula nostra pergam.* In Frontone Princip. Histor. p. 242, ed. Berol., *Arpinas paupertas* de locis, non de hominibus accipiendum puto. Hinc convicium Clodii explicandum, ex altercatione illa memoratum ad Att. I, 16, 10: *quid homini Arpinati cum aquis calidis?* quae quum leviter immutata legantur in fragm. in Clod. et Curion. p. 101. Beier., Peyronus putabat editam orationem a recitata discrepasse: sed distinguenda erat ipsa altercatio ab oratione, in qua ea narratur. Melius erat in illo fragmento langidum interpretamentum agnoscere *agresti ac rustico:* satis intelligebatur qualis esset *homo Arpinas.* Sext. 22, 50, de C. Mario,

ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii huius, de locis accipiendum, non de civili conditione. — Mox, meliores libros secutus, servavi *itaque*, pro *idque*, quod non indiget commendatione.

orationibus inducebar tuis et versibus) Moserus non putat proprie *orationes* Ciceronis h. l. cogitandas esse; sed esse posse expositiones eorum, quae quis mente conceperit. Atqui sic *oratio*, non *orationes*, solet usurpari, neque ea *versibus*, sed omnino scriptis opponitur: ad Div. XI, 12, 1, *ex tuis literis et ex Graeceii oratione:* ibid. XII, 26, 1, *ex eorum oratione intellexi.* Contra ad Div. XV, 4, 12, *sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis — te omnibus anteferrem:* Orat. 37, 130, de suis scriptis, *sed apparent in orationibus, etsi carent libri spiritu illo:* Fin. IV, 3, 5, *sed etiam exempla in orationibus reliquerunt*, intelliguntur Peripateticorum λόγοι προτρεπτικοί, παραμυθητικοί, παραινητικοί, similesque, quales indicantur § 6: itaque consilio sic scripsisse videtur. Sed errarunt Goerenz. et Moserus, quum putabant in superstitibus orationibus nihil deprehendi de saxis illis et montibus. Praeter illa quae modo indicavi, eodem referenda haec ex Planc. 8, 20, ubi de se et de fratre agens, *quorum honoribus*, inquit, *agri prope dicam ipsi montesque faverunt:* ibid. 9, 22, de eodem tractu, *tota denique nostra illa aspera et montosa — regio.*

sed mirabar) Tritissima est haec instaurandae sententiae forma: sed agnoscenda erat in hoc loco, Offic. I. 9, 30, interpungendumque, *Est enim difficilis cura rerum alienarum (quamquam — putat), sed tamen —.*

§ 3. *amoenitatem hanc et salubritatem*) Utrum pronom. illo loco, an post *salubritatem* ponendum esset, non diiudicandum erat ex usu quodam Ciceroniano, sed videndum quid sententia postularet. *Amoenitatem hanc* dixit, quippe quam nunc maxime oculis percipiebant: *salubri-*

tatem hanc dicere non poterat, quippe quam Atticus certe nunc aestimare non poterat, et tamen operae pretium erat id commemorari, quod non poterat de villis, quae Romae viciniores erant (ut de Pomtino, Orat. II, 71, 290) affirmari. *Amoena* quae dicantur, vid. Cortius ad Salust. Catil. XI, 5: et in primis in villis laudabatur *amoenitas*, ut ad Div. VI, 19, 1.

quae te non attingit ita) Partic. *ita* sic in fine adiecta dudum viris doctis displicuit; sed bene eam defendit Goerenzius, nisi quod hiatum sic vitari dicit. Handius prius corrigere iusserat — *attingit. Att. Itane? quae tandem —:* post, Tursell. III, p. 498, — *te non attingit item.* Sed horum alterutro si usus esset Cicero, non nimis humaniter locutus esset. Omnino quae ratio mutandi fuit Handio, eam probare nullo modo possum. Demonstrat enim p. 490 sqq. (n°. 18), et altero loco, quem indicavi, non posse disiungi formulam *non ita*, tum praemitti oportere vel verbo, vel adiectivo, vel adverbio. Sed non attendit propterea dici non posse, v. c. *non antiqua ita*, quoniam *antiquum*, ut reliqua adiectiva et adverbia, modum accipere possunt, ita ut cogitare liceat alia magis antiqua: contra in verbo *attingit* fieri hoc nullo modo posse, si quidem alterutrum tantum cogitari potest, vel *attingere*, vel *non attingere*. Et frustra quaesivi in iis, quae recitantur ab Handio, unum exemplum, in quo *non ita* praemitteretur verbo: nam quae p. 492 (n°. 19) excitat, ut demonstret »cum iis etiam verbis *ita* »et *non ita* componi, quorum notio gradationem admit»tat," prorsus aliena sunt, cunctaque ad illum partic. *ita* usum referenda, quem (Handium castigans) rectissime explicuit Madvigius ad Fin. II, 6, 17, init.; rursusque, quae apponuntur p. 498, diversi generis sunt, si quidem Fin. (non Acad.) V, 26, 77, *ita* tum in epexegesi ponitur, tum respondentem sibi habet partic. *ut*, quemadmodum in altero exemplo Divin. II, 2, 6. Equidem, dum apta

exempla proferantur, putabo Ciceronem scribere non potuisse *non ita attingit*, nisi forte in comparatione diserta, ut *non tam — quam.*

si verum dicimus) Bene defendit haec Goerenzius adversus Davisii et Ernesti dubitationes: conf. Cortius ad Epp. ad Div. XII, 8, 2, Beier. ad Offic. III, 20, 80: et *vere dicam*, de quo Garaton. ad Sext. 9, 22.

hic enim orti — sumus) Primum omittendam censeo (ut in D omittitur) part. *enim*, quae interrumpit anaphoram: sunt enim haec arctius, sine media distinctione, continuanda cum illis, *haec est mea — patria*, itemque cum reliquis, usque ad *esse natum*, quod interpungendo indicavi. *Hic* servavi ex optimis meis, et sic citavit Sigonius ad Liv. IV, 1, 2, falliturque Moserus, qui *hinc* desiderari dicit: satisfacit ei, quod vult, *stirpe antiqu.* Nec spernendum est, quod in iis libris, quos secutus est Gruterus, legitur *antiquissima*, non adiecto *sumus*. Scilicet legendum *antiqua sumus:* illud mendi genus frequentissimum est. Et sane satis erat Ciceroni dicere *antiqua:* alterum vanum esset, conf. Brut. 16, 62: nam Tusc. I, 16, 38, iocans loquitur; conf. Corradi Quaestura p. 24. sq.

hic sacra, hic genus) Perperam Gronovius quoque Obs. I, 8, citat *hic gens, hic sacra.* Ceterum non intempestiva tota haec explicatio, quippe vix Brutus norat cuius esset municipii Cicero: ad Div. XIII, 11. init.

lautius aedificatam) Qui *latius* praeferunt, utuntur oppositione *parva villa.* Sed primum *parva villa* intelligi quoque tenuis potest, et in Curio certe debet: tum magis convenit *studio* Marci patris, *lautius* ut aedificaret, quam *latius.*

ut illa Curiana in Sabinis) Ambitiosa comparatio: nam Curius quoque primus ex illa familia consulatum adeptus erat: conf. Muraen. 8, 17. Sull. 7, 23.

in animo ac sensu meo) Dicitur ex cumulatione, ut Orat. I, 2, 6, *animo et cogitatione:* ibid. 3, 12, *intelligentia sensusque.* Sed satis haec nota sunt. Illam animi

delectationem e patriae conspectu oriundam multi ornarunt, et Camillus apud Liv. V, 54, 3, eleganter enunciat.

siquidem etiam ille sapientissimus vir —) *Siquidem* exemplis praeponitur quibus quid defenditur: ut Orat. 19, 62. Ceterum intemperantius mihi illa Ulyssis similitudine uti videtur, tum hic, tum Orat. I, 44, 196; et delectari ea adeo videtur, ad Att. II, 11, 2. De nominum propriorum interpolatione utiliter monuit Goerenzius: conf. Bremius (Philol. Beytr. I. p. 187.), et Wunderus in Praefat. ad Var. Lect. Cod. Erf. passim..

immortalitatem) Frustra quaeras in vulgaribus Indicibus, hoc nomine vitam hanc praesentem perpetuam significari, sicuti Philipp. X, 10, 20. Lael. 3, 11. Planc. 37, 90. Sext. 54, 115. Tusc. V, 2, 5: ut *immortalis*, Milon. 7, 16.

CAPUT II.

§ 4. *vere dicam*) Tres quoque de meis, *verum dicam*. Alterum bene defendit Moserus, (qui tamen Rathium corrigens ipse locum Verrinarum falso indicat: est enim V, 69, 177): add. Planc. 26, 64.

sum illi villae amicior modo factus) Non aptum esse pron. *illi*, de villa in qua nunc maxime erat Atticus, agnoscendum est; et proprie magis statim subiicit, *atque huic omni solo*, sicut modo dixerat *hunc locum*. Quare non quidem recipiendam puto correctionem, *ipsi*, quae est in nonnullis libris, sed *isti*. — Tum ferendum non est *modo:* melius legetur *amicior etiam factus*, cuius lectionis vestigia deprehendere mihi videor in Ambr. *a. amicior et amodo.*

movemur enim nescio quo pacto —) Similes locos conferens notaveram Fin. I, 20, 69, eademque ratione correxeram, qua nunc editum video a Madvigio, nisi quod, deleto *si*, legebam, — *si equos ludicra exercendi*

aut venandi consuetudine, sicut alibi et *exercitatio ludicra*, et *ars*, dicitur: neque enim memoratis *gymnasiis*, *campo*, *canibus*, *equis*, generale his nomen subiici attinebat, *ludicra*, ut vult Madvigius.

me quidem ipsae illae nostrae Athenae) Diiudicandum esset uter ordo praestaret, *ipsae illae*, an *illae ipsae*, nisi *ipsae* h. l. incommode interpositum mihi videretur. Quod enim demonstrare vult Atticus non magis illud de Athenis, quam de quavis alia Graeca urbe valebat: sed utitur hoc exemplo, quoniam arctius ipsum attingebat, qui Athenis in primis delectaretur. Corrigendum censeo, *me quidem ipsum* —, itaque ex generali observatione (*movemur enim*) transit ad ea quae ipse sentiret.

non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus) Manifestum est in his *praesentem* istarum rerum adspectum opponi *recordationi* eorum, qui prius fuissent. Itaque minus aptum est *antiquorum* artes commemorari, quippe nihil attinebat ad illam delectationem cuius eae artes essent aetatis. Corrigendum suspicor *Atticorum*, (quo genere corrigendi supra usus sum I, 1, 3. p. 274), intelligendumque ut reliquarum excellentiarum, sic *artium* quoque principatum Athenis concedi et Atticis. Nec tamen *artes* puto pro ipsis operibus artificum dici, quo modo interpretari videtur Turnebus: concedatur hoc Horatio Carm. IV, 8, 5, in Cicerone nullum exemplum reperi. — Mox, tam *sedere*, quam *disputare* ad philosophos referendum: conf. Fin. V, 1, 2. sq. — *Recordationes*, quod in meis quoque invenitur. non tam propter nescio quem »concentum loci," ut ait Goerenzius, spernendum est, quam quod in genere loquitur Atticus, nec alio tempore aut aliunde alias recordationes fieri indicare vult.

§ 5. *et quidem*) Sic e deterioribus edidi libris, quoniam affirmationi (*equidem*) in hoc responso locus non erat, sed potius correctioni, qua velut expleret Atticus id, quod Marcus dixerat.

idem ego te accipio dicere Arpinum) Nulla alia videtur his verbis subesse sententia posse, nisi ut dicat Atticus, »quem tu locum indicasti, eumdem esse intelligo quod »Arpinum." Sed quis tam insulsam explicationem in Attico exspectaverit? quem minime fugere posset, quum Cicero dixisset *hanc suam germanam esse patriam*, non villam istam tantum intelligi, sed Arpinum. Praeterea laborat Latinitas; siquidem *accipere quid* recte dicitur, non item *accipio te dicere:* tum, qùorsus *ego?* quasi gravis quaedam opinio enunciaretur. Invideo viris doctis qui haec vel concoquere, vel explicare potuerunt. Mihi nullo modo ferenda videntur, et, quamquam fortasse violentiori coniectura, legendum esse, *quem soles de municipio dicere Arpinum.*

numquid vos duas habetis patrias) Ex lectione Burn. *δ*. (*duos duas*) intelligi potest, quomodo in bonis libris *vos* omissum fuerit. Et requirebatur pronomen in ea interrogatione quam cum irrisione urgebat Atticus.

an est una illa patria communis) Satis nunc cognitum, *an* sic poni in interrogatione, ut praecipiatur quid affirmandum sit: conf. Madvigius ad Fin. V, 14, 40, init. Grysar. quoque (Theor. Lat. Stil. p. 548) alienissima confundit: neque Moserus lapsus esset in Divin. II, 13, 31, si Madvigium Epist. Crit. p. 77. cognoscere potuisset. (In eodem Divin. loco, quae sequuntur prava sententiae forma laborant, legendumque est, sublato interrogandi signo, *etiam futurum esse — praesentiunt.*) *Illa*, intelligenda videtur Roma.

duas esse censeo patrias) Possit videri h. l. corrigendum esse *sentio:* conf. ad Cap. 13, 32.

municipibus duas esse — patrias) Totum hunc locum sic videtur Cicero explicare contra receptam Romanorum opinionem, ideoque novum hoc Attico visum est, et ipsi rerum istarum peritissimo. Municipes enim Romam patriam appellabant: conf. Garaton. ad Milon. Cap. 34.

Pariter tamen *utriusque patriae* meminit Senatus Fundanorum, quod municipium erat, apud Livium VIII, 19, 11. In foedere cum Latinis hi concedebant ut Roma esset *patria potior, et Romani omnes vocarentur*, Liv. VIII, 5, 6. Ciceroni, ut Arpino patria gloriaretur, causa certe fuit quod vulgo contemnebantur municipes, et inquilini, aut peregrini adeo ab invidis appellabantur: conf. Planc. 8. Sull. 7, 22. sqq. Philipp. III, 6, 15. sqq. Salust. Catilin. XXXI, 7. Vell. Paterc. II, 128, 2. Lipsius ad Tacit. Ann. IV, 3.

ut ille Cato — susceptus est) Interpolatum esse puto nomen *Catonis*. Sed non assentior Handio Tursell. III. p. 471, totum hoc in una continuatione sententiae cum seqq. (*ita — alteram iuris*) accipiendum esse in forma comparationis (*ut — ita*), aut ut postremum in conclusionis forma diceretur. Etenim neque aequalia componuntur, neque quidquam concluditur, quum nullae sint praemissae. Comparatio instituitur in seqq., *ut vestri Attici — sic nos:* Cato cum Catone non confertur. Conclusionem continere extrema concederem, si abessent haec, *quum ortu — Romanus*, quibus iterantur praecedentia. Melius igitur hoc exemplum partic. *ita* retulisset Handius ad eam rationem, quam explicat p. 485. fin. sq.

ut vestri Attici) Excidisse ante haec videtur copula *et:* neque enim huiusmodi similitudo ἀσυνδέτως subiici potuit praecedentibus: conf. Schol. Hypomn. II. p. 66.

priusquam Theseus — et Attici) Magno consensu libri mei servant *priusquam*, a Manutio ac deinceps ab aliis mutatum in *postquam:* quam correctionem necessariam puto. Ante Theseum enim Attica κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο, quarum singulae erant αὐτόνομοι, suasque sibi non tantum curias habebant, sed omnino extra regis aut communis imperii auctoritatem suas res tuebantur. Quomodo igitur horum conditio, quum nullo communi civitatis et imperii vinculo inter se continerentur, conferri potuit

cum municipum conditione, qui praeter illam patriam in qua nati erant, aliam habebant *qua excepti erant?* Hanc communem patriam et civitatem Attici Thesei demum institutis debuerunt: eiusque historiae auctorem Cicero nunc unum Thucydidem sequi videtur, II, 15. *Postquam* et *priusquam* inter se confundi, non novum est: conf. Var. lect. in Livio XXXVII, 4, 6. Quod autem dicitur *demigrare ex agris et in astu omnes se conferre*, minus accuratam esse puto interpretationem eorum verborum quibus Attici scriptores in ea re utuntur, ut Thucydides l. c. ξυνοικίσαι et ξυντελεῖν εἰς μίαν πόλιν. Et fieri potest ut Cicero ipse non perspexerit earum locutionum vim. Livius XXXI, 30, 6, in eadem re, dicit *in unam urbem contributi:* sed satis constat, τελεῖν, et συντελεῖν εἰς, nihil commune habere cum domicilio, sed pertinere ad civitatis unius auctoritatem: quamquam Popponi ad Thucydidis l. c., quippe verbis Livianis ad interpretandum utenti, non liquere videtur: »est plane »Latinum, inquit, *quum omnes contributi essent:*" itaque lectorem incertum dimittit. — In postremis huius loci repraesentavi unum alterumque Codicem (neglectis reliquis monstris,) quippe quorum lectio proxime a vero aberat; quod quum hoc esse coniecissem, *et sui erant iidem et Attici*, laetus vidi in idem incidisse Madvigium Programm. cit. p. 15. Aliae coniecturae hoc tantum demonstrant, quam ingeniosi simus nonnumquam in perversis defendendis: nam neque φρατρίαι sunt huius loci, neque δῆμοι, in Valckenaerii coniectura inedita, *sui erant demi et Attici.* Sed talia arguere accuratius aliam requirit disputationem.

eam patriam ducimus — qua excepti sumus) Non intercedo nunc quo minus alterum *dicimus*, i. e. appellamus, probetur. Sex vix abesse posse puto praepositionem in extremis, necessarioque scribendum *a qua excepti sumus.*

qua rei publicae nomen universae civitatis est) Sensu cassa sunt. Madvigius Emendd. p. 61, excogitavit, *e qua populo Romano nomen universae civitatis est*, » i. e. unde » nomen ductum est omnis huius, in qua vivimus, civilis » societatis, unde omnes communi nomine cives *Romani* » appellamur." Non puto a Cicerone hanc sententiam isto modo enunciari potuisse. Intelligit sane Madvigius Romam: sed a Roma appellantur quidem Romani, et hoc esset *e qua populo Ro. nomen est:* quid autem eo pertinet *universae civitatis?* Mitto, frigidam esse hanc *caritatis* commendationem, quae petatur ex nominis communitate: contra ad caritatem pertinet *res publica*, sicut Offic. I, 17, 57; idemque si tenemus, neque *civitatis* appellatio quidquam huc pertinet; neque *universa civitas* quid sit intelligi ullo modo potest, quapropter fuerunt qui *universis* corrigerent. Neque haec omnia expedivit T. Baden (Neue Iahrb. für Phil. und Paedag. 1831. II. 2. p. 176.) Conieci sic relictum esse a Cicerone, *in qua rei publicae nomine iuris communitas est:* neque enim difficile est divinare, quomodo ex *nomine iuris* ortum sit *nomine universa*, siquidem apex literae *ū* impositus per errorem syllabam *v̄er* gignere solet, et paullatim ulterius progressa videtur corruptio, sicut apparet ex trium librorum lectione, *nomen universe*. Aptum autem esse *iuris*, conficio e superioribus (*alteram loci patriam, alteram iuris*.)

et cui nos totos dedere) Non probandum asyndeton in Lagom. 10.

itaque ego hanc — negabo) Haec verba, contra Goerenzii suspicionem, propterea servanda sunt, quod absolvunt ea, quae Cap. I, 3, (*haec est mea germana patria*) instituta erant, et proxime praecedentibus adeo debebatur haec conclusio ex generali enunciato in particulare. Eorum quae subiiciuntur postrema dudum, inde a Camerario, damnata sunt (*habet civitates — putat*): sed ne

quae praecedunt quidem esse Ciceronis mihi persuasum est. Igitur explorandae Madvigii rationes sunt, Emendatt. p. 61. sqq., qui servanda censet haec, *dum illa — contineatur.* Pueriliter, omissis his, orationem concludi dicit. Mihi nihil puerile ista conclusio continere videtur. Sed, inquit, breviter ita complexus est, ut et esse eam patriam doceret, et tamen cedere alterius dignitati. Concederem, nisi ipsam illam comparationem supra iam absolvisset (*sed necesse est — dulcis autem —.*) Praeterea, quid est illud quod dicitur, *illa patria maior est?* Quaero locutionis exemplum; nam quod e Curtio excitat Turnebus, longe diversissimum est. Nec magis probandum, *hanc* (naturae patriam) *in illa* (iuris patria) *contineri.* Quid enim est illud *contineri?* Arpinum Romae situm esse? Fieri non potest. Continebat sane imperium Romanum illa municipia: sed patria Roma ipsa intelligitur, non imperium aut ditio. Probari posset eiusmodi sententia, qua diceretur (ut saepe ab utriusque linguae poetis et scriptoribus) interiorem illam caritatem municipii contineri caritate alterius patriae: sed, quod eodem pertineret, posuerat supra. Postremo, *illam esse maiorem*, et *hanc in ea contineri*, vel tautologa sunt, vel oppositionem quamdam efficiunt, quam ne perspicacissimum quidem cernere puto; adeo ut ista nunc eodem acumine dicta esse videantur, ac si scripsisset, *dum illa sit maior, haec sit minor.*

CAPUT III.

§ 6. *Magnus ille noster*) Quando tribui coeptum sit hoc cognomen Pompeio, eruditissime explorat post Spanhemium Dukerus ad Livii Epit. CIII, quem ignorari miror a Mongaultio ad Epp. ad Att. II, 13, multoque magis inscriptionem Ep. 7. lib. V. ad Div., quae diu ante illum Pompeii e Mithridatico bello triumphum scripta est: conf. Leg. Agrar. II, 20, 53. Nihil verius, quam quod Livius

XXX, 45, 7, *coeptum ab assentatione familiari:* hanc quod Cicero in Maniliana compressit, fecit ne invidiam accenderet causaeque noceret. Tum solebant talia a iocis militaribus oriri: conf. ad Livium V, 49, 7.

posuit in iudicio) *Ponere* i. affirmare, sic est Orat. I, 15, 65. II, 53, 214. Brut. 80. 277. Planc. 29, 71. Coel. 7, 15. Fin. II, 10, 31. 26, 83. Hinc Ernestus in Tacit. Annal. VI, 27, defendit *collocavi*. *Pono* iungi cum Infinitivo, supra notavi p. 325, neque abesse Infin. potest, nisi ubi proprie *collocare* sit, sicut Tusc. I, 10, 20, ubi per similitudinem loquitur. — *In iudicio*, quod saepe omittitur, nonnumquam velut ex abundantia additur, ut ad Div. I, 9, 19, med. Brut. 60, 217.

pro Ambio) Tantum tribuerunt plerique editores Manutio, ut, quum hic affirmasset sic exstare in Maffaei libro, quem nemo post videtur inspexisse, omnibus reliquis libris refragantibus reciperent *pro Balbo*. Pro hoc, inquiunt, constat et Pompeium et Ciceronem dixisse. Num minus constat alias quoque causas ab iisdem simul esse defensas? Dubitari potest quoque an, sicut a Cicerone iure Pompeius in illa causa fuit laudatus, tam opportune ab hoc illius laudes commemorari potuerint. Temere igitur Orellius in Onomastico hunc locum ad L. Cornelium Balbum refert. Praesto erat qui restitueretur Ampius, (T. Ampius Balbus), cuius memoriam post Manutium ad Epp. ad Div. I, 3, et Garatonium ad Planc. 10, 25, accurate instauravit Spalding. ad Quinctilian. III, 8, 50, quique utriusque, Pompeii et Ciceronis, familiaritate utebatur. Sed Manutius, quasi infestus esset Ampio, in Caesare quoque B. C. III, 105, ex uno Cod. *Tampius* malebat, quam *T. Ampius* legere (sicut aliquoties *L. Aelius* in *Laelius* abiisse constat), »quum Tampiorum quoque »familiam Romae fuisse" videret. Hoc Glandorpius Onomast. p. 51. b. parum accurate ex Manutio refert, nisi forte editor Glandorpii manum corrupit: vere enim hoc dicitur

Tampiorum nullum usquam exstare vestigium. Pariterque errat Ursinus ad Suetonii Caes. 77, init., cuius me admonuit Ravius meus. Alias suspiciones ne commemorare quidem lubet, nisi quod Turnebus perperam *Gabinium* hic intrudere voluit, quem sane defendit Cicero rogatu Pompeii, sed qui causam dixit repetundarum reus Coss. L. Domitio Ahenobarbo, Ap. Claudio Pulchro, A. U. 700, quum Atticus Roma aberat in Graeciam profectus: ad Att. IV, 14, sqq. Ceterum quo anno hoc Ampii iudicium fuerit, difficile est definire: sed credibile est incidisse in A. U. 701 aut 702, quorum annorum nullae sunt epistolae ad Atticum, ut alterutro certe Romae fuisse Atticum suspicari liceat. Quod autem dicitur *tecum simul diceret,* haud inepte fortasse quis ad illum annum (702) pertinere putet, quo ex lege Pompeia causae a pluribus etiam defensoribus eodem die erant perorandae: *cum aliquo* causas agere, de aliis sane temporibus usurpatur, sicut Ligar. 10, 30: sed *una tecum* (ut h. l. *tecum simul*) ex illa aetate dicitur Brut. 94, 324. Quod ad consuetudinem plurium patronorum attinet, corrigendum certe erit in Brut. 57, 209, *si uno tempore dicatur a pluribus:* nam quod editur, *dicas pro pluribus*, vix se tueri potest.

duo sui conservatores exstitissent) Ne ipse quidem Cicero a talibus abstinuit. Sull. 7, 23: *fateor, et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum iam salus huic urbi imperioque missa est.*

ut iam videar adduci, hanc — esse patriam tuam) De hoc usu verbi *adduci*, sequ. *ut*, aut Infin. cum accus., praeter Matthiaeum De Anacoluth. p. 24. et ad Sull. 14, 40, et Moserum ad Divin. I, 18, 35, vid. Madvigius ad Fin. I, 5, 14. p. 32. — *Procrearit* ut mallem edere, quam *procreavit*, fecit *quae*, quo relativo h. l. rationem reddi indicatur: neque enim ista *quae te procr.* mera adiectio aut explicatio est. — *Tuam* necessario servandum fuit, ut recte sensit Orellius.

ventum in insulam est) Temere Ambr. γ. *ventum est in insulam*. Alterum ordinem, ut post particip. *est* reiiciatur in finem, amat Cicero: conf. Madvig. ad Fin. V, 29, 86. p. 772. Non recte Ernestus haec verba Quinto tribuit. Rectissime sic loquitur Atticus, quamquam nunc *primum* huc venisset: supra enim ipse indicaverat, quae tum in conspectu erat, insulam Fibreni: tum haec admiratio, quae mox significatur, non nisi Atticum decet de tribus. In hac insula cogitavit Cicero aliquando Tulliae ἀποθέωσιν condere: ad Att. XII, 12, 1.

hoc vero nihil amoenius!) Edidi *hoc* ex E, pro *hac* quod reliqui fere omnes servant, quod amoenitas illa ad totum situm, quaeque circumdabant insulam videtur referri, nec tantum ad modicum illud spatium. Tum aliorum librorum auctoritate omisi *est*, utpote in exclamatione. Fin. II, 3. init., *hoc vero optimum!* Eademque de causa recte *est* abesse ab ea interrogandi formula, quae exclamandi similitudinem habet (*nihil stultius*, cet.), demonstravit Beierus ad Offic. II, 15, 54. p. 104.

etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus) Edidi *etenim*, in quod Davis. coniectura inciderat, ex Ambr. γ. Novi partic. *ut* in admirationis exclamatione usurpari: sed neque exclamationi convenit coni. *enim*, nec magis huic generi apta est tam longe verborum series, in qua singula explicantur eiusmodi, ut in descriptionem cadant, non ut spectatorem percellant, sicut infra Cap. 15, 39. — *Rostri* nomen eleganti metaphora transfertur, si cogitamus qua forma oblonga et in apicem, adversum fluvio, exeunte istae insulae esse soleant quas fluminis vis dilapsa alluit. Similes locutiones, (ut aliquid Creuzeri copiis addamus) notaverunt e Graecis et Latinis Sigonius et Gronovius ad Livium XXI, 27, 4. Tacitus Ann. II, 6, de Rheno, *modicas insulas circumveniens:* quod exemplum nollem alienis interpositum a Cortio ad Salust. Iug. LVII, 2. Livius XXI, 31, 4, *Arar Rhodanusque amnes diversi ex*

Alpibus decurrentes, agri aliquantum amplexi confluunt in unum.

quod satis sit) Otiosam esse Lambini correctionem, *quoad*, evincunt quoque notata Gronovio ad Liv. XXVI, 32, 6. — *Palaestra*, aliaque eiusdem generis in Romanorum villis declarant insanum studium imitandae Graeciae: conf. ad Div. VII, 23, 2: Verr. V, 72, 185.

tamquam id habuerit operis ac muneris) Schwartzii notam ad Plin. Panegyr., quam commendat Cruezerus, (qui tanti fecit hanc admonitionem, ut eam iteraret ad Divin. I, 32, 71), reperire non potui. Sed locutio translata est de redemtoribus operum: et aliena confundit Ellendt. ad Brut. 54, 200. — *Effecerit*, quod optimi libri tenent, bene in deterioribus correctum est.

quasi in familiam patriciam venerit) *Patriciam familiam*, quod duo de meis habent, recte repudiatur a Mosero. Creuzerus quum dicit eleganter h. l. Tullium *venerit* scribere quod alibi dicatur *adlegi*, parum ipse eleganter interpretatur, si quidem vitiosissime scripturus fuisset Cicero, si dixisset *in familiam patriciam allectus sit*. Potius cogitandum eum hoc simplici verbo usum esse, non *transfusionis*, aut *infusionis*, quorum utrumque cum corruptionis significatione coniunctum esset: cf. Bibl. Cr. N. III, p. 222. sq. Ceterum, quamquam constanter servant Codd. *venerit*, suspicor legendum esse *veniret:* alio enim modo dicebatur *tamquam id habuerit* —, de re absoluta, alio nunc dicitur *quasi veniret* de re identidem continuata. — Mox *umquam attigi*, quod Lagom. 127. habet, enotatum erat ex Asc. 2. apud Moserum.

quod in Phaedro Platonis facit Socrates) Platonem sequi se supra I, 5, 15, commodissime dixerat, quum ageretur de toto instituto huius diei et sermonis: in tam minuta re (*pede flumen tangere*) vix credibile est aut Socratem, aut Platonem fuisse excitatum: neque mox, verbis *considamus in umbra* addit *sicut Socrates et Phae-*

drus faciunt; neque infra Cap. 27, 69, quum *hoc praesertim die* dixisset, monet similiter Phaedrum loqui p. 229, A. Longe diversissimum consilium est Orat. I, 7, 28, ubi de industria totam illam Platonis in Phaedro σκηνογραφίαν persequitur. Ilissi ὑδάτιον (Cic. *aquulam*) appellat Socrates, utpote aestatis tempore; ceterum torrens erat: conf. Wordsworth. lib. cit. p. 161.

§ 7. *est vero ita*) Utrumque per se affirmat, tum *est ita*, tum *vero:* sed coniungi illa nullo dum exemplo confirmatum vidi. Praeterea quid opus erat affirmari? praesertim post admirationem. Nihil adiuvant libri, in quorum uno alteroque est, *est ne* (aut *nec*) *ita*. Equidem ferrem *sit ita*, quo modo Ciceronem decet de suae villae amoenitate respondere.

huic amoenitati — concesserit) Bene repudiatur virorum doctorum correctio *amoenitate:* deque ea forma similitudinis enunciandae conf. Beier. ad Offic. I, 22, 76, p. 176. Arntz. ad Plin. Panegyr. 35, 4. Pro *quam* magno consensu corrigunt *quemadmodum:* poterit facilius corruptum esse ex *quantum*. Nondum cognitum Marco erat Attici in Epiro praedium quum scribebat Ep. 16. lib. I. ad Att. extr. *Thebanus* aptissime corrigitur in *Thyamis*, cuius fluvii nomine Attici praedium significari videtur ad Att. VII, 2, 3.

exigis — deberi potest) Translata de pecuniae creditore. Sic *exigere* Brut. 4, 17. Fin. II, 22, 73. Lael. 9, 31: ex eademque ratione explicandae sunt locutiones Verr. I, 40, 103. III, 46, 109: quae monenda sunt propter Indicem Schutzianum. Salust. Iug. LXXXV, 37, *nobilitas — honores quasi debitos a vobis repetit*. Suetonius Aug. 66, *exigere benevolentiam*, ubi annotavit Ruhnk: Plato Politic. p. 267, A, καθαπερεὶ χρέος ἀποδέδωκάς μοι τὸν λόγον. — Mox, in verbis *et tibi*, perperam Goerenzius *et* pro *et sane* positum dicit: nihil enim nisi continuatur praecedens *praeclare exigis: at — arbitrabar* in parenthesi

ponuntur: igitur ab eadem falsa interpretatione vindicandi sunt hi loci, Fin. I, 7, 25. Orat. 21, 70 et Orat. II, 22, 93.

A Iove musarum) Contra omnes Codd. recepi verissimam correctionem, quam res ipsa indicabat. Dictum ipsum longe antiquissimum, et ante Aratum usurpari solitum: conf. Valck. Diatr. Eurip. p. 287. A. In hoc ipso legum constituendarum argumento Platonem imitatur, Legg. IV. p. 712, ut monuit iam H. Stephanus Schediasm. III, 3. Diversum est hoc, quod Plato Rep. IV. p. 427, B. legem religionum Apollini Pythio permittendam censet. Quam sint talia vetusta, suspicari licet ex illo Nestoris apud Homerum Iliad. IX, 97, *ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ᾽ ἄρξομαι*. Conf. Ruhnk. ad H. in Bacch. 9, et Plato Euthyd. p. 301. E: tum Romani idem servarunt: vid. Peerlkampius noster ad Horat. I. Carm. 12, 13. — Mox *item* ex optimis meis servavi, prae *itidem*, quod aliis placuit: intelligit autem supra quoque a diis exordium disputandi ductum esse, I, 7.

CAPUT IV.

§ 8. *ad leges singulas, vim naturamque legis*) Interpretatur id, quod Graeci dicunt *τοὺς νόμους* (singulas leges), et *αὐτὸν τὸν νόμον*· sicut apud Platonem Phaedon. p. 78, D. E. et passim. — *Quum referenda sint* bene servatur, sed imperite defenditur a Mosero: primum enim *quum* causale est: tum, si temporale esset, tamen in suspensa oratione inclusum ex *ne*, Coniunctivum requireret.

errore sermonis — vim sermonis eius quo —) Nihil agit Moserus quum defendit repetitionem illam, *sermonis — sermonis*, quae ne est quidem repetitio appellanda. Non quaeritur h. l. quae sit *vis sermonis;* sed vis naturaque legis est *id, quo iura definienda sunt:* eoque pertinet

pronom. *eius: sermonis* interpolatum est. *Qua*, pro *quo*, in quod inciderat Wagnerus, habet E: sed incommode ad *legem*, aut ad illam definitionem (*vim nat. l.*) refertur relativum. — Quare mox servandum sit *definienda sint*, nec ex nonnullis libris probandum *sunt*, explicat ea ratio qua usum video Madvigium ad Fin. II, 5, 15. p. 162.

sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret) Ita recte, non *regat*, quippe in aliorum sententia commemoranda dicitur: conf. Madvig. ad Fin. III, 20, 67. p. 463.

ita principem — dicebant) Potuerant haec sic continuari cum antecedentibus, *sapientia, atque principem*, omisso *dicebant:* sed praestat illud, ut in nova forma eiusdem placiti.

ratione aut cogentis aut vetantis dei) *Ratione* additur, quod ipse deus constat *summa ratione*: fingi enim poterat deum omnia vi, numine, cogere, quod alienum esset a legis definitione. Hinc perspicue Offic. III, 5, 23, *ipsa naturae ratio* (non *natura*), *quae est lex divina et humana.* Ibid. autem, in verbis *natura et iure gentium*, non animadvertit Beierus *ius gentium* tamquam interponi inter *naturae legem*, et *leges populorum;* itaque *et* non esse interpretandum *et quidem*, sed in enumeratione poni: conf. ibid. 17, 69.

ex qua illa lex — est laudata) Recte Davisius corrigi vult *ex quo*, sicut videre me memini nescio in quo libro. Scilicet *ratio mensque sapientis* appellata est *lex* ex eo, quod *ratio dei* summa lex erat. Apparet in hac interpretatione *legem* in praedicato magis quam in subiecto diserte esse memorandam: unde videri possit, quum omnino recte intelligatur, *lex* post *illa* interpolatum esse.

§ 9. *sed — vim istius coelestis legis explana*) Mira accidit haec Quinti admonitio, quum Marcus modo ipse dixisset, *videamus, priusquam aggrediamur ad leges singulas, vim cet.*, quum praesertim gemina utrobique

sequantur, de consuetudine *sermonis*. Nihil credo corrigendum esse; sed unum hoc esse mihi videtur de pluribus indiciis, e quibus conficiam Ciceronem non ad editionem elaboravisse hos libros.

a parvis enim) Corruptiones (*apparuisse*, *apertius*) in antiquissimis et optimis libris sunt: sed facilis erat correctio in uno alteroque, ut videtur, recentissimo libro assumta.

si in ius vocat, atque eiusmodi leges alias nominare) *Unus*, quod unus et alter habet, corruptio est verae lectionis *inius*. Ceterum satis nunc constare puto, non esse supplendum *atque eat* (conf. Exc. IV. Moseri): quumque antiquissimum mendum esse videatur *atque at eiusmodi*, suspicor *at* natum esse ex *al.* i. e. *alias*, tum hoc ipsum, quo tamen indigeret sententia, alieno loco suppletum esse. De *vetita* substantive posito, vid. Madvigius ad Fin. V, 16, 44. init.

vim habere ad recte facta vocandi) Cum Codd. tantum non omnibus omisi *non* ante *habere*, in quo dissentio ab Editoribus. Sententia haec est: istae leges XII tabularum, aliaque populorum iussa, non in singulis illis quae praecipiuntur spectanda sunt, sed universe hanc vim habent, ut ad recte facta vocent, a peccatis avocent, (conf. Orat. I, 43, 194): atqui ea vis non est propria harum legum, sed *senior* est (quae oppositio stolida esset, si diceretur eas vim illam *non habere*), atque adeo aequalis dei: unde conficitur, si quid scripto sancitur, non tum demum ius fieri aut legem, sed cum ipsa orta ratione divina fuisse. Itaque hoc dicitur, quod praestantissimum sit in legibus popularibus, id non esse ab hominibus inventum, sed diu ante viguisse per naturae rationem. Quod Davisius ex Aristotele excitat Polit. III, 9, fluxit ex longe diversa legis et iuris interpretandi ratione, nihilque illud cum praesenti disputatione commune habet.

§ 10. *neque enim esse mens divina sine ratione potest*) Nunc praestare credo quod boni libri habent, *mens divina*

esse: in altero controversia indicaretur utrum omnino mens divina esset: non nisi de necessario accidente sermo est. Ad similitudinem istius Infinitivi, *esse*, in deterioribus libris accommodatum est *habere*, in fine sententiae. Sed recte servatur *habet*, quod respondet alteri Indicativo *potest — esse.* — Mox, *in rectis pravisque sanciendis* praepositionem habet non tam ex illa observatione, quam firmaverunt Heusinger. et Beier. ad Offic. I, 9, 28. p. 64, sed quod ea vis rationis divinae exstare dicitur quandocumque aliquid sanciatur. *Sancire* quid sit, docte explicuerunt Garatonius et Orellius ad Planc. 34, 83. Philipp. XI, 12, 28, de Cassio ex Italia profecto Dolabellae Syria excludendi consilio: *qua lege? quo iure? eo, quod Iupiter ipse sanxit, ut omnia, quae rei publicae salutaria essent, legitima et iusta haberentur:* in quibus corrigo — *salutaria sunt — habentur.* (ibid. § 29. init. legendum *sed ut ea — firmentur*, quoniam pronom. non ad provinciam, sed ad omnia Cassii consilia refertur.)

nec idcirco) Attigi supra I, 11, 32. In Muraen. 35, 73. fin. omittitur *idcirco*, sicut mox Lagom. 10. Initio talis argumentationis *non, si*, bene restitutum in Tacito Ann. XII, 37. cf. XIII, 21, et Parei Lexic. Crit. Mantiss. p. 102. a.

nec si regnante Tarquinio) In praeced. exemplo omittebatur temporis definitio: et necessaria *Sex. Tarquinii* mentio suadere debebat ut patris nomen reticeretur. Tum ne hoc quidem satis esse putaverunt veteres enarratores, sed cognomen etiam addiderunt Tarquinio.

erat enim ratio profecta a rerum natura) Conspirant quidem libri in *rerum natura* (Lagom. 10 *natura rerum*), sed *rerum* inepte insertum puto. Supra I, 6, 18, *insita in natura:* et ubique in hac disputatione *naturae*, non *rerum naturae* mentio fit. Fin II, 18, 59, *nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura.* Eamdem interpolationem indicavi in Schol. Hypomn. II. p. 100. sq. Ceterum quae

his verbis inest sententia, confirmat ea, quae supra de verbis *vim habere* cet. disputavi. *Erat*, i. e. hominibus iam valebat ea ratio, quae eos impellebat ad recte faciendum :neque simulatque ea lex scripta est amittit illam vim.

non tum denique) Edenda fuerat recentiorum librorum lectio, *tum demum*, si quidem vere distinxit duo vocabula Grysar. Op. laud p. 511. sq. Pudet Goerenzii nugas refutare: et quid est illud quod Moserus et Ochsnerus contendunt, exquisitius esse *denique* quam *demum?* Igitur ne Handius quidem a communi cavit errore, Tursell. II. p. 275. sq. *Denique*, inquit, in quibusdam dictionibus eodem modo usurpatur, quo *demum;* ut *is denique*, pro *is demum.* Videamus Ciceronis certe locos, in quibus *denique* pro *demum* esse dicitur. Pro Quint. 31, 99, *sexagesimo denique anno*, ponitur ad concludendum, tamquam quod rem conficiat post antecedens: stultissime diceretur in hac sententia, *demum*, quasi melius esset eum prius ignominia notatum esse. Idem valet de Milon. 13, 34, ubi *denique* est *postremo*. Ad Div. IX, 14, 5, extr. *amare* conclusio est eius, quod antea *diligere* erat. Tusc. III, 31, 75, *denique* finem indicat eius conditionis, in qua opinio mali recens dicatur, non continet initium novi cuiusdam. Sic De Universo Cap. 6 fin., de eo quod postremum deus efficere instituisset; similiterque Cap. 8. init. *Tum denique*, in Caton. Mai. 23, 82, necessario corrigendum in *tum demum*: item in Epp. ad Q. frat. I, 1, 10, 29, et Fin. I, 19, 64, et Tusc. I, 13, 29, et Fin. III, 22, 76, et Caecin. 34, 100. (probante Ravio Var. Lect. I. p. 50) et ad Div. X, 10, 1. Contra, Orat. II, 77, 315, ut ipse locus indicat, *denique* in conclusione pro *postremo* dicitur, sicut Sext. 47, 100. Orat. II, 30, 131, utrumque vocabulum suo loco ponitur. Igitur quum innumerabilibus aliis locis sua utrique vocabulo et propria vis servetur, multo credibilius est perpaucis locis, de quibus nulla varietas enotata est, esse corrigendum, quam quae

diversa sint temere a Cicerone fuisse permutata. In Floro I, 11, 4, e duplici lectione bene optarunt Inttpp.: quumque *denique* ibid. 16, 3, recte interpretatus esset Dukerus, laudavit hunc Ruhnken. ad Vell. Pat. p. 367.

CAPUT V.

§ 11. *verum quoque sit*) Non dubitavi hanc verissimam correctionem ex uno alteroque recenti libro suscipere: optimi omnes *verumque sit*, genere corruptionis quod alibi indicavi. — Modo, *quod est rectum* nihil est nisi periphrasis, nec Coniunctivum requirit, τὸ ὀρθόν. — *Verum* quid sit h. l., non satisfaciunt Inttpp. Davisium, qui corrigebat *aeternum*, deserit Goerenzius, qui interpretatur *de interna veritate*, et valere dicit pro *certo* et *stabili* quod rebus inest. Nec Wyttenbachius diligenter satis, ut mihi videtur, distinguit. *Rectum* appellatur, secundum Stoicos, id quod in se perfectum et omnibus numeris absolutum est; sicut in quaestione de Officiis; conf. Beier. Excurs. III. ad I. de Offic. Igitur hoc tribuitur menti divinae, *rationi rectae summi Jovis*. *Verum* dicitur de norma, ad quam iusta et iniusta exigenda sint, cerniturque in regendis factis et consultis, in imperando et prohibendo; eaque ipsa *legis* vis est. Itaque ut *rectum* contemplatione, ita *verum* usu continetur, diciturque pro iusto et aequo. Sic confitetur Quintus, id quod Marcus demonstraverat, legem eamdem esse atque summam illam et divinam mentem. Sic usurpatur *verus* Orat. I, 43, 194, confirmaturque haec observatio Madvigii Opusc. p. 336 sententia, *iustus* eo loco, quamquam alia de causa, delendum esse demonstrantis. Pro Scauro § 26, *neque mihi probabile, neque verum videbatur me — causam tamquam unius clientis in cubiculo meo discere:* ad Div. I, 8, 2. II, 17, 4. init. cum annotatione Cortii, eiusdemque notata ad Salust. Catilin. XXXV, 2.

Ing. XVI, 1. Plin. Epp. VIII, 2, 6. Non agnovit hoc Goerenz. in Fin. IV, 17, 47. in.: melius Beier. ad fragm. pr. Tullio p. 65. b: conf. Inttpp. ad Liv. II, 48, 2. III, 40, 11. XXIII, 11, 12.

quibus scita describuntur) Expressi lectionem Cod. C, non recte: iura enim describuntur, non scita. — Quod mox in Editt. antiquis *aut* ante *oriatur* omittitur, id nunc praesidium habet in E.

item quum in homine est perfecta in mente sapientis) Sic optimi libri mei, nisi quod pro *quum* est *quod* in C E: multo plures habent vulgatam lectionem, addito *est* post *perfecta*. Madvigius Emendatt. p. 63 comparationem male habere demonstrat; subiici enim debere, in homine legem *esse* mentem sapientis, sive, quod idem est, in mente sapientis, non *perfectam esse* in m. s.: existimatque has difficultates Rathium removisse, hac interpunctione restituta, *item, cum in homine est perfecta, in mente sapientis est.* Sed quaero, quid sit illud quod perfectum esse postulatur in homine? *Mens* intelligi non potest: oriretur enim sic, quum mens est perfecta, est in mente sapientis: nec in hac disputatione mens, sed ratio dicitur perfecta, ut supra I, 6, 18. 7, 22. Argumentatio quae sit, perspicuum est; sicut summa illa et princeps lex est in *mente* divina, ita qua homines utuntur lege, ea est in *mente* sapientis. Corrigendum videtur, *item, quum in homine est, profecto in mente sapientis est: perfecto* duo habent Ambros.; sed *profecto* concludendi adverbium est.

quae sunt autem varie — nomen tenent) Utile erit conferre similem disputationem Platonis Legg. I, p. 630, E. IV, p. 714, B. 715, B. *Favorem* appellat, ut rei levitatem notaret: cf. pro Sext. 54, 115.

quae quidem — appellari possit) Attigi Coniunctivi usum in hac forma Schol. Hypomn. I, p. 134. sq. Solus ex meis Ambr. β. habet *potest*.

ad salutem civium civitatumque —) Non probanda fuit lectio Ambr. α, *civitatisque:* agitur enim, ut mox apparet, de omnibus populis liberis. Sed pro *hominum* praestabit e libris, quamquam recentioribus, suscipere *omnium:* eadem confusio in Codd. Fin. III, 19, 64. Orat. III, 45, 178, *salutis omnium causa.* — *Inventas esse leges* praetuli, quod agitur de primo consilio quo leges excogitatae sunt, ab eoque mox secernitur *sanciendarum* legum negotium: nam ipsa locutio *condere leges*, per se minime Cicerone indigna habenda est. Et *invenire* in hoc argumento usurpavit Cicero Orat. I, 10, 39. Tusc. V, 2, 5.

qui — scita sanxerint) Coniunctivus requirebatur, quod non mera periphrasis est, sed dicitur, eo ipso, quod sancirent, ostendisse populis cet.

quibus illi adscriptis susceptisque) Probo, quod ex uno alteroque Cod. commendavit Goerenzius, *ascitis*, in quod Lambinus coniectura, ut videtur, inciderat. Sed animadvertenda est studio quaesita cumulatio in his, *scripturos atque laturos, ascitis susceptisque, honeste beateque composita sanctaque.* — Mox *nominarent* servant Codd. tantum non omnes: sed ne sic quidem difficultas tollitur. Non concedere videtur Madvigius, l. c. p. 64, verbum hoc ad legislatores esse referendum, quod si esset, requiri *nominasse.* Verum tamen ex tota disputatione conficitur non dici *leges* vulgo (ab hominibus) fuisse nominatas, sed ab ipsis qui tulissent, appellationem profectam: quare corrigam *nominare*, ut in genere de legislatoribus accipiatur. Alterum si servatur, hoc dicetur, eo consilio lata esse ea, ut eas leges nominarent homines: quod alienissimum est.

qui — iniusta populi iussa descripserint) Excusanda est Ernesti suspicio *iura descripserint* legendum esse propter ipsum hoc *describere*, quod sollemniter cum *iura* similibusque componitur. Sed multo certius corrigendum *scripserint* (modo supra eadem confundi vidimus, *scribere*

et *describere*), ut modo *scripturos atque laturos:* et sic defenditur *iussa.*

in ipso nomine legis interpretando) Bene deseritur Ernestus, cui *interpretando* ut otiosum omitti debere videbatur. Sed concedendum est, idem brevius dici potuisse: supra I, 6, 19, *nos delectus vim in lege ponimus:* Tusc. III, 5, 11, *verbi vis declarat:* Orat. II, 4, 17, *verbi vim maximam putavi.* Sed Offic. II, 2, 5, *nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae.* Neque aliud quidquam est *in nomine interpretando* nisi, si nomen legis interpretari velimus: et *inesse* dicitur ea *vis* non in *interpretando*, sed in *ipso nomine.*

iusti et veri legendi) *Iuris* pro *veri*, videtur esse correctio: sed non ius *legitur*, verum ea quae iusta et vera sunt.

§ 12. *quaero igitur — sicut illi solent*) Utiliter annotavit Turnebus, Stoicos intelligi. Idque apparet in *quaerendi* verbo, si quidem pro *syllogismo* illi *ἐρώτησιν* quoque et *ἐρωτᾶν* dicebant. Ceterum ipsa quae sequitur interrogatio (syllogismus) non adeo exquisita, ut volebat Wyttenbachius, sed necessaria et Graeca est, hoc modo interpretanda, *οὗ δεομένη πόλις δι' αὐτὸ τοῦτο οὐδέν ἐστι, ἐν ἀγαθοῖς ἀριθμητέον;* Ne hoc quidem negligendum, sicut in nonnullis libris interpolatum est *lege*, vel ante prius *careat*, vel ad posterius, ita haud immerito suspicionem moveri verba illa *quod eo careat* ab eodem interpretandi studio profecta esse, quae verba in Ambr. *a* adeo alieno loco posita sunt: nec mox tale quid iteratur post verba *ob id ipsum.*

ac maximis quidem) Bene Moserus repudiat Rathii correctionem scilicet, *ac in maximis quidem.* Tusc. II, 7, 19. fin. *difficile dictu videtur, eum non in malo esse, et magno quidem.* Et habet omissio praepositionis hanc rationem, quod altero nomine non nisi intenditur, et

quasi corrigitur praecedens cui praepos. praefigitur. Sic Plato et Graeci innumerabilibus locis.

estne ob id ipsum) Ita optimi quique de meis: in aliis *est* excidit propter *s* finale praeced. vocabuli: plane exiguae auctoritatis libri *anne*. Perperam Moserus obsequitur Goerenzio, *anne* restituenti, »quod *estne* in enun»ciato negationem innuente, non poni meminerit." Sed neque hic negatio a respondente exspectatur, neque *anne* umquam, nisi in altera, i. e. adversativa parte bipartitae quaestionis ponitur apud Ciceronem; in quo genere sunt omnia exempla apud Handium Tursell. I. p. 356, qui non satis diligenter definivit: (ad Att. XII, 14. est, non 15). Video nunc consentire mecum Madvigium Programm. laud. p. 9, qui veram lectionem in uno Havn. latere putabat. Aliquoties in illa coni. *an* turbatum esse dudum animadverterunt viri praestantissimi, postremus Madvigius Ep. Cr. ad Orell. p. 77: igitur propter illam vim (conf. Ruhnk. ad Sueton. August. 54), quam attigit idem ad Fin. V, 14, 40. in., in Offic. I, 15, 48. fin. bene, spreto *annon*, Orellius edidit *an*. — Tum, quamquam ab optimis libris abest, *id* servandum fuit. Utitur sane huius loci exemplo Iac. Gronovius ad Liv. XXI, 55, 11, ut demonstret *id* ante *ipsum* abesse posse; conf. I. Fr. Gronov. ad V, 43, 4, aliique commemorati a Madvigio ad Fin. II, 28, 93. init., qui merito mihi dubitare videtur de eiusmodi locis, qualis hic est De Legibus, in quibus *ipse* non innititur relativa sententia, ut in *ipse, qui audit*. Recte igitur iudicat de loco ad Div. IV, 13, 2, *ut ipsum, quod maneam in vita, peccare me existimem*, in quo *quod m. in v.* relativae sententiae vicem explere videtur; quemadmodum excusari fortasse poterat, *ob ipsum, quod eo caret*, quod, si liceret, sic in infinitam orationem contrahi poterat, *ob ipsum carere*. Divin. quidem II, 58, 119, necessario pro *et ipsum*, non *et id ipsum*, sed *id ipsum* corrigendum est: nam nihili est

copula in ea sententia. Sed non recedendum opinor ab ea norma, pronom. *is* tum necessario requiri, si *ipse* neque ex prioribus, qui sit, grammatica ratione indicatur, neque sequ. relativo declaratur. Ne Graeci quidem *αὐτός*, pro *αὐτὸς οὗτος* dicunt.

necesse est — legem habere in rebus optimis) In Infinitivo secutus sum Voss. B: reliqui *haberi:* utro modo legatur, h. l. nihil interesse puto.

§ 13. *multa perniciosa, multa pestifera*) Vulgatum *perniciose — pestifere* nihil aliud indicat in Codd., nisi *perniciosae — pestiferae*, nempe *leges:* sed adverbia certe non erant huius loci: quare restitui id, quod optimi libri, apud Moserum quoque, habent. — Mox, *legis nomen attingunt* perperam interpretatur Moserus: est enim *nomen* i. q. *dignitas:* unde orta est lectio Ambr. *α.* et Lagom. 10, *legis vim*, quae interpretatio est. *Nomen*, ut saepe, corruptum est in bonis libris, ut scriberetur *non.*

quam si latores aliquas consessu suo sanxerint) Necessaria est correctio *latrones.* Offic. II, 11, 40, *quin etiam leges latronum esse dicuntur.* In *aliquas* multi conspirant; nec video cur locum cedere debeat alteri, *aliqua.* Neque *consessu* (quod non nisi vulgari vitio in Codd. scribitur *concessu*) mutandum est in *consensu*, quod in nullo, opinor, libro reperitur. Xenoph. M. S. I, 2, 43, *ἐὰν ὀλίγοι συνελθόντες γράψωσιν.* conf. Plato Gorg. p. 489. C. fin. Sed ea varietas deprehenditur pro Flacco 17, 41, init. — *Sanxerunt*, quod ex libris non contemnendis enotatur, soloecum est in enunciatione hypothetica: conf. Fin. II, 18, 58, init.

neque medicorum — possent) In meorum uno tantum legitur *possint*, quod praeterquam ab aliis, ab Orellio quoque editum esse notare neglexi. Sed, extra hypothesin, tum multa pestifera in populis sciscі dixerat, tum in medicina multa perverse administrari affirmat: quare corrigendum est *possunt*, tum recte servatur *conscripse-*

runt: mox *acceperit* defenditur ex paullum mutata forma enunciationis, *cuicuimodi fuerit — etiam si —*. — *Si quae* ex optimis libris edidi, non immemor tamen eorum quae prudenter disputat Madvigius ad Fin. I, 8, 26. — Vestigia imitandae disputationis Socraticae, in qua illa latronum et medicorum exempla celebrantur, non latuerunt Interpretes ad Rep. I, 40, init.

neque in populo lex — populus acceperit) Offenderunt in his viri docti, quorum opiniones commemorat Moserus, quod, credo, tautologiam sibi deprehendere videbantur in his, *cuicuimodi fuerit illa*, et *etiam si — acceperit*. Immerito. Confertur *lex*, i. e. quae fertur, cum medicorum *praecepto:* ut medicorum praecepta dici non possunt, ita ne lex quidem sc. dici potest lex: sed additur, ne tunc quidem, etiam si, ut aeger medicinam, sic populus perniciosum aliquid *acceperit*, i. e tamquam sumserit, hauserit: quod addendum propterea, quod medicorum praecepta ut hoc nomine appellentur, non pendet a sanctione quadam aegrorum: ex quo manifestum, perperam Ernestum delere voluisse *etiam*. — *Cuicuimodi* habent optimi mei: quare accedat hoc testimonium ei, quod Madvigius de Codd. MSS. excitavit, ad Fin. III, 9, 30, fin.

ergo est lex —) Praestare dicam, quod duo de meis habent, *ergo lex est*. In *iustorum iniustorumque* neque homines, neque facta cogitanda sunt: idem dicitur quod supra I, 6, 19, *iuris atque iniuriae regula*.

CAPUT VI.

non modo habendam, sed ne appellandam quidem) Quod Lagom. 10 habet, *nec* pro *ne*, nunc nemo probabit, post praestantem disputationem Madvigii in Excurs. III. ad libros de Fin. — De *non modo*, suppressa negatione quae ex altera parte sententiae sit adsciscenda, pervulgata

omnia. Sed dubitat Duker. ad Flor. III, 20, 3, utrum *non modo* sic poni possit etiam non sequente particula negativa. Flori verba haec sunt: *non modo effugisse contenti, iam vindicari volebant*, i. e. effugisse non contenti. Sed dubitandum ideo non erat, quoniam postrema sententiae pars in negationem resolvenda est: ita illa *iam — volebant* continent hanc sententiam, *ne inulti quidem esse volebant.* Late patet omnino illa ratio negationis intelligendae ex certa forma enunciationis. Planc. 35, 86, *sed haec sunt leviora: illa vero graviora:* in quibus *leviora* i. q. minus gravia, si constabit sibi comparatio: conf. Muraen. 19, init.: ad Div. VI, 10, 5, *quotidieque aliquid fit lenius et liberalius, quam timebamus:* verbum *timere* postulat ut illa intelligamus *minus durum et minus superbum.* Attigerat talia iam Stephanus Schediasm. II, 22. Rursus ex negatione in altera parte sententiae affirmativum cogitandum, ut Brut. 34, 130, *etsi non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat: id*, i. e. adesse in causis, et dicere in iudicio.

§ 14. *Igitur Titias*) Probabilis est correctio in duobus Ambr., *tu Titias.* Obstabit fortasse, quod pronom., sic cum emphasi additum, praeponi oportebat, *tu igitur* ut mox *eas tu igitur:* neque enim solet *igitur* inchoare sententiam, nisi, quum nulla alia vox est, quae praecipuam dignitatem habeat, aut oppositionem indicet, quemadmodum supra I, 6, 18: conf. Madvig. ad Fin. I, 18, 61.

quas praesertim — sublatae sint) Hoc quidem exemplum non cadit in illam interpretationem formularum *quum*, aut *qui praesertim*, quam exemplis firmat Madvigius ad Fin. II, 8, 25: neque enim haec ut in exceptione, sed ad confirmandum dicuntur. — *Unus versiculus* dicitur, ut decreti quam brevissima formula indicetur. Recte firmavit hoc Goerenz. ex Milon. 26, 70. Sic Verr. I, 39, 98, *quaestoriam rationem tribus versiculis relatam.*

Quae ad h. l. tradit Turnebus, ea debentur Asconio in Cornelianam p. 68, Orell. — Mox servandum fuit, quod et melior et maior pars Codd. habet, *a duobus vobis*: nam magis significare volebat se duobus, quam ipsorum suffragiis fore contentum.

ut — fecit Plato, — id mihi credo esse faciundum) Hoc exemplo defenditur *id*, pro *idem*, quod Beierus tenuit, in Offic. I, 1, 1, qui praeterea *utramque orationem* perperam interpretatur »popularem et eruditam," quum velit Cicero »Graecam et Latinam." Omittitur *id* inverso ordine comparationis, Divin. I, 4, 7, *faciendum videtur, ut diligenter — comparemus, ut fecimus in his tribus libris.* — De reliquis, non reticebo videri mihi totum locum impudentissimis interpolationibus inquinatum esse. Quid enim ad hanc sermonis partem pertinet Platonem appellari *virum doctissimum*, et *eundem gravissimum omnium philosophorum?* Id enim, de quo agitur, institutum prooemii praemittendi, non tanta aut doctrina, aut gravitate constabat insigni quadam. Quando talia apte praedicentur, apparebit collatis Tusc. V, 12, init. Orat. 19, 62, de Platone, tum Tusc. V, 18, 51, de Xenocrate, similibusque. Simile additamentum deprehensum est in Offic. I, 30, 109, ubi totum illud, *ne Xenocratem quidem — clarum fuisse*, resecandum esse et disputationis ratio ordoque, et grammatica docet. Praeterea, quam inepte h. l. inculcantur haec, *qui princeps — de legibus eius?* quasi non, quantum satis erat, eius auctoritatis mentio facta esset supra I, 5, 15: aut quasi omnino hoc pertineret ad quaestionem, utrum prooemium prius recitandum esset, nec ne. Rursus suo loco, infra III, 6, 14, dicitur Platonem *principem* fuisse in illo genere scribendi. Omnino non tantum putida est hac commemoratio, *itemque separatim de legibus*, sed quod adiicitur *eius* ignorantiam prodit: neque enim Ciceronem fugere potuit, Platonis *Leges*

minime accommodatas ab ipso ei civitati esse, quam in Politia finxerat. Quibus probatis, ne opus quidem est Wyttenbachii sententiam explorare, qui *princeps* accipit quasi esset *praecipuus;* id quod Madvigius Epist. ad Orell. p. 46 ita demum concedit, quoties substantivo, non alii verbo praeponitur *princeps.* Attamen *praecipuus* significatur Divin. in Caecil. 15, 47, *princeps in agendo:* conf. Orat. 13, 40: tum infra III, 6, 14, fin.; quae tamen exempla sic videntur explicanda, ut *pr. in agendo, in dicendo, in scribendo*, dicatur pro *princeps actor*, cet. Contra, verbo praepositum *princeps*, non nisi ad ordinem refertur, ut Orat. II, 13, 55, de Herodoto, *qui princeps hoc genus ornavit:* igitur, variandi causa, *princeps* et *primus* promiscue ponuntur Verr. II, 1, 2. — Non tamen omittendum est pro *conscripsit*, duo libros exiguae auctoritatis habere *cum scripsit*, quemadmodum varia lectio fertur in Fin. V, 4, 11: *quumque uterque eorum* (Aristoteles et Theophrastus) *docuisset, qualem in re publica principem esse conveniret, pluribus praeterea conscripsisset qui esset optimus rei publicae status, hoc amplius Theophrastus* —, in quibus vindicat Madvigius *conscripsisset* prae reliquorum librorum lectione *cum scripsisset.* Non diffitebor tamen *pluribus scribere* ut recte dicitur, ita minus apte dici mihi videri *pluribus conscribere*, nec, si in eo non offendendum sit, apparet quare *pluribus* de hoc argumento, paucioribus, aut brevius de altero scripsissent. Deleto *pluribus*, apte legi posse credo *praetereaque scripsisset.* Contra male Codd. nonnulli *scripserit*, Verr. V, 4, 9, *nihil, quod iste Romam publice conscripserit:* in primis enim de publicis literis *conscribere* dicitur: ad Div. XI, 2 init.

de eius legis laude dicam) Non recte, puto, *legis* omittitur in tribus Codd. Fin. III, 5, 16, *ad suum statum eaque, quae conservantia sunt eius status.* Intelligit autem *prooemium*, ut mox ipse appellat Cap. 7, 17. Et

προοιμίου quidem, in alia re, elegans usurpatur metaphora apud Platonem Rep. VII, p. 531, D. Sed de industria totum hoc institutum duplicis legis, quarum altera iubeat ac minetur, altera persuadeat, tractavit Plato Legg. IV, p. 719, fin. — 723, E, opportunitate legis nuptialis; iterumque commemorat ibid. VI, p. 772, fin.: tum praemittitur prooemium disputationi de diis, X, p. 897-900.

etiam Zaleucum et Charondam fecisse) Nescio unde Editores sumserint *et Zaleucum:* sed certe vitiosa est h. l. particulae geminatio: coniuncte commemorari solent, nec de iis, ut de diversis, separatim iudicatur. — Tum pro *quum quidem illi*, Goerenzius defendit *quamquam quidem illi*, quod mei libri ignorant omnes: nec puto isto modo coniungi illas particulas apud Ciceronem nulla voce interposita: Fin. I, 1, 2, *quamquam philosophiae quidem vituperatoribus:* ibid. III, 2, 8, *quamquam hoc quidem proprium tuum munus est.* Et universe *quidem* non nisi iis vocabulis subiicitur, quae insigniri et efferri aut possint, aut debeant, ita ut illud, quod eiusmodi vocabulis continetur, in primis et velut per exceptionem attendi oportere significetur. Sed *quamquam* ipsa habet illam excipiendi significationem, sed ita ut praeponatur sententiae, non ut legitimam post aliud vocabulum collocationem patiatur: quumque universe excipi quid admoneat ab initio, *quidem* non nisi ei, quod specialiter sit excipiendum subiici potest. Hinc ne Graeci quidem *καίτοι γε* nisi interposito vocabulo iungunt: conf. Porson. ad Hecub. 1214. Phoeniss. 1638. Non esse autem omnino nunc locum coniunctioni *quamquam* apparet inde, quod nihil excipitur in genere ab iis quae ante dicta erant: nihil aliud dicitur, nisi hoc praeterea notandum esse in Zaleuco et Charonda, quod non, ut Plato, studii, sed rei publicae causa leges scripserant. Maneat igitur *quum quidem illi —:* sed, quoniam *quum* h. l. non adiunctiva,

neque temporalis coniunctio est, ex eo genere quod explicuit Madvigius Opusc. p. 515, not., necessario puto Coniunctivum *scripserint* requiri. Compositum, (*conscripserunt*) quod de meis deteriores tantum habent, adversari putabam sollemni formulae *leges scribere*, quod v. c. Orat. I, 19, 86, non de singulis quibusdam legibus, sed de omni legislatoris munere dicitur.

studii et delectationis — causa) *Studium* ἐπιτήδευμα est, quod privato consilio persequimur: tum *studium et delectatio* ut ἓν διὰ δυοῖν dicitur.

quos imitatus Plato —) Incredibile est hoc Ciceroni excidere potuisse, Platonem in opere De Legibus imitatum esse Zaleucum et Charondam: praetereaque, quod notare non neglexit Geerius Diatr. in Platonis Polit. princ. p. 174, not. 2, hanc imitationem ipse repudiavit Plato Legg. IV, p. 722, B. Sed non haec una causa est quare omnia istaec (*quos imitatus — minis cogere*) insititia ducam. Neque enim aut Plato, aut quisquis alius, putavit alia esse persuadenda, alia cogenda, i. e. iubenda, sed quaecumque legibus praescriberentur generali quadam adhortatione munienda esse: neque ipsius legis esse persuadere aliquid, sed legem prius laudandam esse universe. Postremo, quae sequuntur (*quid, quod Zaleucum —*) non possunt nisi prioribus illis (*quod idem Zaleucum — scripserunt*) subiecta esse; ne dicam intempestivam esse istius imitationis mentionem, postquam primum auctorem instituti laudaverit Platonem, iisque ut non necessarium additamentum adiecerit illud de Zaleuco et Charonda.

§ 15. *quid, quod Zaleucum — Timaeus*) Non omnino negavit Timaeus Zaleucum fuisse, sed *istum*, i. e. earum, quae ferrentur, legum conditorem non fuisse veterem illum Zaleucum: atque eadem ratione illud de Orpheo ex Aristotele, (Nat. D. I, 38, 107) non Orpheum non fuisse, sed *Orpheum poetam*. Idem memoratur ad Att. VI, 1, 18, *quis Zaleucum leges Locris scripsisse*

non dixit? Num igitur iacet Theophrastus, si id a Timaeo, tuo familiari, reprehensum est? Quae in epistola posita A. U. 704 scripta persuadent quodam modo hos De Legibus libros tunc certe nondum editos fuisse. Timaeum, quo modo ad Atticum scribens, *tuum familiarem* appellet, difficile est ad explicandum: alia certe ratione simile quid ponitur Orat. III, 19, 71, de Demosthene. Sed ne Quintum quidem hospitem fuisse in illo genere literarum, intelligimus ex Epp. ad Qu. fr. II, 13, 4.

at Theophrastus — commemorant vero) Locus corruptus, in quo restituendo nihil adiuvant Codd. Apponam ea, unde de Ciceroniano more statuere licet in illo modesto affirmandi genere. Orat. II, 13, 56, *Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vincit.* ibid. 14, 58, *aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior.* ibid. 23, 95, *Phalereus ille Demetrius omnium istorum, mea sententia, politissimus:* conf. I, 27, 122, in quibus omnibus *mea sententia*, simil., interponitur, quod aliis locis, Orat. I, 57, 243. Offic. I, 11, 35, praeponitur. Tantum inde conficio, perperam eos iudicare, qui h. l. *mea quidem sententia* in fine sententiae ponunt. Verum illud quod istiusmodi formulae subiicitur, quamdam habeat ἐξοχὴν vel laudis vel vituperii necesse est, quae non satis deprehenditur in *melior*, quum praecesserit *haud deterior.* Tum hoc agnoscitur, spero, ineptum esse *multi nominant:* controversia est de auctoritate Theophrasti quae Timaeo opponitur, nec multitudinis in hac re vel iudicium vel testimonium esse poterat. Languidissimum autem est *nominant:* Timaeus ipse quoque *nominaverat* Zaleucum: sed qui nominatur nondum fuisse demonstratur: multoque aptius de Locris dicitur *commemorant*, i. e. populari traditione et fortasse monumentis etiam servant illud, Zaleucum leges scripsisse. Hinc praesto est, uno vocabulo interpolato expulso, legere, *at Theophrastus auctor haud deterior, mea*

quidem sententia melior multo: commemorant vero —. Nempe ne opus quidem est eo, quod Goerenzius excogitaverat, *ait Theophrastus —:* nam intelligitur hoc oppositum ex praeced. *neget*. Quando hoc durius fiat notavit Madvigius ad Fin. II, 8, 25. Addi poterat Orat. 44, 151, *in quo quidam etiam Theopompum reprehendunt, quod eas literas tanto opere fugerit; etsi idem magister eius Isocrates. At non Thucydides* — i. e at non fugit. Sed ex ignoratione huius formae nata videtur interpolatio *nominat*.

nostri clientes Locri) Pauca de hoc genere patronatus annotavit Cortius ad Salust. Catil. XLI, 4: item Buchnerus ad Plin. Epp. IV, 1, 4. Ceterum Locros, ut *εὐνομωτάτους* vetustis temporibus commemorat Plato Legg. I, p. 638, B.

CAPUT VII.

sit igitur hoc iam a principio) *Iam* servant mei omnes: in aliis libris apud Goerenzium vel omittitur, vel *iam hoc* scribitur. Nihil equidem in ea particula offendor: est enim *iam principio* i. q. ante omnia. Sed necessario omittendum *a:* agitur enim de fundamento, non de initio opinionis; et omisit E.

dominos esse omnium rerum —) Egregie cum his conspirat exordium Prooemii legum Zaleuci, quod fertur apud Stobaeum XLIV, 20. Similes sententias continet fragm. Hippodami Pythagorei *περὶ πολιτείας*, Stobaei XLIII, 94, (Vol. II, p. 126, fin.) cuius loci particulam hanc corrigere conatus est Iacobsius: *πᾶς γὰρ ἄνθρωπος ἀναρχίας πλαρωθεὶς, καὶ τὸν ὕποπτον ἀπωσάμενος φόβον, σκιρτᾷ τε καὶ παρανομεῖ παντοδαπὸς γινόμενος·* in quibus vir praestantissimus, Lect. Stob. p. 77, legi vult *τὸν ὕπατον — φόβον*, i. e. *τὸν τῶν ὑπάτων* s. *κρειττόνων·* non feliciter, opinor. Mihi *ὕποπτος φόβος* (si quidem ista adiectiva haud raro active ponuntur, conf. Porson. ad

Hecub. 1125) optime accipi posse videtur de metu non quovis, sed eo qui ex *suspiciendis* diis oritur, iniuriae vindicibus; neque aliam ἀναρχίαν intelligit Hippodamus, quam eorum qui deos non suspiciunt. Sed quod philosophi in praeceptis ponebant, id in primordiis civitatum exstitisse tradebant historici: Livius certe I, 21, 1, tales describit Romanos, verbis tamquam ex Ciceronis sententia depromtis.

eorum geri vi ditione ac numine) Non satis efficax ad demonstrandum est pronom. *eorum:* ferri poterat *illorum*, sed praestat corrigere *deorum*. Tum quod edidi *vi ditione ac numine*, tam corruptum est, quam quod e Codd. effici poterat *iudicio ac numine:* illud, quod tria sic posita copulam reiiciunt inter duo postrema; hoc, quod *iudicio* minus aptum est deorum supremae potentiae declarandae, de qua una nunc agitur. Sed tollenda est e Codd. syllaba *in*, ex qua *vi* ortum est, legendumque *ditione ac numine*.

qualis quisque sit — intueri) Respondet Graeco ἐπισκοπεῖν, et ἐφορᾷν, sicut in Gnomis MSS. Cod. Voss. n°. 97, — ᾧ ἐργάζῃ κατὰ ψυχὴν ἢ σῶμα θεὸς παρέστηκεν ἔφορος (MS. εὔφορος.)

§ 16. *ab utili et vera sententia*) Discedendum fuit ab optimis libris, qui habent *aut a vera:* sed ne praepositio quidem suscipi poterat, quoniam una eademque sententia *utilis et vera* dicitur.

quid est enim verius, quam —) Plato Legg. X. p. 897. sqq. — Mox, in verbis *aut ut ea*, *ut* omitti non potest, nisi extremum *putet* tollatur, ita ut continuari haec cum praecedd. videantur. — Quum optimi Codd. omittant verba *comprehendat nulla ratione*, colligitur reliquos ex alio descriptos esse. Davisius nescit quid sibi velit *ingenii ratio*, legitque *ingenii contentione:* sed neque hoc, neque *i. acie*, aut *intentione*, quae Moserus excogitavit, indigemus. Sed tum *ratio* recte tribuitur *ingenio*, tum

indigebat hoc vocabulo Cicero ut concinne et apte sibi invicem opponerentur *vix summa ing. ratione — nulla ratione.* Nat. D. II, 38, 97, in eodem argumento, *quae quanto consilio gerantur nullo consilio assequi possumus:* in quibus similiter aliquid datum est concinnitati.

astrorum ordines) Ita appellavit quoque Nat. D. l. c., intelligitque sucessionem et vicissitudines in motu astrorum: eodem plurali utitur Brut. 4, 15, *ordines temporum explicare:* tum Milon. 30, 83, fin., ubi idem argumentum oratorie ornat, *vicissitudines rerum atque ordines.* Intempestive haec contulit ad Offic. I, 4, 13, Beierus.

quem ea quae gignuntur) Videtur plurimorum Codd. auctoritas eo ducere, ut legendum sit, *quem quae gignuntur.* — Mox restitui *cogunt* ex optimis libris. Tum *neque decet* ex correctione ortum: sed, quod libri non correcti habent, *qui decet*, corrigendum leviter *quid decet*, qua ratione corrigendi supra usus sum, I, 20, 53, p. 429, ut minus recte hoc exemplum adferat M. Gudius ad Phaedr. III, 12, fin.

quae sunt rationis expertia) Casu factum ut *sunt* ederem repugnantibus omnibus libris: sed nemo tamen dubitabit quin isto modo, non *sint*, legendum sit.

rationem inesse in ea) Exspectaveris *in hac*, i. e. in natura omnium rerum, quae hoc pronomine indicanda videtur prae *ullius rei natura.*

quantae saluti sint foederum religiones) Exigua, pace Moseri dicam, auctoritas est Codd. ut constituatur utrum *saluti*, an *salutis* rectum sit. Sed satis constat locutio *saluti esse*, ut *honori esse*, et similia. Perperam commendatur genitivus, qui non nisi in consilio significando usurpatur, certe in exemplis quae excitavit Turnebus; conf. Verr. II, 53, 132, ibique Garatonius: eo pertinet Livii XL, 52, 1, exemplum indicatum a Drakenborchio ad XXXI, 12, 4: tum quae ad Platon. Gorg. p. 457, E indicat Stallbaumius.

interpositis tum iudicibus tum testibus) Aptius, credo, legetur *vindicibus*, ut in ipsa lege, infra Cap. 10, 25, deus *vindex* appellatur: non enim agitur de iudicandi officio diis tribuendo, sed de puniendi potestate.

§ 17. *in hoc admodum delector*) Loquendi formam animadvertit Madvigius ad Fin. I, 11, 39. Quod Ed. Ven. habet, *et nihil admodum*, fluxisse videtur ex *et in illo*, quod non praeferendum. Rursus pronom. fortasse tollendum est ex praecedd., *sic enim hoc appellat Plato*, itaque suspicatur Orellius. Sext. 44, 96, *sic enim dixisti:* conf. Philipp. II, 2, 3. XIII, 11, 25. Verr. IV, init. — Quod autem viri docti perperam a Quinto hoc dici putant, rebus ac sententiis diversum esse hoc prooemium a Platone, non videntur satis attendere multum esse Platonem in disputatione de diis, Ciceronem contra disserere quam vim illa opinio in civilem societatem habeat. Quumque mox pro *legis exordium* optimi libri habeant *deeis exordium*, Lagom. 10, *de hiis*, suspicor veram lectionem fuisse *de diis exordium:* sic apte indicatur in pari argumento diversum alterum ab altero esse.

velle fortasse) Hanc bonorum librorum lectionem nescio cur spreverint Editores. Correctio est eorum quae Quintus dixerat: » velle fortasse videor tibi: nam non possum." Supra I, 2, 7, *eum tamen velle duntaxat imitari*, ubi rursus Ed. Ven. *vellem*: et sollemniter *velle* et *posse* inter se opponuntur: conf. Tusc. IV, 2, 5: Orat. 30, 105: Offic. I, 39, init. *volumus quidem certe* sc. persequi. Senect. 10, 32: tum Tusc. I, 21, 49: conf. Wyttenb. Bibl. Cr. VIII, p. 72. Forma plane similis est in hoc Fin. II, 24, 78, *et quidem prodest, inquit, mihi eo esse animo. — Imo videri fortasse. —* Abutar hac opportunitate ut vindicem exquisitam verbi *imitari* vim, quae non in voluntate, sed in eventu et effectione cernitur, idemque valet quod *consequi, exprimere.* Offic. III, 1, 1, *si minus imitatione tantam ingenii praestantiam consequi*

possumus, voluntate certe proxime accedimus. ibid. 2, 6, *exspectatio imitandae industriae nostrae.* Tusc. I, 25, fin. *ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.* ibid. II, 1, 3, *quod se imitari posse confiderent.* Fin. V, 5, 14, *Critolaus imitari antiquos voluit.* Idem, nisi fallor, retinere debebat Ruhnkenium a corrigendo Velleio Pat. I, 16, 3, ubi de Comicis poetis dicitur, *neque imitanda reliquere:* volebat vir summus *neque emendandam reliquere:* sed vulgatae hic sensus est, qui imitaretur, i. e. consequeretur, postea repertus est nemo, quo modo in Homero aliisque loquitur ipse Velleius I, 5, 2. Requiro praeterea in eodem loco, *eius non aetatis magis quam operis.*

exprome — istas leges de religione) Corrigendum puto *ipsas*, ut modo dixerat M. Cap. 6, 14, *ipsam legem:* alterum pronon. de iis, quae nondum audita neque exposita erant, dici non poterat.

§ 18. *quoniam et locus et sermo familiaris est*) Qui *locum* de insula in Fibreno, *sermonem* de hoc ipso dialogo dictum putant, aberrare mihi videntur a vera interpretatione. Nam *locus* intelligitur de religione, aut religionis: *sermo* est genus orationis et verborum, quo in isto loco utendum est. Quoniam uterque nobis *familiaris* est, inquit, i. e. cognitus, propterea ipsas quasi loquentes proponam, i. e. non ex mea persona sententiam modo cuiusque legis commemorabo, sed fingam leges ea forma, eoque sermone, quo edi et proponi solent. Codicum corruptelae in seqq. levissimae sunt, nec quemquam morari debent. — Mox complures, non inaudito genere errandi, *inesset* pro *id est.*

sunt certa legum verba) Quum prisca vocabula antiquissimarum formularum obsolevissent, nec fere nisi a literatis intelligerentur, remansit tamen in recentioribus color quidam antiquitatis, et ad hanc normam historici quoque vetustissima quaeque reformare solent: qua de

re utilis est annotatio Drakenborchii ad Livium I, 32, 7, et XXXVI, 2, 2. — De *priscus* et *antiquus* dicam infra ad III, 9, 20.

ut in veteribus XII *sacratisque legibus*) Recipiendum fuit hoc ex vestigiis Codd. non sane optimorum, sed qui prudenter mihi correcti esse videntur. Quae alii excogitaverunt remotiora sunt; nec *regias* leges usquam appellat Cicero. Contra in XII *verborum prisca vetustas* erat, Orat. I, 43, 193: quibus quae antiquiores erant, *sacratae leges*, recte secundo loco commemorantur.

et tamen — paulo antiquiora) Solebant contra Ciceronis aetate, quae ex isto genere decernebantur aut edicebantur, communi forma sermonis scribi, iniuriaque Graevius, v. c. in Verr. II, 13, 33, vetustam formam restitui iubebat. *Auctoritas* et *vetustas* iunguntur Verr. IV, 49, 108.

eum morem — consequar) *Morem* intelligit verborum, nempe paulo antiquiorem: sicut appellatur *communis mos verborum*, Orat. 11, 36. — *Cum brevitate consequar*, i. e. ita ut simul brevis sim. Non sensit hoc Beierus in Offic. I, 13, 40, *interitum cum scelere approbavit*, i. e. eum, qui non nisi per nostrum scelus fieri posset. — Tum perperam edidi *si potuero;* conf. Heinrich. ad Cic. Rep. I. p. 204. sqq. Madvig. Disput. de formis verbi Lat. II. p. 5. not.

nam esset infinitum) Moserus reiicit Rathii correctionem, *est infinitum:* utilius fuisset normam indicare ad quam ista exigi deberent. De Ruhnkenii praecepto ad Vell. Pat. p. 216 docte commentatus est Heinrichius ad Rep. I. p. 165. squ., qui tamen et istic, et inferius p. 173. not. exemplis apponendis defungitur, praeceptionem nullam tradit. Si enim non nisi *possum multa dicere*, similiaque, recta essent, numquam *possim*, aut *possem*, quare non item perpetuo requiritur *potes*, et *potest*, aliaque similiter? H. l. *esset infinitum* in ea re dicitur, quam

suscipere et explere non poterat Cicero. Quare recte mihi videtur corrigere Ernestus in Orat. I, 46, 203, *quod et infinitum esset*, pro *est;* si quidem non poterat id praestare Crassus, ut ante de se dixerat ibid. 36, 165. Contra *longum est* (ut Orat. II, 27, 119, Fin. IV, 26, 73) in ea re, cuius facultatem is qui loquitur iure sibi vindicat.

ipsae summae rerum atque sententiae) Sic Orat. II, 31, 135, *omnia — ad communes rerum et generum summas revolventur*. Sed addit *atque sententias*, quasi per epexegesin, quoniam *summas rerum* nunc quidem intelligebat quid ipse de quaque re universe sentiret, i. e., ut infra scribit Cap. 18, 46, *locus ipse ut notus sit ex quo ducatur quaeque pars iuris*.

CAPUT VIII.

§ 19. *neve novos, sed ne advenas* —) Hunc locum acutissime tractavit Madvigius Progr. laud. p. 6. sq.: ipse reddidi optimorum librorum lectionem. Igitur primum *sed ne* mutandum in *neve*, sententiaque finienda in *adscitos*. In novo praecepto agitur de continuandis sacris privatis; igitur eos deos coli concedit lex, *quos rite a patribus* (*adscitos*, non *cultos*, ut volebat Madv.) *acceperint*:) eoque pertinet interpretatio Cap. 10, 26, *nam* (qua coniunctione ad alterum praeceptum transitus significatur) *a patribus — ipsi*. *Constructa*, pro *quos rite*, non nisi deteriores mei habent.

delubra habento — larum sedes) Quum modo actum esset quos deos habere et colere liceret, nunc agitur de locis sacris, in quibus tria genera numerat, delubra, lucos, et Lares in fundi villaeque conspectu.

ritus familiae patriaque servare) Quod edidi *patriaque*, locum cedere debet, opinor, correctioni quae est in D, *patrumque:* atque ita infra Cap. 10, 27. Huius rei

neglectum Scauro crimini dederat Domitius: conf. Asconius in Scaur. p. 21. Orell.

locaverunt) Hoc satis quippe firmatum Lactantii auctoritate, contra omnes libros recipere non dubitavi, commendatum praesertim similibus exemplis ipsius Ciceronis: vid. Davisius.

sacra sollemnia obeunto) Senserat iam Manutius haec non cum superioribus iungenda esse: peculiare continent praeceptum, sed cuius interpretatio periit in lacuna Cap. 11. fin. De more *sollemne* poni in sacris et sacrificiis, bene demonstrat Gronov. ad Liv. I, 7, 13. — Mox recepimus optimorum librorum auctoritate *movento*, quod cur ineptum appellet Davisius, non perspicio.

itaque ut ita cadat) Alterum sane *ita* molestum est: neque enim prius *itaque* concludentis est. Non credo tamen tollendum esse *ita*, sed legendum esse *itaque uti cadat:* postrema vocalis coni. *uti* avulsa *ita* peperit.

sacerdotes publice libanto) Quid h. l. sacerdotes commemorantur? Neque quidquam adiuvat var. lect. *liberanto* quo magis haec ad sacerdotes referantur, quorum munus intercalandi mox suo loco ponitur; contra *libamenta* in legis interpretatione dicuntur Cap. 12, 29, nec tamen quidquam usquam memoratum vidi de *publica* libatione. Quapropter quum singula in hoc legis capite ad privatorum religionem moderandam pertineant, sacerdotum officium eo tantum referri dicatur ut *ne* quid *committi possit*, suspicor perperam huc duo illa vocabula intrusa esse: *publicorum* praesertim *sacerdotum*, qui sunt Pontifices et Decemviri, nulla in his mentio esse potest. Praeterea amplector Ernesti opinionem, *et hoc* errore natum esse, et *certis* — *diebus* cum prioribus in unam sententiam iungenda esse.

§ 20. *itemque alios ad dies — servanto*) Nemo facile reiiciat Pighii correctionem, *alios dies ad ubertatem*. Sed *alii dies* sunt feriarum dies.

idque ne committi possit) Recte quidem Wyttenbachius monuit *committi* absolute quoque dici; conf. Madvig. Ep. Crit. p. 26 et 184. Verr. I, 43, 110, *nemo enim committeret:* sed et illo loco accusativus cogitari potest, et h. l. *id* necessario sic accipiendum, ut dicatur »ne in »ea re peccari, aberrari possit:" exclusa illa interpretatione, ut *id* sit pro, quod attinet ad id.

ad eam rem rationem) Duo Lagom. *rem* omittunt, quo tamen carere sententia nequit. Sed neque librorum lectio, nec (ut alias taceam coniecturas) *ratione* probari potest, quamvis docte explicita; ne cadit quidem vocabulum in harum legum sermonem. Corrigendum est *ratos cursus annuos*, i. e. certos, ut mox § 21 *regionibus ratis*. — In seqq. *quaeque quoique divo*, vetustum formularum sermonem animadvertit Gronovius ad Liv. I, 24, 3.

divisque aliis alii sacerdotes.) Contra institutum nostrum sic editum est; nam libri mei quoque ignorant *alii:* verumtamen requiri videtur. Sed ad eamdem rationem postularetur *singulis singuli flamines sunto:* hoc enim intererat, quod *sacerdotum* collegia erant, *flamines* singuli singulis diis, ut Iovi, Marti, aliis: conf. Cap. 12, 29.

custodiunto ignem foci publici sempiternum) Parum feliciter Davis. ad h. l. corrigit Iulianum Orat. IV. p. 155, ubi dicuntur Vestales servasse ignem sempiternum *κατὰ τὰς διαφόρους ὥρας*, legitque *μετὰ τῆς διαφόρου ὥρας*, multis modis imperite. Corrigendum est *κατά τινας διαδόχους ὥρας*, per tempora quaedam quae sibi invicem succedunt, ita ut non omnes simul praeessent.

quoque haec privatim — rituque fiant) Antiquissimi libri videntur habuisse *quodque;* atque hinc nata videtur falsa correctio in optimis, *modo rituque quo fiant.* — Mox, quod C ex correctione habet, *genera sunto tria*, recte repudiatur, quamquam antiquam fuisse lectionem,

conficio ex E. Sed ista, de quibus hucusque actum est, nihil ad augures pertinebant.

vatum effata) Varronis L. L. locus, quem apposuit Cannegieterus (vid. Creuzerus apud Moserum p. 624) est in Edit. Spengel. lib. VI. p. 229: unde corrigendum Glossarium MS. Bibl. Leid. n°. 56. p. 28.

quorum senatus populusque adsciverit) Quod deteriores habent *quum* pro *quorum*, corruptelae genus est, quo usi sumus ad emendandum supra I, 7, 22. De *adsciverit* minus recte Wyttenbachius, esse pro *etiam sciverit*. Nempe ut deos nisi publice adscitos colere licebat, ita nulla oracula consulebant Decemviri, nisi publice *adscita*.

signis et auspiciis postea vidento) Mendum nondum sublatum a viris doctis, aliis relinquatur considerandum: mihi nihil dum in mentem venit quod placeret. — *Disciplinam tenere* in hac re, est Divin. I, 47, 105.

sacerdotesque — auguranto) In hoc et sequ. capite legis (*quique agent — obtemperanto*) traditur qui quibusque in rebus augurum auctoritate indigeant. Hinc puto legendum esse *sacerdotibusque — auguranto*, i. e. sacerdotibus, qui vel pro salute sacra facere, vel integritatem vinetorum virgetorumque a diis petere solebant, augurio capto auctores sunto: sicut mox dicitur de ipsis auguribus, *auspicium praemonento* eos qui agent rem duelli. Nam ut illi sacerdotes ipsi dicantur *augurare*, nec res patitur, (de salutis certe augurio, fuisse hoc penes augures apparet ex Divin. I, 47, 105, nec de fratribus Arvalibus Varro quidem L. L. V. p. 89 Speng. quidquam tradit, nisi eos *sacra publica facere*,) nec huius legis consilium, in qua augurum munera, non sacerdotum describuntur.

§ 21. *quique agent rem duelli — obtemperanto*) In his vitiosum est *popularem*, sicut in aliis *propopulare*: non tamen videntur in eo offendisse viri docti. Mihi corrigendum videtur *populi rem*: nam *res populi* est res

publica: Rep. I, 25, init. — Tum *praemonento* est augurum, qui praemonerent eos *qui agent rem duelli:* nisi enim ad illud subiectum referatur, ratio nulla erit novi subiecti, *ollique* (i. e. qui agent cet.) *obtemperanto.*

divorumque iras providento —) *Iras providere deorum* non recte, puto, Wyttenbachius interpretatur, ut sit curare quibus sacrificiis deorum irae placandae sint. Melius Turnebus. *Apparere* est ministros esse, ut infra III, 19, 43: putabantur enim Dii mentem suam hominibus indicare ministris usi auguribus, quod non cepit Ernestus, neque ad h. l. neque in Ind. Latin. V. *apparere.* Sic intelligitur, quod in multis libris est, *parento*, ferri non posse.

urbemque et agros — *habento*) Satis constat cuius argumenti hoc caput legis sit: nam auguria tum *urbana* erant, tum *agris* capiebantur, et utrobique *templa* definiebantur, i. e. certae regiones: tum ea omnia habebant *liberata*, i. e. non impedito prospectu, et *effata* i. e. finibus ab ipsis designatis. Huc redire videntur quae ex veteribus Grammaticis excitarunt viri docti ad h. l. Varro L. L. VI. p. 229 Speng., *effari templa dicuntur ab auguribus; affantur qui in his fines sunt:* id. VII, p. 293, *ideo dicere cum templum facit, Conspicione, qua oculorum conspectum finiat.* Qui ista melius intelligunt, his concedo ut verba explorent, et si opus sit, emendent. Nam quum D habeat *et agro*, coniici fortasse poterit *urbeque et agro* [*et*] *templa.*

dira defixerit) Nullam in verbo varietatem afferunt libri mei, neque controversia movenda est: est enim *defigere*, auspiciorum obnunciatione condemnare: conf. Parei Lex. Crit. p. 323. b. Tum non audiendus Wyttenbachius, qui *dira* in Abl. sing. fem. accipit. In augurali disciplina *dirae* dicebantur de certo quodam genere signorum et ominum, quae nunciarent quid eventurum esset nisi quis a suscepto cavisset: sic traditur Divin. I, 16, 29, fin.

atque hae *dirae obnunciabantur* ab augure: nec dubitare oportebat Orellium in Analectis Cic. Vol. IV. P. 2. p. 597, utrum in illa Crassi historia *dirarum* an *dirorum obn.* esset legendum: omina ipsa sunt *dirae*, eaeque obnunciabantur: ea, in quae quis incurrebat hac obnunciatione neglecta, *dira* dicebantur; unde rursus *dira et vitiosa* iunguntur Divin. I, 16, 28, fin.

CAPUT IX.

foederum pacis — bella disceptanto) Handius, probante Beiero ad Offic. I, 11, 36, init., *fetiales* a glossatore adscriptum censebat. Et sane negari non potest saepe in his legibus sollemnes appellationes omitti, sicut modo Septemvirorum et Decemvirorum, saepiusque III, 3, sq. factum est: tum ipsum hoc *fetiales* perperam interpositum esse inter *oratores* et *iudices*. Quod autem Madvigius Programm. laud. p. 17 iudicat, *oratorum* veram esse plerorumque librorum lectionem, quasi res per alios legatos et oratores acta ad fetialium iudicium revocari significaretur; hoc igitur minime accipiendum esse puto. Ipsos fetiales appellari *legatos*, *oratores*, novimus ex Festo v.: conf. Gronov. Lect. Plaut. p. 282. Cort. ad Salust. Iug. CVIII, 1. Tum facillimum explicatu est, propter praecedentes genitivos librarium in huius quoque nominis eumdem casum errore incidisse. Ceterum mei libri nihil novi afferunt; et reliqui *non*, quod multo maior pars tenet: sed praestare videtur *duo sunto*, quod Burn. δ. habet: atque ita Davisius.

prodigia portenta — et aruspices) Haec errore satis communi Cortius ad Salust. Catil. XLVII, 2. p. 277. a, ut e xII Tab. citat. Sed tollenda est copula *et*, quam Burn. δ. quoque omittit: nec mirer si *aruspices* glossatori deberetur. Satis constare hodie arbitror nullos fuisse haruspices Romae qui consulerentur, praeter Etruscos;

cf. Divin. II, 4, 11, fin. *Deferunto* merito dubitatum est ad quod subiectum pertineret: non certe ad *fetiales*, minus etiam ad *augures: sacerdotes* unde arcessat Wyttenbachius, non intelligo. Puto accipiendum esse de iis, quicunque essent, qui portenta ad Senatum retulissent: tum *procuranto*, et *pianto* referenda esse ad sacerdotes eorum deorum, *quibus divis* haruspices crevissent. In ea re *referre* et *deferre* promiscue usurpantur. Nat. D. II, 4, 10, *Gracchus* — (portentum) *ad senatum retulit; senatus, quos ad soleret, referendum censuit.*

Etruriaque principes disciplinam doceto) Usurpatur hic locus in gravi controversia, facilius dirimenda si haec legis verba pluribus explicuisset Cicero infra Cap. 14, 35. Qui defendunt Romanos nobiles adolescentes in disciplinam tradi solitos fuisse Etruscis, perperam utuntur Livii loco IX, 36, 3, ubi non de haruspicum disciplina, sed de universa educatione Etruscorum literis explenda sermo est. Infirmum eorumdem praesidium est in Valer. Max. I, 1, qui nihil agit nisi describit suoque more exornat verba Ciceronis e Divin. I, 41, 92. Sed miror magnum Niebuhrium H. R. Vol I. p. 136. sq. ed. 3tiae tam fidenter pronunciavisse, principes Etruriae fuisse a quibus nobiles adolescentes Romani haruspicinam docerentur. Sed primum *principum filios* minime intelligit Romanorum Cicero, sed Etruscorum; tum metus ille, ne ars ad quaestum abduceretur, inanis fuisset, nisi propriam illam artem Etruriae putavissent. Addo, nusquam tradi Romanos ipsos eam artem factitavisse, neque Offic. I, 42, 151 ei arti locus datur: contra minus honestam per se habitam fuisse, intelligimus ex ad Div. VI, 18, 1. Hinc memoratur in A. Caecina, qui a patre nobilissimo viro acceperat, quippe Volaterranus, i. e. Etruscus, erat Caecina: ad Div. ibid. 6, 3. Ne Harusp. Resp. 12, 35, quidem (si tamen est ulla eius orationis auctoritas) quidquam traditur, nisi haruspices ex Etruria arcessi solitos.

Sed perperam servatum fuit hucusque *docento*, nempe *haruspices*, ut explicat Moserus. Optimi mei tenent *doceto* sc. Etruria: et hoc modo solet regionem appellare: itaque non opus est sequi Frandsenium a Mosero ad Divin. citatum, qui intelligit *principes docento*. In A *Etruriaeque* per correctionem factum erat ex *Etruriaque* pr. m.

quibus divis creverint) Quod de *cernere* pro *decernere* docet Turnebus ad h. l., tractat idem Gronov. Lect. Plaut. p. 111. Memorabile est Sctum ipsis verbis traditum apud Gellium IV, 6, factum, ut videtur, de haruspicum responso.

fulgura atque obstita pianto) *Fulgura* ex haruspicum, credo, disciplina, alia erant *adtestata*, alia *peremptalia:* conf. Festus in v. v. Sed quum *fulgura* complectantur ea etiam quae tacta de coelo, aut icta dicuntur (Divin. I, 10, 16), fieri non potest ut hoc modo *obstita* explicentur. Sed quum *obsistere* in defectu solis aut lunae antiquitus usurpatum fuerit (Cato Orig. IV. apud Gell. II, 28, fin. Ennius apud. Cic. Rep. I, 16, 25), suspicor *obstita* nihil esse aliud praeter illos defectus, sive veros, sive specie ita visos: conf. Ennius apud Festum v. *obstitum obliquum*.

neve quae initianto) Et hoc, et *neve quem*, et reliqua quae memorantur, orta puto e correctione *que*, pro *ve* quod in plerisque remansit: nam unus Lagom. 10 recte habet *neque initianto* sc. mulieres. Locus non est encliticae *ve*, quippe nulla sententiae partitio fingi potest.

§ 22. *sacrum commissum* —) Referuntur haec ad Pontificum munera: conf. Cap. 15, 37. fin. Igitur tum apud Varron. L. L. VI. p. 211. Speng., tum apud Macrob. I, 16, Q. Mucii responsum ex iure pontificio profectum arbitror: eiusdem similia proferuntur infra Cap. 22. fin. — Statim post, bene corrigitur *commissum esto:* errandi opportunitatem praebuit, quod fortasse olim libros occupavit initium legis sic compositum, *sacrum commissum est quod* —, quasi ea definitio esset.

ludis publicis — honore iungunto) Satis demonstratum est a Madvigio Emendatt. p. 68. seqq. ex vulgata lectione, quae omnium propemodum Codicum est, hanc sententiam oriri, ut ludi Circenses excludantur ab hac praeceptione. Atque hoc ferri non posse iam Manutius viderat propter ipsam huius legis interpretationem Cap. 15, 38, quo loco, quod uberius disseritur de modis musicis moderandis, fit hoc in huius placiti novitate, non ideo quod haec una cura sacerdotibus committenda putaretur reliquis exclusis. Sed videamus de Madvigiana emendatione, quoniam superiorum rationes nullo modo satisfacere constat. Igitur assumta Manutiana correctione, ut *sine* mutetur in *sive*, tum deleta part. *et*, sic locum scribendum censet: *ludis publicis, quod sive curriculo sive certatione corporum fiat, popularem laetitiam, in cantu et fidibus et tibiis, moderanto.* Neminem puto dubitaturum esse, quin ita totum genus ludorum publicorum ad *curriculum* et *certationem corporum* revocetur; quod repugnare explicationi legis, in qua ludi *cavea circoque divisi* dicuntur, nihilque ad *caveam* pertinere *curriculum* et *certat. corp.*, demonstratione non indiget. Hoc praeterea difficile est ad solvendum, quod *curriculum* distinguitur a *certatione corp.* Primum enim *curriculum* de ipso *circo* accipiendum est, in quo omnes illae *certationes* edebantur: neque enim per se *curriculum* de quadrigarum certamine dicitur; et si vel adiiceretur *curr. equorum* (ut in altero loco), quare tandem in hac legis brevitate unum genus certandi diligenter erat significandum, reliquis, pugilatu, luctatione, aliis, uno generis vocabulo comprehensis? Satis intelligitur pleniorem enumerationem in primis convenire legis interpretationi, dedecere autem legem ipsam. Sed ex illa generali distributione ludorum (in *caveam* et *circum*) quam legis interpretatio continet, conficiendum esse opinor eamdem fuisse in lege: nec certe licet illa, *popularem laetitiam* —

iunguntio, ad alteram speciem generis restringere. Exsistit autem ex Madvigiana lectione haec mira praecipiendi ratio, »ludis publicis, qui circenses sint, popularem »laetitiam in cantu moderanto." Duo mihi persuasum est requiri in lege: primum, ut initio utrumque genus ludorum (*circi* et *caveae*) memoretur: tum ut vel in utroque genere, vel in neutro adiiciatur, quibusnam in rebus *moderationem* illam versari oporteat. Iam in compositione huius loci iure displicere puto hoc, quod, contra morem sermonis in his legibus servatum, pluribus interpositis disiunguntur a se invicem *popularem laetitiam moderanto*. Quaero praeterea, quid sit *pop. laetitiam cantu* — *moderari:* nec prorsus haec superatur difficultas, adscita praepos., *in cantu*. Nam, quo modo Madvigius tamen constituit locum, quum *popularis laetitia* ad universum genus *ludorum publicorum* referri debeat, probari non potest ut illa omnium ludorum laetitia (igitur Circensium quoque) regatur *in cantu* cet., quippe quae postrema non nisi ad alteram totius generis partem pertinent. Non nimis violentum remedium, spero, videbitur, si ista *in cantu* — *tibiis*, quippe alieno loco posita, in suum revocamus, locumque sic constituimus: *ludis publicis, quod sive curriculo et certatione corporum sive cantu et fidibus et tibiis fiat, popularem laetitiam moderanto.*

praeter — *famulos eosque iustis diebus*) Notandus est error Lagom. 10, qui *idque* pro *eosque* habet, ignorantia exquisitioris Latinitatis, ex qua idem significatur pronomine ad nomen antecedens accommodato.

qui cleperit) *Clepsit* praefert Madvigius ad Fin. p. 748, sq., ut forma conveniat cum *rapsit: clepserit* Hermannus praetulerat Opusc. III, p. 119, quam formam tamen non invenimus ex ullo Codice memoratam in Livio XXII, 10, 5.

periurii — *dedecus*) Haud leviora quam Beierus ad

Offic. T. II. p. 393, de hoc argumento disputat Lipsius ad Tacit. Ann. I, 73.

incestum — sanciunto) *Incesti* vis latius patebat, quam vulgo ab Inttpp. traditur: unde, ne alia excitem, apud Livium, in Dianae sacris, *inceste sacrificium facere:* conf. Davis. ad Cap. 10, 24. Talia per Pontifices expiari solita fuisse, colligo e Tacito Annal. XII, 8. Ser. Fulvium, incesti reum, defendit C. Curio: Brut. 32, 122.

impius ne audeto —) Minus prudenter Wyttenbachius haec et sequentia, usque ad *sacrandi modus esto*, inter se nexa esse contendit. Sunt omnia, sicut descripsimus, peculiaria capita eius partis harum legum, quae ius pontificium spectat: et in interpretatione, Cap. 16. sq., separatim tractantur. — *Poenam violati iuris*, intelligi veram, i. e. divinam, non humanam, apparet ex Cap. 17, 43. sq.: *violatum ius*, infra appellatur *violata religio*, *religionum iura polluta*, *religiones prostratae afflictaeque*.

quocirca ne quis agrum —) Agnoverunt Puteanus et Davisius, *quocirca* non esse huius loci, translatum fortasse ex interpretatione loci Platonici, Cap. 18, 45: idemque sentire videtur Madvigius Programm. laud. p. 4. not. 3. Quumque omittatur in Lagom. 10 (qualem auctoritatem secutus videtur Victorius), suspicor aliud latere in voce corrupta, poteritque, nisi fallor, probari *doni ergo*, ut eadem forma legis sit, quae infra III, 3, 9, *rei suae ergo ne quis —:* requiri autem puto vocabulum quo genus significetur in quo versatur legis praeceptio.

hos leto datos divos habento) Et *hos*, et, quod in optimis libris legitur, *nos*, locum cedat oportet ei, quod dudum viri docti excogitaverunt, *sos*. Sed Servium ad Aen. V, 47, minus recte corrigit Davisius: sanus locus est, modo sic edatur, *apud Romanos defuncti* PARENTES DEI *a filiis vocabantur*. Cornelia mater Gracchorum apud

Nepot. fragm. p. 378. Ed. Heusing.: *ubi mortua ero parentabis mihi, et invocabis deum parentem.* Plato Rep. VII, p. 540, C, senibus philosophis mortuis civitatem publice sacra facere iubet, si ita praecipiat Pythia, *ὡς δαίμοσιν, εἰ δὲ μή, ὡς εὐδαίμοσί τε καὶ θείοις.* — Mox ex corrupto *in olles*, tam bene *in ollis*, quam *in ollos* restitui poterit.

CAPUT X.

§ 23. *conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi*) Videri poterit ante haec aliquid excidisse eius generis, quale infra III, 4, fin. *lex recitata est:* quibus aptius etiam subiiceretur ab Attico, *quidem.* Sed *tam*, optimorum librorum auctoritate expungendum videtur, ortum ex proximarum literarum iteratione: neque enim aut hanc emphasin requirit oratio, aut ulla comparatio instituitur: fieri potest etiam ut propter sequ. *quam* insertum fuerit. *Brevi* i. e. breviter, ut infra Cap. 14, init. Orat. I, 8, 34. Sext. 45, 97. Fin. I, 17, 55. Acad. I, 12, 43, in simili responso *breviter* ponitur. — Mox Lagom. 11, 65, habent, *persuadeatur* pro *persuadere videatur*, genere corruptionis cuius observatione viri docti aliquoties ad corrigendum usi sunt.

ergo adeo exspectate leges) Non memini usquam me legere coniunctas *ergo adeo:* neque illud recte fieri puto, quum primum nihil sit, cuius efferendi et insigniendi causa requiratur *adeo*, neque, propter *ergo*, ferri possit ut concludendi particula. Contra, quum dixisset ab Africano laudatam esse veterem illam rem publicam, consentaneum est ut a se leges exspectandas dicat eius rei publicae. Quare coniicio corrigendum esse, *ergo a me exsp.*

tamen erant fere in more maiorum) Mei quoque optimi habent *erunt*: nec tamen recte dici arbitror, *erunt* haec

in more maiorum, i. e. olim; nec interpretari licebit *reperientur in m. m.* Contra apte dici puto, »si non »*fuerint* (coniunct. Perf.) in nostra re publ., tamen *erant* »in m. m." — *Mos maiorum* (pro *mores*) restituendum Verr. I, 15, 38, sicut recte appellabatur § 37. fin. et § 40: itaque restituit Orellius Orat. I, 10, init., ut fere non dubitem quin eodem modo corrigendus sit Livius V, 6, 17.

§ 24. *Suade igitur — istam ipsam legem, ut —*) Iure quis exspectaverit *istas ipsas leges*, quoniam et ipse Marcus dixerat quales a se exspectandae essent *leges*, et mox Atticus dicit, se *nullam* sciturum aliter: eodemque modo III, 2, 5, fin. *ipsas leges* dicit.

utei tu rogas) Eo manifesto ducebat librorum tantum non omnium lectio, *ut et tu rogas;* idque vidit Davisius: nec video quare propter alia exempla *tu* abiiciendum sit. — Mox, *remittam hoc tibi*, nempe ut suadeas.

atque mea quidem sententia est) Sic fere libri: unus Burn. *δ. atque haec mea.* Verum et his, et quae coniectura excogitarunt viri docti, veluti Madvigius Emendatt. p. 64, *atque mea quidem eadem sententia est*, hoc obstat, quod *atque — quidem* contra sermonis usum ponuntur; si quidem illae coniunctiones usurpantur ab eo, qui vel suam orationem concludit, vel institutam persequitur et diligentius demonstraturus sententiam est: conf. Handius Tursell. I. p. 502. sq. Credo corrigendum esse, *eaque mea quoque sententia est:* erratum praecipue videtur in *q̊* (*quoque*) et *qd̃* (*quidem*) confundendis.

animo videlicet, in quo sunt omnia) Cluent. 64, 194: *neque intelligit pietate, et religione, et iustis precibus deorum mentes, non contaminata superstitione, neque ad scelus perficiendum caesis hostiis posse placari.* — Mox, quod D habet, *castimonias*, in eodem vitio est, in quo supra I, 14, 40, (p. 389) damnavi *impietates.* — Tum, posteaquam *hoc oportet* corruptum esset, ut in C E, in

hoc corpori et, interpolatio orta est in aliis, *hoc corpore licet intelligi.*

multo esse in animis id servandum magis) Omni reprehensione haec carent: neque tamen spernendum, quod optimi libri habent, *est;* si quidem, ut post *res sic se habet*, ita post *hoc oportet intelligi*, subiici posse videtur oratio non suspensa, sed directa: conf. Bibl. Crit. N. III. p. 207.

nam illud vel adspersione aquae) In recentioribus Codd. interpolatum est *incestum* post *illud*, quod non debebant viri docti probare, e quibus Goerenzius tamen verum vidit pronom. *illud* ex antecedd. explicandum esse, exemplo tamen usus minime apto. Nimirum *illud* refertur ad *casta corpora*, intellecta negatione, propter sequentia, ut *impuritas*, aut simile. Notissimum exemplum est Offic. I, 9, 28, *alterum genus* (*iustitiae*) *assequuntur*, — *in alterum* (n. *iniustitiae*) *incidunt:* conf. Beier. ad fragm. Scaur. p. 170. a. Brut. 34, 130, (quo exemplo supra quoque usus sum) *etsi non deerat in causis, tamen* id (non, *deesse*, sed *adesse*) *non saepe faciebat.* Livius VI, 41, 4, *quid de religionibus atque auspiciis, quae propria deorum immortalium contemtio atque iniuria est? quae*, non religiones atque ausp., sed *quorum* neglectio. It ahoc loco *illud* multo disertius ex *casta corpora* in contrarium dicitur, sicut sequens *animi labes.* — *Incesti* praeterea propria mentio et praeceptio est in alio legis capite.

nec diuturnitate vanescere — potest) Verissimum est sollemne esse Ciceroni *evanescere:* non tamen ideo deserendam putavi librorum tantum non omnium auctoritatem, quamquam et facilis et iusta correctio illa est. Sed utile fortasse est animadvertere poeticum esse colorem in postremis. Aeschylus Choeph. 513. Well. τὰ πάντα γάρ τις ἐκχέας ἀνθ' ἅιματος Ἑνός, μάτην ὁ μόχθος. Cic. Rosc. Amer. 26, 71: *mare — quo quae violata sunt, expiari putantur.*

§ 25. *pietatem gratam esse deo*) Nulla causa erat variandi, ut, quae modo, sicut in ipsa lege, *pietas* dicebatur, nunc *probitas* appellaretur, vocabulo in hac sententia minus proprio: numquam *probitas*, sed *pietas* coniungitur cum religione et deorum opinione. Salustius Catil. XII, 4, *delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant.* Livius III, 57, 7, *colebant religiones pie magis quam magnifice.* Cicero ipse mox Cap. 11 init. bis ita *pietatem* ponit: neque umquam ea cum *probitate* permutatur.

quum enim paupertatem cum divitiis —) Est haec lectio ex D expressa, nisi quod hic *et* habet pro *etiam*. Reliqui et optimi quique *quid enim*, cuius interpolatio est *quid est enim cum paupert. divitiis* —. Verum haec forma interrogandi aliquanto firmius, quam par est, necessario fieri demonstrat paupertatem non esse deorum aditu arcendam, quod ea inter homines etiam cum divitiis aequalis habeatur: id quod lenius modestiusque velut consectarium proponitur probabile. Praeterea, *paupertas divitiis aequalis* dici non poterat, neque *divitiarum:* si quidem illae constructiones tantum de tempore, aut de magnitudine duarum rerum inter se collatarum, usurpantur, non item, ut h. l., de iure quod utrique debeatur: nec dubium est quin Philipp. I, 14, 34, rectius legatur, *libertate esse parem cum ceteris.* Sed neque *quid enim* servari potest, nisi sublato *cur*, in qua forma non *eam*, sed *eamdem* scriptum esset. Igitur nil melius reperi praeter illud *quum*, quod facile potuit corrumpi.

non iudex) Iure omittitur *homo*, ante *iudex*, ex interpolatione ortum: in tota hac lege *iudex*, i. e. humanus, excluditur, neque deus *iudex* appellatur, sed *vindex*: cf. ad Cap. 7, 16, fin.

suosque deos —) *Que* poni ita in transitu ad ea quae in serie rerum explicandarum sequuntur, bene ostendit Madvigius ad Fin. p. 476. Non intempestivam huiusmodi

legem Romae fuisse intelligitur inde, quod crebro animorum superstitionem nova sacra et sacrificandi ritus invaserunt: Livius IV, 30, 9, sq. XXV, 1, 6, sq. XXXIX, 16, 8. Creuzer. ad Nat. D. III, 19, init. *Inaudita et nefaria sacra* Vatinio obiicit Cicero Vatin. 6, 14. — Mox *cerimonias sacerdotibus* expressum est ex Lagom. 124, 126, 127: praestabat autem reliquorum omnium librorum pravam lectionem proponere *nossacerdotibus*, aut *nosse*, aut *esse sacerdotibus*. Sic apparet totum hoc insititium esse ad explicandum, quum ferri non posse videretur ut *ignotas* absolute poneretur: conf. tamen Orat. I, 39, 177.

§ 26. *nam patribus*) Necessario probanda correctio est, *nam a patribus*. Nat. D. III, 19, 47, dubium esse non debebat, quin recte legeretur *quos — accepimus*. — Statim post, *patrum* contra omnium librorum auctoritatem abiiciendum erit: conf. supra ad Cap. 8, 19.

CAPUT XI.

easdem illos urbes, quas nos) Quod alii ediderunt, *quas nos urbes*, esse videtur in correctis tantum libris. Videri poterit aliquid interesse utrum hoc, an illo modo scribatur. Correcta haec oratio hoc significaret, deos alias quoque, praeter illas quas nos, incolere urbes posse: in recepta lectione plurimorum librorum hoc dicitur, quum homines urbes incolerent, easdem incolere deos oportere.

si quidem et illud — operam daremus) Non statim apparet quid illa commendatio sacrorum faciendorum huc pertineat: neque enim magi omnia sacra fieri diis prohibebant. Nisi fortasse *res divinae* intelligendum est de illis ritibus et cerimoniis, quae cum aris et signis deorum coniunctae sunt.

et quod Thales) Quamquam locum hunc sic ex optimis

libris descripsi, tamen nondum hoc probare possum, ut, Pythagorae facta mentione, statim in eadem re alius auctor sententiae subiiciatur: conf. supra ad I, 12, 33, sq. Suspicor hanc Thaletis mentionem subdititiam esse, quem praesertim Cicero numquam appellavit *sapientissimum in septem*. Reliqua sic constituo: *et homines existimare oportere omnia cernere deorum plena.* Puto enim in alia correctione, *omnia quae cernerent deorum esse plena*, nihil aliud latere nisi illud Thaletis placitum, quod huius loci non erat: praecipiebat enim hoc Pythagoras, ut cernerent homines omnia plena deorum, i. e. templorum et signorum, unde existimarent, eaque in iis opinio confirmaretur, secum habitare praesentes deos. Alienissima hinc est istius Thaletis placiti sententia, ex qua certe nulla *species deorum in oculis* excitari aut effingi poterat. — *Cernere*, contra quam Goerenzius docere conatur, de sensibus dicitur, tum hic, tum Acad. II, 5, 14. Tusc. I, 20, 46, init.

veluti qui in fanis essent maxime religiosis) Sic Burn. δ. In reliquis, semel recepto *infans*, reliqua (*esset* et *religiosus*) eodem modo corrupta sunt. Non idonea de causa Moserus *veluti quum:* in illo enim exemplo quod apposuit Harusp. Resp. 4, 7, idem subiectum est, h. l. omnium castitas confertur cum iis *qui*, non *quum*.

est enim quaedam opinionis species deorum in oculis) Necessario credo corrigendum esse, ut factum in Lagom. 120 et Ven., *quaedam opinione* —. Sensus enim nullus nisi hic esse aut potest, aut debet: »homines quum in »templis deorum sunt, eorumque imagines intuentur, »fit ita opinione ut veram deorum speciem, formam, »oculis cernere sibi videantur, quam ceteroquin non »nisi mente informare soleant:" de quo postremo Epicureus apud Cic. Nat. D. I, 18, 46, init. Hinc intelligitur haec arctissime cum superioribus iungenda, nec plena distinctione fuisse separanda.

§ 27. *religio Larum*) Suscepta est correctio, sed necessaria et vera. Vetustissimi mei proxime accedunt, *parum*, superscripto tamen *t*. De hac religione conf. Festus v. v. *Compitalia* et *Conceptivae feriae*. — Quod modo *quum* — *tum* malui, quam *tum* — *tum* edere, vid. supra ad I, 11, 31.

servari id est, quoniam —) Perperam secundum optimos libros edidi *servari:* debueram *servare*, quod propter sequ. vocalem corruptum est. Sed correxi interpunctionem, quae ab editoribus male administrata et constructionem sententiae et sententiam ipsam corruperat. Ritus illos servare nihil aliud est, inquit, nisi a diis traditam religionem tueri.

animos mortales esse, sed fortium) Quatuor de meis *sed* omittunt: sed ortum hoc est ex alia corruptela, qua pro *esse sed* scribebatur *esset*.

bene vero quod Mens —) Similem sententiam ornavit auctor Orat. contra Aristogit. I. p. 780. 16. R. De Romanis classicus locus est Plutarchi Fort. Rom. p. 322, C, quem non neglexit Peyron. ad fragm. pro Scauro p. 219. Beier.: conf. ipse Beier. ad Offic. III, 29, 104. et Livius XL, 34, 5.

§ 28. *bene vero quod Mens — Fides consecratur manu* —) Ex nonnullis libris puto restituendum esse *consecrantur:* in huiusmodi enim enumeratione quae nullam habet anaphoram, neque collectivo quodam concluditur, ferri non potest verbum singulare. Quod autem haeserunt viri docti in adiecto *manu*, quod h. l. non cogitandum esset de more templorum dedicandorum, in eo falli mihi videntur. Nam, quum haec verba necessario ad legem defendendam pertineant, et in ea ipsa (*earumque laudum delubra sunto*) templa commendentur, quumque ex illorum templorum adspectu hoc oriri dicat, ut, qui illas virtutes habeant, deos ipsos in animis suis collocatos putent (quemadmodum similem opinionem de diis firmari in hominum animis modo dixit), equidem non puto quidquam aliud intelligendum esse

praeter templorum veram consecrationem, quae *manu* fiebat, quae consecratio sic diserte distinguitur ab ea, quae mente esse poterat. Nullo certe modo probari poterit haec argumentatio, in qua diceretur, »utile esse »Mentem, cet. animo deos habere, nam ita fieri ut deos »in animis collocatos putent." — Mox non probandum est, quod quatuor libri habent, *quorum:* non quod omnino pronom. neutr. post feminina excludatur (statim post recte est, *ut illa qui habeant*), sed quod relativum nunc non tam ad virtutes, quam ad *deas* refertur, easque in genere tantum *deos* appellabant, Nat. D. II, 23, 61, *ut ea ipsa nominetur deus.* Contra, in philosophi disputatione et demonstratione, ibid. *quarum omnium rerum quia vis erat tanta — ipsa res deorum nomen obtinuit.* Nunc contra assumitur eas deas esse. Atque hoc ipsum, e templorum adspectu firmari opinionem eas res deos esse, negabat Cotta Nat. D. III, 24, 61, — *quarum rerum utilitatem video, video etiam consecrata simulacra. Quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam quum cognovero:* in quibus verbis nondum mihi persuasum est, postponendam fuisse veterem lectionem, *quarum rerum utilitate video etiam cons. sim.;* quibus quippe multo aptius, per oppositionem, subiicitur, *quare autem* cet.

nam illud vitiosum —) Non idonea satis de causa ante haec excidisse quaedam suspicati sunt viri docti. Si enim vere Lactantius I, 20 ista ex hac Ciceronis disputatione hauserit, necessario mentio illa gymnasiorum, in quibus Cupidinum et Amorum simulacra consecrata essent, subiici huic exordio, *nam illud vitiosum Athenis* —, debuisset, non praemitti. Sed existimo ea ipsa potius a Lactantio, ex memoria locum indicante, conficta esse accommodate ad suum argumentum. — Sed praeterquam Athenis, in aliis quoque Graeciae civitatibus res non certe optandae consecratae erant, sicut Spartae: conf. Plutarch. Cleom. p. 808. med.

virtutes enim — consecrare decet) Deteriores tantum libri habent *consecrari:* et passivum, nisi necessario de subiecto cogitare iubemur, multo frequentissimum est in hac constructione.

araque vetus — repudianda sunt) Continuantur sic praecedentia: unde facillime intelligitur *quae* ante *vetus*, tum *est* (in aliis *stat*) post *vetus*, interpolata esse: nihil enim aliud vult illa contractio verborum nisi hoc, »et in »eodem vitioso genere sunt illae arae Romae:" *vetustissimae* proclivis est multorum error. Sed laborat tota sententia constructione, tum vitioso *detestatae*. In prompta erat corrigere *detestandae*, ex confusione participiorum satis frequenti: viditque idem Madvigius Programm. I. p. 18, nec multum abest lectio Ambr. *a. detestanteque:* sed nondum satis hoc. Constituit autem locum vir praestantissimus sic: *araque vetusta in Palatio Febris et altera Esquiliis Malae Fortunae, detestandae, atque omnia eiusmodi repudianda. Vetusta* est nunc in Lagom 58, omisso *est:* sed probandum ideo non est, quod isto adiectivo longi temporis duratio tantum significatur, *vetus* autem cum laude et honore appellatur, unde *vetustum aedificium*, sed *vetus proverbium* dicitur. Porro, quum ipse animadverteret non *aras* esse detestandas, sed eas esse rerum detestandarum, miror maluisse eum *detestandae* quam *detestanda:* nam, etiam si ad Febrem et Malam Fortunam referri liceret, nunc tamen totum genus illis participiis damnare vult. Tum hoc teneo, sententiam proprie absolvi in verbis *Malae Fortunae*, eo, quo iam dixi, modo, ut illae quoque arae in eodem vitioso genere habendae sint. Igitur his subiicit hoc de toto genere, *quae detestanda, omniaque eiusmodi repudianda sunt. — Febris* aram animadvertit Augustinus quoque C. D. II, 14. III, 25. IV, 15: qui VI, 10, aliarum etiam rerum vitiosarum Romae consecrata fana memorat.

Vicae potae — Statasandi) Concedendum existimo

viris doctis, qui gerundia ista, *vincendi, potiundi, statasandi*, a glossatoribus profecta putant. Quod constructionem attinet, verba sic constituam, *vicae potae potius atque Statae* i. e. fingantur nomina: tum postremum *nomina* post *expetendarum*, insititium videtur. — Rebus illustrandis satis eruditionis expromserunt Interptt. Eiusdem generis commemorari poterat dea *Pollentia*, ex Livio XXXIX, 7, 8.

quoniamque exspectatione) Recepta est correctio sane ex libris Lagom., sed necessaria. — Mox ex melioribus libris ordinem recepi *Spes a Calatino*, quem postulare videbatur sententia.

Fortunaque sit —) *Multa delubra eius deae in urbe* fuisse, monet Tacitus Ann. III, 71, ubi vid. Ern. De *Forte Fortuna*, idem Tacit. ibid. II, 41: Varro L. L. VI. p. 200. Speng. Garaton. ad Plancianam 42: Livius X, 46, 14. XXVII, 11, 3: de *Primigenia*, XXIX, 36, 8. — Extrema, *Comes tum*, nec corrigere, nec supplere possum: sed videntur desiderari, quae ad explicandam legem pertinent, *sacra sollemnia obeunto*, Cap. 8, 19.

CAPUT XII.

§ 29. *requietem habet*) Huius legis, inquit, consilium est, ut liberi quiescant. — *Compositio anni* praestat alteri, *compositor:* nam in ipsa quoque lege erat *descriptum esto*, nec praescribitur quis describat. — *Ad perfectionem operum rusticorum*, i. e. ut cadant in ea anni tempora, quibus opera iam perfecta sint.

quod tempus ut sacrificiorum libamenta serventur) Constat ex ipsa lege *libamenta* et *fetus pecorum* aliorum fuisse dierum, quam perfectionem operum rusticorum: hinc cogitur *quod tempus* dici non posse; neque *tempus* probandum est in iis quae quotannis redeunt. Cod. Cr. apud Moserum omittit *tempus:* sed credo *quod tempus sacrificio-*

rum esse glossatoris: quis enim umquam dixit *sacrificiorum libamenta?* Tum locum sic describam, *utque libamenta* cet. Sic non indigebimus exquisita Moseri interpretatione, ex qua *quod* pleonastice positum haberetur; quae ratio praeterea refutatur eo, quod initio dixi, non eadem tempora intelligi. Ceterum ferias a Pontificibus proscribi solitas fuisse, novimus exemplo *vindemiarum* et *feriarum sementinarum* apud Varronem L. L. p. 198 et 207. Speng.

pontificum negligentia dissolutum est) Verris impudentissimum facinus in eximendo uno mense cum dimidio, apud Siculos, perstringit Cic. Verr. II, 52, 120. Romanorum negligentiam ac licentiam postea correxit Iulius Caesar: Sueton. Caes. 40.

iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est) Minus apte h. quidem I. sententiam inchoabit *nam*, quod habet Lagom. 10. Sed *haruspicum* mentionem credo alienam esse ab hac lege, in qua supra certe non memorantur: nec proprie dici poterant *instituta haruspicum.*

confitendarum religionum) *Conficiendarum* habent Lagom. 10, 39: sed neque hoc placet, neque ulla de reliquis correctionibus virorum doctorum: nec fortasse aliis placebit quod mihi in mentem venit, *continendarum*, eo sensu quo apud Festum *religiosi* qui sint explicatur.

quumque Vesta — conspexa sit) *Complexa sit*, ut edi solet, in nullo Codice est: falso enim Moserus affirmat de duobus libris Goerenzii, nec de meis Lagom. 124, 126 numero: et tamen illa correctio probanda videtur. *Ut Graeco nomine est appellata*, nempe Ἑστία, qui *focus* est. *Quod nos — tenemus*, corrigi debent e Codd., *quod nos quoque idem Graecum interpretatum nomen tenemus*, i. e. Graecum nomen Ἑστίας nos quoque interpretando, ut sit nobis *focus*, idem tenemus. *Interpretatum* passive quoque dici, constat: nolo tamen exemplo uti Divin. I,

25, 53, ubi bene *interpretandum* praefert Rathius. Postea *focum* Vestae appellaverunt: conf. Inttpp. ad Flor. I, 2, 3.

sentiant mulieres innaturam feminarum omnem castitatem pati) Varietates librorum non sunt magni momenti, *in natura*, *omnem deum castitatem* aut *omnium deum*, tum *peti*. Quod Lipsius excogitavit, *naturam*, et interpretatur »mulieres exercere posse omnis generis castita-»tem;" vix credo Latinum esse. Fortasse huc pertinet locus Augustini C. D. IV, 10: *quum tamen saepius Vestam non nisi ignem esse perhibebant, pertinentem ad focos sine quibus civitas esse non potest; et ideo illi virgines solere servire, quod sicut ex virgine, ita nihil ex igne nascatur:* et paullo post, *quum tantum honoris et quasi castitatis igni tribuerint.* Conieci ipse hoc: *et sentiant mulieres mature feminas ad omnem castitatem temperari.*

§ 30. *sine his, qui publice praesint*) *His* rectum est, quoniam non universe quod esset, sed quod esse vellet, indicat; ideoque *praesint* praeferendum, ut in praeceptione, non in traditione aut historia. — In iis, quae statim sequuntur, *religioni privatae satisfacere non possint*, nec apparet quod sit subiectum v. *possint* (non enim sunt hi qui praesunt), nec probari potest *religio privata*, ut neque *publica religio*, cuius generis quae dicuntur sunt hodiernorum morum. Corrigendum puto *privati:* idque confirmatur eo, quod statim subiicitur *populum* indigere illa auctoritate. Ea ipsa quae sequuntur quin sic, quemadmodum descripsi, emendatissime edantur, ne dubitari quidem potest. *Continere vitam, rem publicam, amicitiam, rem*, ita dicuntur Fin. I, 4, 12: Legg. III, 5, 12: Lael. 6, 20: Livius XXXIX, 48, 2.

descriptioque sacerdotum) I. e. divisio in duo genera, ut bene explicatur. Sed non cepit hoc Beier. in Offic. I, 27, 96. init., *descriptionem duplicem*, esse distributionem in duo genera: a qua distributione diversae sunt *definitiones*, quae statim post ponuntur: eodem modo ponitur

ratio triplex, Acad. I, 5, 19: *ratio tripartita*, ibid. 21, fin.: *forma triplex*, Fin. V, 4, 9: *duplex quaestio*, Offic. I, 3, init.: *triplex deliberatio*, ibid. 3, 9: sicut *divisio tripartita*, ibid. III, 2, 9. — *Nullum iustae religionis genus*, intelligendum puto ut *communia iura*, Divin. I, 5, 8, sicuti *communis religio* dicitur ibid. II, 12, 28. Sed probare non possum Madvigium, qui ad Fin. III, 22, 73. p. 476, hoc ipsum, *descriptioque sacerdotum*, in exemplis ponit, quibus evincat partic. *que* in transitu ad novam rem usurpari: absolutio potius haec est interpretationis, quae ad unum legis caput pertinet.

ad interpretandum alii praedicta vatum) Optimis libris adhaeserat varia lectio, sic, *ad interpretandam alii praedicandam alii praedicata*. Tum *interpretanda* fluxit e Grammatici inutili correctione: conf. supra p. 402, init. — Mox, *neque multorum* cet. recte sunt a novissimis Intpp. explicita.

§ 31. *ius est augurum cum auctoritate coniunctum*) Sic edere malui, quam *quum est auctoritati*. Etenim ne cogitare quidem nunc licebat ius Augurum *quum non esset auctoritati coniunctum*. Igitur perperam Orellius deseruerat Moserum: et miror Madvig. Emendatt. p. 74. sq., tantum ut vitaret pravam sine dubio Goerenzii interpretationem, qui *augurum cum auctoritate* coniungebat, commendasse alterum. — Mox complures habent *existimari*, quod eadem de causa spernendum, ob quam supra passivum exclusi, quod subiectum nunc etiam additur, *nos*, in nonnullis corruptum in *non*. — De abundantia in his, *hoc — ita sentio*, tum alias, tum ad Fin. V, 26, 77, monuit Madvigius.

comitiatus et concilia) Praeter Gronovium in celebrata annotatione ad Livium, de *consilii* et *concilii* differentia egit Cortius ad Salust. Iug. XXIX, 5. Sed non recte defendit *concilii* Garatonius in Sext. 35, init. cf. Schol. Hypomn. I. p. 91: et *consilio* servandum ibid. 30, 65,

quoniam comitiis, non concilio, quamquam per vim coactis, ea res peracta erat. Pariter in Tacito Ann. XII, 1, unice probandum *in consilium vocat*, i. e. ad deliberandum.

alio dixerit) Sic optimi mei. Concedo tamen, propter sequ. voc. primam syllabam, excidere potuisse *die* post *alio*. Sed de Philipp. II, 33, 83, dubito tamen: quoniam, de augure dictum, *alio die, inquit*, incommodum videtur propter *inquit*, quod sane non tantum in sermonis vicissitudine, sed etiam ubi commode dictum alterius citatur, poni solet: igitur ibid. § 84, *quum alio die dixeris*.

legem, si non iure rogata est) Non tantum *leges non iure rogatas*, sed etiam ex Lagom. 10 enotavi *legem non iure rogatam*. — Mox, *ut Titiam* necessaria correctio Manutii est pro *ut etiam*, quod fere Codd. servant. Supra tamen plur. numero *Titiae* dicebantur.

nihil — gestum sine eorum auctoritate) Perperam distinguunt Editores post *gestum:* sunt enim ea arctissime coniungenda. — Sed quaeri poterit, quare *cuiquam* probari? Puto corrigendum esse *posse comprobari*. Divin. I, 40, 89, *augures — rem publicam religionum auctoritate rexerunt*.

CAPUT XIIII.

§ 32. *nam eorum ego in libros incidi*) Appii certe libri augurales Ciceroni non ante, quam in Ciliciam proficisceretur, in manus venerunt: ad Div. III, 4, 1. 11, 3. — Quae sequuntur, *quum alteri placeat*, non, ut volebat Goerenzius, necessario cogunt de visis Appio et Marcello nunc sermonem esse: ita enim praesens ponitur, quum quid ex libro edito excitatur. Tusc. V, 9, 24, (*Theophrastus*) *non magno opere reprehenditur, quum tria genera dicit bonorum:* quamquam hoc exemplum eius potius est rationis, quam explicat Madvigius ad Fin. I, 4, 10,

p. 25, de *quum* pro *quod* posita post verba *laudandi;* igitur etiam *reprehendendi:* aliud exemplum est Fin. III, 2, 9, *praeclare facis, quum* —. Magis istuc pertinere videantur hae locutiones, *memini quum diceret*, similesque. Nam hoc loco perf. *incidi* nullam vim habet in verbum quo designatur res quae exstat, non quae fuit: contra recte diceretur, *incidi in Appium, quum diceret.* Nam hoc enunciandi genus periphrasticum est pro, *in Appium dicentem:* et sic, hoc ipso loco, pro *eorum in libros incidi, alterius dicentis* —. Non tamen premam suspicionem meam, *quum* fortasse, ut supra semel iterumque deprehendimus, ex *quorum* ortum esse. Ambr. β. certe *quomodo.*

disciplina vestra quasi divinari videatur prorsus posse) Non debebam hoc suscipere, prae altero *divinare*, quod dictum est per figuram. *Prorsus* mei quoque optimi omittunt. Credo tamen necessarium esse ad insigniendam opinionum oppositionem, et excidisse propter similitudinem cum verbo *posse.*

esse sentio) Quare alterum, *censeo*, spernendum sit, non tantum exemplis, in quibus *sentio* iudicandi significatione ponitur, demonstratur, (ut Madvigius facit ad Fin II, 3, 6, p. 147 et Add. p. 867, commemorato hoc ipso loco), sed ea norma, ex qua *censeo* tantum in facto futuro ponitur, ut *censeo hoc faciendum esse.* Neque evertitur hoc propter ad Att. VII, 6, 2, *sentiam omnia facienda:* nam ibi sententia animi opponitur verbis et orationi quam dicturus esset: neque *sentio* mutandum est in his Republ. 1, 29, 45, *quartum quoddam genus rei publicae probandum esse sentio:* neque enim de facto agitur: tum ad Div. I, 7, 5, manifesto *sentire* cum *iudicare* permutatur; neque *cunctari* aut *conari* actionem ipsam indicant, sed modum tantum agendi.

quo disciplinae nostrae summos esse concedimus) Haec est librorum lectio, aliis *quod*, pro *quo* habentibus, aut

quid, aut *que*: tum Ambr. β. *deos esse*. Quid requiratur bene perspexerat Davisius: sed in editionibus omnia in peius corrupta sunt. Equidem isto *quo*, per errorem orto ex *quom*, in suum locum revocato, post *nostrae*, legam *Quoniam si modo deos esse*. — *Deorum* enim appellatio in hac argumentatione necessaria est, quae eadem proponitur in II Nat. D., et I Divin.: formaque est enthymematis, cuius propositio pertinet ad *esse divinationem negem*; assumtio usque ad *cogitur:* conclusio omittitur. Simili ratione video a Madvigio correctum esse Programm. laud. p. 18, qui *quod* abiecto, (quippe orto ex male intellecto compendio syll. *dis*), pro *summos* legi vult *si enim deos*. Non decerno utra ratio praestet. — In proximis, *et eorumdem hominum consulere generi*, *benignitatem* insertum post *eorumdem* habent sane Ambr. β. γ: sed cur interpolatum putem haec ratio est, quod non solet Cicero in deorum virtutibus προσωποποιΐᾳ uti. Itaque in terminatione pronominis propter vicina aberratum esse puto, corrigendumque esse *et eosdem:* id quod Mosero quoque placuit.

§ 33. *nostra est plena res publica*) Hunc ordinem cedere debere puto alteri, quem deteriores libri habent, *plena est*. — Mox in verbis *augurum praedictis multa — cecidisse*, inexplicabilem esse constructionem puto; si quidem neque dativum, nisi personae, adsciscit v. *cadere*, neque ablativum explicare licet, ut sit secundum praedicta, quum augures praedixissent. Sed ne attinet quidem ita distinguere *praedicta*, ut praeter haec alia fuerint, quae *vera ceciderint:* ipsa potius illa praedicta hunc eventum habuerunt, ut vera ceciderint: itaque scripsisse puto Ciceronem *praedicta*.

neque — id ad hoc tempus retinuissent) Difficile est explicare *id:* nec sane referri poterit ad *nomen* Heleni aut reliquorum, qui *Graeci* fuerant, vix cogniti illis *nationibus*. Credo latere in vocabulis superstitibus *divi-*

nationem ad hoc tempus, indeque facilius erit mox ea explicare. — *Anparigum*, aliaque monstra in Codd., facile patior ut corrigatur *Arabum*.

nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset) Haec ita enunciantur, quasi Romuli factum illud non exstitisset, nisi priores illi vates vera praedixissent. Rectius, puto, legetur, *neque vero Romulum nostrum auspicato urbem condidisse*, quo ex seqq. ἀπὸ κοινοῦ pertinet *memoria floreret*, i. e. celebraretur: totum enim traditione nitebatur: conf. Divin. I, 2, 3.

nisi omnes hi — dixissent) Tum pronom. *hi* incommode ponitur, tum qui sint *omnes hi*, Romulo tantum et Attio commemoratis, difficile est explicare. Puto corrigendum esse (nam vetus fuit corruptio, quum C habeat, *nisio simulta*), *nisi nostri multa* —.

evanuerit — et vetustate et negligentia) In *negligentia* sc. ipsorum augurum, intelligendum *amissa ac deserta sit*, sicut loquitur Divin. 1, 15, fin.

ita neque illis assentior) Non indigemus coni. *itaque*: ipsum *ita* est, propterea, hac de causa. — Quod optimi libri habent, *assentio*, non probandum est ex illa disputatione, qua recte usus est Madvigius Emendatt. p. 131. — Tum servavi *illis*, propterea quod illis pronom., *ille — ille*, non puto Appium et Marcellum recte designari, sed ita in genere plures significari inter se dissentientes.

quae mihi videtur apud maiores fuisse duplex, ut — pertineret) *Fuisse*, quod Ernestus deleri volebat, requiritur propter oppositionem (*esse etiam nunc*). Sed perperam adverb. *dupliciter* iungitur cum *fuisse*: non enim duobus modis fuit illa disciplina aut ars, sed quasi bipartita. — *Ad rei publicae tempus*, i. e. in r. p. discrimine; sicut *P. Sextii tempus*, Vatin. 1, 2: et infra de auguribus, *maximis rei publ. temporibus praesto esse*, III, 19, 43. — *Ad agendi consilium*, pro *et*, videtur correctio esse, sed necessaria.

§ 34. *redde cetera*) I. e. expone quae promisisti: et convenit cum Gr. ἀποδοῦναι, de quo vid. Wyttenbach. Bibl. Crit. III, 2, p. 57. Infra III, 5, 13, *reddes de magistratibus.*

CAPUT XIV.

et, si potero, brevi) Ex collatione meorum librorum apparet *ipsi* vetustam fuisse corruptelam, correctam in *si.* Scilicet mera fuit aberratio librarii, pro *si potero* pingere incipientis *ips.* Igitur merito dubitat Madvigius ad Fin. p. 303, *ea ipsa* (quae non nisi deteriorum librorum lectio est) sanumne sit.

ius ut plurimum valet et fides: forumque ut publici interpretes —) Quam Madvigius Programm. laud. p. 17, commendavit correctionem, ea est in optimis meis libris, *valeret*, quam suscipere debueram: neque enim locutio *ut plurimum* defendi potest per se. Idem *forumque* mutat in *eorumque*, genere corrigendi quo alibi quoque usi sumus: cui tamen hoc obstat, quod pronomen necessario ad *ius et fidem* referri necesse erit, quorum essent interpretes. Quare malim *forumque* mutare in *foederumque*, quod, nisi fallor, ipsius legis verbis commendatur. *Horumque* correctio videtur esse in recentissimis libris. Igitur tollenda media distinctio post *fides.*

satis supraque in ipsa lege) Pro *supraque*, Editt. fere *superque*, quod in nullo meorum est. Sed aliud eruendum est ex C, ubi est *satis esse illa ne ipsa*, in aliis *se* pro *esse:* nam *satis superque* alienissimum est ab hoc quidem loco. Equidem a Cicerone relictum puto *satis esse in ipsa*, et *illa ne* aberrationem esse (*illa in*) pro *in ipsa.*

quoniam — in religione versatur oratio) Quasi dicat, quoniam ista *rei publicae causa communisque religionis colenda censeo*, sicut loquitur Divin. II, 12, 28.

aut ego reprehendam) Non intellexit hoc Orellius, quum tamen recte exposuisset Wyttenbachius: est enim *reprehendere*, revocare, retractare: ut Verr. III, 20, 51. conf. ibid. 96, 223: et sic cepit Madvigius ad Fin. in Addend. p. 867.

§ 35. *excepto praesertim*) Videtur *excepto* in antiquioribus omnibus corruptum esse: proxime aberat *expecto* (ut E): correctio necessaria videtur in recentioribus libris fuisse. — Mox *Eumolpidaeque vestri* auctoritate Ambr. suscepi, pro *nostri*. Codicum in tali re minor est auctoritas. Sed Ernesti dubitationi occurrendum est, qui *nostri* ideo probare videtur, quod ipse Cicero initiatus esset Cereris sacris. Sed neque Eumolpidae ideo Ciceronis esse dici poterant, quod istis sacris initiatus esset, et diserte nunc Atheniensium instituta, quae a Romanis distinguit, commemorare solebat; proptereaque Eum. *vestros*, i. e. Atticos, appellat.

§ 36. *omnibus bonis firmisque populis leges damus*) Non sine causa Ernestus dubitavit utrum *firmis* genuinum esset: nec spernendum illud quod excogitavit Moserus, ut *firmisque* in *firmandis* mutaretur; modo non addidisset *bene firmandis* pro *bonis firmisque*. *Populi* certe nullum eiusmodi adiectivum patitur: suspicorque potius in *bonis* quoque simile participium latere, cui subiiciatur *firmandisque*.

ego vero excipiam) Revera tamen non excipiebat: nam una illa Graeca sacra, ut in lege dictum erat, excipiebantur; Eleusinia autem mysteria, nocturnis quippe sacris celebrata, tolli, satis apparet ex fine huius Cap. Itaque perperam Moserus reprehendit eos, qui alius alio modo sic edere volebant, ut exstaret hoc, non excipi ista a Cicerone. Fieri potest ut nonnulla exciderint. ut v. c. locus sic compositus fuerit, *Ego vero excipiam nocturnis sublatis.* Ipsa Eleusinia sacra numquam Romam translata fuerunt: Sueton. Claud. 25.

quum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse) Coniunctivus, *videantur*, est in libris deterioribus, quem tamen ideo non adscivi, quoniam neque in altera parte *tum* idem est quod *tamen* (ita ut *quum* poneretur pro *licet*), et tota enunciatio ita partitiva est, ut a generali tantum descendat ad particulare. Diversum est, ubi in altera parte, *tum* omissa, non dividitur sententia, sicut Offic. I, 2, 4, *quum multa sint —, latissime patere videntur ea.*

in vita hominum attulisse) Non utitur accusativo (*in vitam*), credo, propterea, quod *afferre* est inveniendo addere, neque motus significatio cum hoc loco coniungi potest. Divin. I, 49, 109, *affert vetustas omnibus in rebus — incredibilem scientiam.* Acad. II, 36, 117, *vim afferunt in docendo.* Orat. I, 33, 152, *si in dicendo scriptum attulerit.* Contra, ubi diserte motus indicatur: Rabir. Perduell. 9, 25, *numquam istam imaginem — in rostra atque in concionem attulisset:* tum removenda sunt quae huc non pertinent, ut Offic. I, 1, 1, *quam ad rem — magnum attulimus adiumentum*, ubi est *adiumentum ad rem*, non *attulimus ad rem.* Sed Tusc. III, 11, 25, quo exemplo utitur Moserus, *in vitam* postulari mihi videtur propter ipsa verba (*immittit et incitat*), et propter similitudinem in qua ista dicuntur. Nec huc pertinet Fin. V, 30, 92, (*in mari*): tum diversi generis est hoc, in Planc. 30, 73, *ut omne studium meum in Cn. Plancii honore consumerem*, quod bene tuetur Garatonius; est enim, quum de Plancii honore agebatur; sicut bis *in honore* dicitur ibid. 9, 23, sq.: recteque ablativus est (dissentiente Orellio ad Planc. p. 316) Sull. 11, 32, *ut in ceteris firmaret imperium*, i. e., ut minus Latine dicam, apud ceteros: nam obiectum sententiae est *in ceteris*, non *imperium ipsum.* Livius V, 11, 16, *potestate uti in aliquo.* Ex Arusiano Cortius in Salust. Histor. fragm. I, p. 935, recte videtur edidisse, *quorum in gratia*

plerique concesserant: tum iure correxit Ernestus in Tacito Ann. III, 24, *valido D. Augusto in re publica fortuna*, quippe alterum (*in rem publicam*) minime conferendum est cum *in potestatem habere*, similibusque. — *Vita hominum* intelligenda est, vitae instituendae ratio et facultas, sicut Nat. D. I, 2, 3, (ubi minus recte interpretatur Wyttenbachius): Tusc. III, 11, 25: aliquanto arctius intelligitur Verr. III, 5, 11, *de vita victuque populi Romani:* itaque Graeci ὁ ἀνθρώπων βίος, de quo Hemsterhusius, ad Luciani Colloqu. p. 70. sqq. ed. 3tiae: atque ita Demostheni Coron. p. 330. 10. ὁ παρὼν βίος est praesens civitatis conditio.

nihil melius illis mysteriis —) Conf. Taylor. ad Demosth. Coron. p. 313, 18, R. Verr. V, 72, 187. — Quod autem *initiorum* hanc vim dicit esse, ut eo ipso vocabulo indicentur *principia vitae*, simile est argutiarum Stoicarum in eodem genere. Sic enim potius iudicandum videtur, quam, ut fecit sollertissimus antiquitatis existimator Lobeckius in Aglaoph. I. p. 73. not., hanc rhetoricam interpretationem vocare. De Graecis, quum Isocrates iam iunxisset τελετὴν cum τῇ τοῦ βίου τελευτῇ, Plutarch. fragm. de Anima (apud Wyttenb. S. N. V. p. 136) vere coniuncta esse dicit, διὸ καὶ τὸ ῥῆμα τῷ ῥήματι. καὶ τὸ ἔργον τῷ ἔργῳ τοῦ τελευτᾷν καὶ τελεῖσθαι προσέοικε Rursus aliam nominis τελετῶν rationem affert Chrysippus apud Plutarch. Stoic. Repugn. p. 1035, B. — Sed Livio XXXIX, 8, 5, Bacchanalia quoque *initia* appellantur. Ruhnkenius ad Sueton. Aug. 93 citat Casaubonum Exerc. ad Baron. XVI, 43.

cum laetitia vivendi — cum spe meliore moriendi) In cognato argumento Plato Rep. I. p. 330. fin. ζῆν μετὰ κακῆς ἐλπίδος· pluraque tradit Wyttenb. Epist. Crit. Opusc. Vol. I. p. 35.

displiceat innocentes) Ingeniosa et necessaria est Lambini correctio *in nocturnis*. — Illae pervigilationes veta-

bantur quoque praeceptis morum: conf. Phintys Pythagorea Stobaei LXXIV, 61, fin.

quidnam egisset ille —) *Quidnam* puto mere dubitantis esse, nec convenire huic quaerendi consilio, quo urgetur *illum* flagitiosissime quaeque ausurum fuisse. Sic supra I, 14, 41, *quid faciet in tenebris:* III, 9, init. *quae ille non edidit.* Corrigendumne *quid tandem?*

quo ne imprudentiam quidem oculorum adiici fas fuit) *Imprudentiam*, non *impudentiam* opponi decebat *cogitatae* libidini: ipsumque hoc, *imprud. oculorum*, natum est ex concinnitatis studio: tum neque hoc in illo ornandi conatu improbandum, neque quod Agrar. II, 10, 25 dicitur, *cupiditatis oculos adiicere.* Stulte hanc modestiam exaggerando imitatur scriptor Harusp. Resp. 5, 8, *sacra — adspectu virili — violavit*: et 17, 37, (*sacrificium*) *quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes: quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare.* *Quo — adiici* tuetur exemplis Madvig. ad Fin. IV, 12, 30.

CAPUT XV.

§ 37. *ad nostra igitur revertor*) *Nostras*, quod in uno alteroque libro est, non scripsit Cicero, quoniam placitum huius unius legis nunc persequitur. — Mox Lagom. 65 omittit *est* post *sanciendum;* fortasse recte.

ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat) Davisianae correctioni — *oculi et lux clara* —, favere videatur locus Philipp. XII, 9, 22, *ubi me non solum amicorum fidelitas, sed etiam universae civitatis oculi custodiunt.* Tamen concedendum est ut audaciori figura utatur, ipsumque custodire luci tribuat ita, ut ea multorum oculis utatur.

initienturque eo ritu Cereri, quo Romae initiantur) Notabilis lectio aliorum, *initienturque quo ritu Cereri*

Romae init. Sed imperite, ut mihi videtur, Goerenzius *Cereri* eiectum volebat: manifesto enim alia *initia*, praeter Cereris, in lege abrogantur.

senatus vetus auctoritas —) Intempestive Moserus describit Wyttenbachii annotationem, ad verbum fere cum Goerenzio conspirantem, nec umquam, certo scio, editioni destinatam. — Mox, quid de *exercitu adhibito* statuendum sit, nescio: tradit enim Livius XXXIX, 8, init. *insequens annus — consules ab exercitu — ad intestinae coniurationis vindictam avertit.* Corrigi poterit, *consulum ab exercitu accitorum quaestio* —. De *Diagonda* nihil reperi.

novos vero deos, et in his colendis nocturnas pervigilationes —) Revocandum puto *novas pervigilationes*, i. e. peregrinorum sacrorum; non *nocturnas*, abundantia ingrata. Est quidem pro Fontei. 17, 37, *nocturnis Fonteiae laboribus vigiliisque;* sed vigiliae non semper nocturnae sunt.

imprudentiam consilio expiatam metu liberet —) *Imprudentia consilio expiatur*, si id, quod per imprudentiam commissum est, postea consilio et deliberata mente male factum esse agnoscitur; et hanc imprudentiam pontifex metu poenae liberare poterit.

audaciam in et inmitendis religionibus foedis) Satis apparet hinc, legem illam (§ 22. init.) *sacrum commissum* cet., esse corollarium praecedentis de sacris nocturnis et initiationibus. *Audacia* opponitur imprudentiae in sacro committendo, et proprie in sanctis violandis dici videtur, sicut Rosc. Amer. 25, 70. Ceterum servavi lectionem corruptam, quippe optimorum librorum: nam ipsa ea quoque, quam aliorum librorum auctoritate edere solent, *in admittendis*, propterea probari non potest, quod non *religiones admittere*, sed *scelus* aut *facinus* dicitur. Sed ne *imitandis* quidem, quo ducunt Codd., probari potest: nec quicquam propius verum accedere puto,

quam *in initiandis*. — Mox, pro *damnet atque*, C E habent *damatque*, eo vitii genere quod in Programm. p. 4, not. 1, animadvertit Madvigius.

§ 38. *iam ludi publici — dummodo ea moderata sint*) Qui recentissime de loco difficili et corrupto sententiam dixerunt, Madvigius et Orellius, sic in diversa abeunt, ut ille (Emendatt. p. 67) corrigendum censeat, *iam ludi publici quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certationi, cursu et pugilatione* [*et*] *luctatione, curriculisque equorum usque ad certam victoriam in circo constituti, in cavea cantui, voce ac fidibus et tibiis:* Orellius sic, *iam ludi publici, quoniam sunt cavea circoque divisi, sint corporum certatione, cursu* [*et*] *pugilatione, luctationi, curriculisque equorum usque ad certam victoriam, circo constituti: caveae cantus, voce ac fidibus et tibiis; dummodo* cet. Sunt in his nonnulla, quae vix probari posse videntur; veluti in Madvigiana lectione *sint — constituti* nimis magno intervallo disiuncta sunt; in Orelliana *sint certatione* vix Latinum videtur. Mihi sic placet: *iam ludi publici quoniam sunt cavea circoque divisi, corporum certatio, cursu, pugilatione, luctatione, curriculisque equorum, iisque ad certam victoriam in circo consistat, in cavea cantus, voce ac fidibus et tibiis.* Apparet utrumque genus ludorum diligentius describi, et praecipi quibus finibus quodque regendum esset. Hinc corporum certatio in circo consistat, inquit, iis certaminum generibus, quae enumerantur, et in quibus minime ineptum est memorari *curricula equorum*, quae certe gymnicorum, non musicorum certaminum sunt; adiiciturque, *iisque ad certam victoriam*, non *usque:* nam *ad certam victoriam* est, quibus certaminibus nihil aliud praescribi necesse est, neque ullum modum certandi, nisi quod victoria, quae certa erat, finirentur. Tum addit, *in cavea cantus*, nempe consistat, *voce* cet. In his *iisque*, tum *in* ante *circo* et *cavea*, sunt e Codd.

Platoni) Tum eo loco, qui indicari solet, Rep. IV, p. 424, D. tum aliis locis de hoc argumento exponit Plato: conf. Legg. III, p. 700. sq., aliaque contulit Iacobs. Lect. Stobaeens. p. 79. sq. — Mox, *quam varios canendi sonos*, verum esse non potest: neque enim singuli *soni* eam vim habent, sed compositio plurium sonorum ad certum ordinem, qui *modus* canendi dicitur (melodia). Quare ex lectione Lagom. 39 *canendos modos sonos*, retinendum puto *canendi modos.*

namque et incitat —) Unus Ambr. γ. *incitant:* sed singul. pendet ex *vis.* — Tum corrigendum opinor *conservari modum*, ut aliis locis post verbum impersonale.

quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus) Requiri puto id, quod habet Lagom. 65, *immutatis;* ut sensus sit, simulatque cantus immutati sunt, mores pariter lapsi sunt. Pro *ad mollitiem* quum C habeat *ad mollitis*, haud inepte quis suspicetur lectionem hanc designari, *ac molliti.*

hac dulcedine corruptelaque depravati) *Hac* i. e. cantuum, ut mox *huic mutationi:* pertinetque hoc ad ea, quae animadvertit Madvigius ad Fin. p. 258 et 691. In *dulcedine*, quum per zeugma eo referatur *depravati*, intelligendum *molliti.*

in auribus animisque) Non fuit emendatio Goerenzii, ut omitteret *que* (quod etiam in C omittitur:) sed sensum ita pervertit. *Aures animique* coniuncte dicuntur, id est aurium iudicium et exspectatio, et id quod expleri audiendo cupimus: aures animique mutati tanto facilius illam cantuum mutationem admiserunt.

§ 39. *quamobrem ille quidem sapientissimus* —) Obtemperandum puto iis libris, qui *quidem* omittunt, quae coni. tum aliis multis locis intempestive inseritur, tum eam nonnulli libri habent Cap. 16, 41, *ne placare quidem.* Addito *quidem* significatur iam statim aliquid excipiendum

aut detrahendum esse de illo iudicio; quod, ut puto, alienum est a Ciceronis consilio. — Tum in seqq., *ego autem*, haec quoque coniunctio, cuius loco Lagom. 10 habet *vero*, praeter necessitatem invecta videtur, in aliis libris etiam omissa.

illa quidem quae solebant quondam compleri severitate iucunda) Difficile est eorum interpretationem probare, qui *illa* intelligunt *theatra* i. e. spectatores: et tamen nihil melius reperio: *theatra* isto modo ponit Plin. Epp. III, 18, 9, quocum conf. Plato Legg. II, p. 658, fin. Sed, *compleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis*, quum syntaxi laborat, propter duplicem ablativum, tum perverso verborum usu, quod *severitas* complere dicitur, non *modi*, (ut sonus Rep. VI, 18. init.: ferri poterat *severitate modorum*) et quod *iucunda* appellatur severitas. Restituendum suspicor *severis et inconditis L. et N. modis*.

ut eadem exsultent, ut cervices —) Alterum *ut* suscepi ex Ambr. Sed necessario corrigitur *exsultant, torquent*.

pernicies illapsa civium animos) Duo Ambr. *β. γ.* confirmant Goerenzii correctionem, *civium in animos*. Tamen, propter Madvigii admonitionem, praestat corrigere *in civium animos:* praepositio abesse non potest. Sed perperam negat Madvigius causam esse cur *civium* praeponendum esset: nam *civibus* opponuntur *totae civitates*. — Mox, *studia doctrinaeque* sunt Graecorum ἐπιτηδεύματα καὶ μαθήματα· errat Goerenzius.

illa severa Lacedaemon — fidibus indi) Conf. Plutarch. Agid. p. 799. fin. sq. *Quo plures* iure, auctore Madvigio, suscepit Orellius: reliqui mei *quod plures*. Pro *indi*, veram puto esse Lambini coniecturam *incidi*, quod verbum in primis in *nervis*, alio sensu positis, usurpatur. Quod in deterioribus libris additur, *demi*, interpolationi debetur, postquam corruptum *inde* mansisset. *Nervos in fidibus*, attigit Madv. ad Fin. IV, 27, 75.

CAPUT XVI.

§ 40. *ut de ritibus patriis colantur optima*) *Optima* praetuli, quod idem in lege erat. — Mox, *de quo quum consulerent quas religiones tenerent*, dictum est ex noto genere abundantiae.

respondit) Pythia: sicut *ἀνεῖλε* quoque impersonaliter usurpatur. — Mox, *antiquissimum* proprie accipiendum; neque enim respondit *id dignissimum, quod optimum*. Ceterum similis sententia in Zaleuci prooemio fuit, ut est apud Stobaeum XLIV, 21, init. *πάτρια δὲ εἶναι τὰ κάλλιστα·* quae, quamquam simplicissima, una cum reliquis non intellexit Heynius, frustra totum locum corrigens, qui sic legendus est: *πάντας δὲ τιμᾷν, καὶ τοὺς καθήκοντας τῇ πόλει, καὶ τοὺς ἄλλους νομίμοις τοῖς πατρίοις*, deletis, quae ex deperditis assumta erant, *τοὺς θεούς·* dii *καθήκοντες τῇ πόλει*, sunt dii *πατρῷοι*.

stipem sustulimus —) Servius, qui haec de memoria citat ad Aen. VI, 611, verba *dignis igitur largiendum est* adiecit, quum teneret praecepta liberalitatis ex Offic. I, 14, deceptus fortasse verbo *exhauriendi*, quod recurrit in simili argumento ibid. II, 15, 52. Stipem conferebat quoque populus Apollinares ludos spectans: conf. Festus V. *Apollinares ludos*, M. Gudius ad Phaedrum III, 20. p. 78. ed. Burm., et Dukerus ad Liv. XXV, 12, 14.

neque ei solum) Hoc retinuit D: antiquiores habent correctionem, *soli*, minime necessariam: conf. Madv. ad Fin. p. 93.

qui sacrum abstulerit) Non dubia modo, ut Orellio videtur, sed falsa coniectura (s. potius lectio) eorum est, qui *e sacro*, vel *de sacro* legi volunt: sic enim tolleretur discrimen inter sacrum et profanum, i. e. sacro commendatum: et ipsum *commendatum* nihil aliud est, nisi *depositum*, conf. Gudius ad Phaedr. p. 31. Burm. Legem de sacrilegis exponit Plato Legg. IX. p. 854. sq.

§ 41. *Alexander in Cilicia deposuisse* —) Optima est Madvigii correctio Emendatt. p. 75, ut legatur *et Alexander*, continuatis his cum superioribus, frustra dissentiente Handio Turs. II, p. 517, de quo annotabo infra ad III, 2, 4: quodque ad totius sententiae absolutionem pertinet, acutissime vidit vir praestantissimus, Programm. p. 19, ex *credidit sed* efficiendum esse *credidisse*. Alio modo *sed* tollendum erit infra III, 8, 19. — *Apud solensit*, et alias corruptelas tenent plerique Codd., meorum nullus *apud Solenses:* sed verum habet Burn. *δ*. *apud Solos:* neque enim homines, sed regionem indicare voluit. Probabat Ernestus. Mox, *civis egregius*, in summis laudibus poni solet a Cicerone, sicuti de Themistocle et de Coriolano, Brut. 10, 42, de P. Popilio, ibid. 25, 95, aliisque locis.

diligentia votorum — dicta est) Optimi mei habent *dictum est*. Sed quominus *de* initio excidisse dicamus, vetat nominativus *voti sponsio*. *Disputatum est*, in Ambr. *β*., stupida correctio est: non enim disputat lex, sed iubet. Sed quoniam haec postrema (*voti sponsio*) non in lege sunt, sed brevem continent interpretationem, corrigi poterit sic, *de diligentia votorum satis in lege dictum: est haec voti sponsio* —. De voti sponsione, Livius VIII, 10, extr. et Inttpp. ad VII, 28, 5.

poena vero violatae religionis —) Perperam Ciceronem reprehendit Goerenzius, quod, quum in lege posuisset *poena violati iuris*, nunc maluerit *violatae religionis*: est enim unum idemque, sicuti mox Cap. 17, init. *religionum iura polluta sunt*, et paullo post, *religiones prostratae et afflictae sunt*, ut ab aliis exemplis abstineam: conf. supra ad Cap. 12, 30 fin. p. 522. Tum falso plane statuerunt novissimi Editores, pertinere haec quoque ad legem de *votorum* religione et diligentia. Nec *violandi*, nec *polluendi* verbo locus est in *votis*, neque in iis quae ante ea sancita erant: itaque in fragm. de aer. al. Milon. apud Orellium Vol. V. P. II, p. 345, sepa-

rantur *violatae religiones*, et *incestus stupra:* et superiora illa hoc quoque distant a *violati iuris* lege, quod in hac poena divina statuitur. *Iustam recusationem non habet*, i. e. a vobis recusari non potest; propterea nempe, quod necessario cum eo scelere coniuncta est. Non cepit hoc Wyttenbachius. — Mox, *sceleratorum* propria appellatio est in violata religione, ut *sceleris*, in polluto divino iure. Intelligit eos, quos in tragoediis videbant furiis divinitus immissis agitari. Scenae exempla ad veritatis aestimationem et Cicero aliquoties vocabat, neque inauditum erat in Graecis Oratoribus: utitur certe eo Andocides, qui dicitur, Contr. Alcibiad. p. 180. Bekk. — Mox, *attingantur* mera correctio est eius, quod vetustiores libri habent, *attingant;* sed restituendum *attingam*.

etsi haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur) *Haec commemoratio* intelligenda de ipsis iis, quae commemoraturus erat. *Supra hominis fortunam*, simile est eorum, quae ad Vell. Pat. II, 31, init. emendandum adhibuit Ruhnkenius.

sermo mihi est apud eos) Verissima est Ranconeti emendatio, *apud vos*. Orat. I, 26, 119, *si quaeritis — quid sentiam, enunciabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui*. Att. I, 16, 8, *non enim mihi videor insolenter gloriari, quum de me apud te loquor*. — Mox, nihil intercedo quo minus deteriorum librorum *velimque* recipiatur pro *volamque*.

CAPUT XVII.

§ 42. *omnia tum perditorum civium scelere —*) Tractavit hunc locum postremus Madvigius Programm. p. 19. sq. qui primum, propter *tum*, temporis alicuius significationem requiri in antecedd. contendit; sed ita abundare *discessu meo:* igitur *tum* rectum non esse: praeterea sentit *circumspicite* sic nude initio novae sententiae poni non

posse. Hinc locum sic constitui vult — *quam grave hominibus. Quum perditorum — servarat; circumspicite* cet. Ex his non accipio id, quod de *tum* dictum est. Refertur enim commode ad illa tempora, quae ex antecedd. necessario iam intelligebantur. Sic Sext. 21, 47, nulla significatione praemissa, *An mihi ipsi — fuit mors aequo animo oppetenda? Quid? tum mortemne fugiebam?* Offic. III, 20, 81, (*quod sibi tum proposuerat*) praecesserat sane narratio, sed tamen post aliquod intervallum *tum* subiicitur. Hinc puto Hotomanum bene corrigere in Verr. I, 59, 154, *quam tum* (pro *tu*) *viam thensarum — exegisti.* Eamdemque rationem Graecorum exemplis, usu adv. τότε, firmare facile erat. Sed ne hoc quidem negligendum est, quod alias subiicitur *quum*, nunc inesse in ablat. *discessu meo*, quod per se definitionem continet, neque ideo abundat. Deinde dubito an in hac structura, *quum religionum iura polluta sunt, hi sunt rerum exitus consecuti*, ferri possit perf. Indicativi post *quum*. Neque enim hic locus eius est generis, quod describitur a Madvigio ad Fin. III, 19, 63. p. 459, et ad V, 15, 41, p. 690: requireretur enim *hi exitus consequuntur*, quasi memoraretur id quod simul, aut statim, factum esset. De *circumspicite* difficilius est negare, paullo abruptius sic inchoari novam sententiam: sed ex plerorumque Codd. corrupta lectione *hecceleriter*, et *hocceleriter*, efficio *circumspicite nunc celeriter*. Ne *omnia* quidem concedam mutandum esse in *hominibus*: nam vel extra exaggerationem requiri puto, et languidum in primis fore hoc, *religionum iura polluta sunt.* Sic ad Div. V, 13, 3, in re simili, *circumspice omnia membra rei publicae.* Restat, ut de lacunae signo dicamus, quod multi post *grave* posuerunt, et ipse Madvigius iudicabat *grave* ad deos non recte referri, qui supra contentionem essent. Sed neque hoc opus est, et ne ipsum *gratum* quidem regit dativum *diis immortalibus*, qui a *videtur* pendet:

si quidem, hac significatione *gratus erga aliquem*, non *alicui* dicitur: (Planc. 38, 91, dativus pendet a *praebeo*.) Nec certe deos cogitavit in Leg. Agrar. II, 1, 2, *de me autem ipso, vereor ne arrogantis sit apud vos dicere, ingrati, tacere. Nam et, quibus studiis hanc dignitatem consecutus sim, memetipsum commemorare, perquam grave est, et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum*, i. e. ingratum esset. Sed locuturus ista erat nunc diis immortalibus quasi testibus, qui qualis quisque sit intueantur, ut dicitur Cap. 7. init.

pulsus e delubris is, qui —) Pariter in tertia pers. de se, fragm. de aer. alien. Milon. 1, 2: *eiectus est ex urbe civis auctor et custos salutis* cet.

circumspicite — animo) *Animis*, commendatum a Davis. et Madvigio l. c., habent Ambr. γ. et Lagom. 10: deteriores *animus*, meliores *animo*. Et sane in orationibus, quum ad plures loquitur, plurali numero uti solet: cf. Verr. III, 12, 29. 23, 58. 94, 218. Cluent. 25, 70. Sull. 25, 70. Coel. 9, 20. Balb. 20, 47. Milon. 29, 79; sicut de uno iudice, *animo ac mente circumspicere*, Fontei. 7, 15. Contra, Cluent. 2, 6, *animo requirere*, de iudicibus. Nec puto h. l. opus esse plurali; et *animus* ortum videtur propter *circumspicit*, quod iidem fere libri habent. — *Nihil attinet quemquam nominari*, eius reticentiae est, qua saepe utitur: ut *nihil amplius dico, non disputo, nihil dicam*, Planc. 7, 17. 36, 88. 40, 96. Sext. 30, 65. Cluent. 40, 112.

omnibus ereptis nostris rebus) Proprium magis erit *direptis*: ad Att. IV, 1, 3, *in re autem familiari, quae quemadmodum fracta, dissipata, direpta sit non ignoras.* Milon. 32, 87, *bona diripuerat*, de Clodio. — De *Custode urbis*, conf. ad Att. VII, 3, 3.

in ipsius patris domum) Quam Ernestus incuria fortasse omisit praepositionem, eamdem omittit E: perperam. Tetigit quaestionem Cortius ad Salust. Catil. XL, 5.

Iugurth. LXXVI, 6. Sed omittitur tum recte praepositio, quum *domus* opponitur ei quod *foris* est: sicut Offic. III, 31, 112. *Pomponii domum venisse dicitur:* et sic *domum deferre*, ibid. II, 22. 76, reportare, similiaque, in quibus plerumque provinciae administratio opponitur. Contra, quum locus ipse de industria indicatur, additur praepositio: ut Verr. IV, 14, 32, *ad praetoris domum ferri*, est pro *ad praetorem*, quod praecesserat: tum peculiaris ratio est loci Verr. I, 26, 65, *noluit videri ipsum illum Rubrium invitus in domum suam recepisse*, quoniam agitur de deversorio et hospitio, neque cogitatur in oppositione extraneum quidquam: ita perperam omittitur praepos. in uno Codice.

iudicia senatus — conservatae patriae) De ratione alterius genitivi, *conservatae patriae*, praeclara est annotatio Heinrichii ad fragm. pro Flacc. p. 95. *Iudicia senatus* quid sit, recte exponit Ernestus in Clavi: conf. Manut. ad Div. I, 9, 14. Ita *populi iudicia*, Sext. 49, 105. 50, 106. 53, 113. Planc. 3, 8. Livius III, 51, 3. — Saepe eadem re gloriatur; ut ad Div. I, 9, 16. fin. et crebro in Orationibus.

quorum scelere religiones tum prostratae) *Quorum*, quod Ambr. β. et Lagom. 96, soli videntur servare, in reliquis meis corruptum est primum in *quo*, tum in *quos:* sed *quo* correctio esse videtur pro *quom*, quod ipsum nil nisi compendium est, pro *quorum:* conf. supra quae notavi p. 335 et 348. — Mox, quod plerosque libros occupat, *distractae ac dissipatae*, per errorem accommodata est terminatio ad proxime antecedd. — *Scelus* proprie in violata religione dicitur, ut Verr. IV, 41, 88, *est sceleris, quod religiones maximas violavit.* — Delectatur autem hac demonstratione, in Clodio puniendo deorum curam, non humanum consilium fuisse, veluti Sext. 67, 140. Milon. 31, 85: impudenter talia expilata sunt ab auctore De Harusp. Resp. 18, 38. sq.

partim ex illis distracti ac dissipati iacent) Bene defendit Moserus *partim* cum praepos., quum saepius dicatur *partim eorum*. Vatin. 7, 16, *ex quibus partim plane tecum sentiebant*. Quod nisi esset, corrigendum esset *exsilio*, si quidem, ut bene vidit Turnebus, Gabinius cogitandus est.

in omni religione impii) Latius patet, quam *religiones prostratae*, si quidem ad reliquarum rerum, legum, senatus, moris maiorum auctoritatem pertinet: opponiturque illis, *horum scelerum:* proptereaque probari non potest, quod multi Codd. habent, *omnium scelerum*.

vita cruciati — caruere) Veram credo esse Bruti correctionem, *vitae cruciatu*, eamque confirmat Ambr. *a*. *Vita cruciati* nihili est, neque patitur huiusmodi participium sententiae structura. In illa correctione, per syllepsin, e verbo *caruere* contrarium intelligendum, v. c. *conflictati sunt*. Ad Att. X, 4, 4, *sed ne fortunam quidem ipsam, qua illi florentissima, nos duriori conflictati videmur:* in *florentissima* intelligendum *usi sumus*.

§ 43. *quae poena divina sit*) In his *divina* interpolatum esse, mox demonstrabo. Initio refutationis quod *enim* ponitur, non novum est, idque recte vindicavit Gronovius in Livio XXII, 25, 3. Plato Theaet. p. 176. D. *ἀγνοοῦσι γάρ — ἐκφυγεῖν.*

et opinionibus vulgi rapimur in errorem) Secutus sum D et Lagom. 96. Sed quum optimi quique servent *nec*, crediderim veram lectionem esse *sic opinionibus* —: nec tamen contemserim id, quod a Victorio acceptum Moserus probabat, *sed*. — Mox, in *vera cernimus*, Cod. C, *verum* habens, ducit ad *verum*, quod h. l. postulatur.

offensione iudicii) I. e. condemnatione in iudicio: conf. Bibl. Crit. N. III. p. 360. Offic. I, 21, 71, *offensionum et repulsarum quasi quamdam ignominiam timere et infamiam:* et universe est improbatio, vituperatio, ut Fin. V, 22, 62, moveri *offensione turpitudinis, comprobatione honestatis*. In Offic. I, 36, 130, non cogitavisset

Beierus de mutanda vulg. lectione, *gestus inepti non vacant offensione*, si meminisset passive quoque poni *offensionem*, sicut opinionem, et Gr. *δόξαν*. similiaque; ita istis, *non carere offensione*, opponi *laudari*. — Alio modo *offensiones iudiciorum* Cluent. 50, 139, dicuntur ea iudicia quae probata non sunt; sicut Verr. V, 69, 178: ita *hominum offensio vel invidia*, Orat. I, 83, 339, homines sunt qui improbantur, vel quibus invidetur, passive. Ipsum *offendere*, passiv. dictum, egregie illustrat Garaton. ad Verr. I, 43, 112.

et multis bonis viris accidisse) Ambr. *a. viris bonis:* sed, quod notabilius est, Cod. Cr. apud Moserum, *bonis multis viris*. Equidem puto *viris* tollendum esse, sicut certe tollendum est infra III, 9, 20: conf. ibid. 16, 35. fin.: tum ordinem illum praeferam, *bonis multis*. — *Accidisse* restitui volebat Lambinus in loco simili, ad Div. V, 17, 3. fin., *multis fortissimis atque optimis viris iniustis iudiciis tales casus incidisse:* sed neque mutatione opus est, et recte docent Cortius ad d. l. et Drakenborchius ad Livium X, 18, 14, *incidere* esse pro *accidere*.

sceleris est poena, tristis) Non latuit quidem Interpretes quae debeat esse horum verborum sententia, sed vulgata interpunctio (*sceleris est poena tristis, et* —) et leve additamentum effecerunt ut aliquid desiderarent ad orationis elegantiam. Veluti in illa vulgata distinctione quaeri poterat, an aliae poenae laetae essent. Sed tum locus Senecae Ep. XCVII, a Davisio, tum in primis Officiorum III, 8, 36. fin., a Schutzio appositus, satis evincit h. l. simpliciter dici, *sceleris est poena, tristis et, praeter eos eventus qui sequuntur, per se ipsa maxima*, deleto *est*, quod postremis non tam additum est, quam corruptum ex *et:* sequentia enim sic ordienda, *Et vidimus* —*:* contra in nonnullis libris prius *est* omittitur, in aliis vel in *etiam*, vel in *autem* corrumpitur. Igitur, quum modo dixisset non recte existimari *quae poena sit* (nondum age-

batur qualis poena, divina an humana; ideoque necessario ibi *divina* delendum), nunc, discedens a vulgi opinionibus, docet poenam non extrinsecus imponi, sed *sceleris esse:* reliqua enim, quae habentur miseriae, esse *humana*, i. e. unicuique, tam bonis quam malis, accidere posse, quod coniuncta sint cum hominis conditione. Eodem modo corrigendum in Pison. 19, 43: *fortunae ista tela sunt, non culpae; supplicium autem est poena peccati;* abiiciendum *poena:* et paullo post (§ 44) quaerit, *quae est igitur poena? quod supplicium?* conf. 39, 95. Hoc igitur enunciato, addit eam poenam per se esse *tristem*, i. e. atrocem. Hanc interpretationem probatum iri spero acutissimo Ravio, qui Var. Lect. Vol. I. p. 120, aliam rationem iniverat. Quantum ab horum elegantia distaret Harusp. Resp. 18, 39, Beierum videtur fugisse ad fragm. in Clod. et Cur. p. 91. a: magisque etiam cogitandi elegantia desideratur in Catil. IV, 4, 8.

ardentes tum cupiditate —) Ipsae nonnullorum Codd. corruptiones ad hanc veram lectionem ducunt. Nec dubitandum erat, quin *ardere* ad reliqua quoque, praeter *cupiditatem*, pertineret, ut ne opus quidem sit ad zeugma confugere, sicut Wyttenbachius fecit Bibl. Crit. XI. p. 111. Verr. II, 38, 92, *dolore ardere:* Att. X, 4, 2, *ardet furore et scelere:* Fin. III, 11, 36, *avaritia ardenti.* Salust. Hist. I. p. 947. Cort. *flagrantes inopia.*

quid agerent modo timentes —) Lambini correctionem, *quicquid*, in primis commendat eiusdem rei descriptio in Pison. 41, 99, — *circumspectantem omnia, quicquid increpuisset pertimescentem, diffidentem tuis rebus — videre te volui.* — Tum *timere* est superstitionis (δεισιδαιμονεῖν), *contemnere* oppositum superstitionis, sicut Div. I, 19, 36. II, 60, 125: et quamquam non eleganter haec sic iunguntur, *contemnentes religiones*, tamen necessarius erat accusativus; et *religiones* in ea re appellantur, sicut Pison. 5, 11, templum Castoris Clodio fuisse *bustum*

legum omnium et religionum. — Quae his subiiciuntur, *iudicia perrupta ab iisdem corrupta hominum non deorum*, nondum expediverunt viri docti: nam sine ullo sano consilio *perrupta* et *corrupta iudicia* simul commemorantur, (cui incommodo non satis medetur inserta copula *et* ante *corrupta*, ut Madvigius iubet,) quae ipsa per se nihil demonstrant eius sententiae quam initio posuerat, *sceleris esse poenam:* tum cassa sensu sunt postrema, *hominum non deorum.* Puto hoc voluisse eum, »quum perrupissent »iudicia hominum, eosdem correptos vindicta deorum," quae in primis Clodii et facinora, et fatum indicarent. Sed, si haec vera sunt, aliis quaerendum relinquo quibus verbis ista enunciari debuerint.

§ 44. *reprimam iam et non insequar longius*) Madvigius Programm. p. 20. non solum id, quod Turnebus excogitaverat, *iam me*, commendat (confirmatum nunc ex Ambr. β) sed deleri vult *et.* Mihi non necesse videtur.

plus poenarum habeo quam petivi) *Poenas habere a quo* dixit Livius quoque XXIX, 18, 15. Idem aliis verbis enunciat Cicero Pison. 20, 46. (ubi in seqq. corrigendum videtur, *mihi enim numquam venit in mentem*, pro *veniret.*) Milon. 13, init.: conf. Demosth. Mid. p. 548. 8.

tantum poenam erebi duplicem poenam esse divinam) Omnes mei conspirant in *tantum poenam*, ab aliis bene correctum in *ponam.* Dicit enim hoc, nolle se ulterius persequi quae istis accidissent, sed omnino hoc ponere, cet. Vitiosum *erebi*, aut *erui*, aut *merui*, alius alio modo corrigi voluit: e quibus coniecturis probarem Hulsemanni, *sceleri* (potius quam Moseri, *crimini*), si ulla ratio afferri posset quare hoc loco *sceleri esse poenam*, non, ut supra, *sceleris* scripsisset. Fortasse satis erit substituere *vere.*

quod constat ex vexandis vivorum animis) Suscepit Moserus correctionem ex uno alteroque libro, *quae constet:* potest etiam *quod* corruptum esse ex *quom* i. e.

quoniam. *Constat* retinui ex A. Sed *ex* corruptum videtur ex *et*; unde in multis utrumque est, *et ex vexandis*: quae praepositio si probatur, requiretur etiam in seqq., *et ex ea fama*. Qui tuentur praepositionem, utuntur his Nat. D. III, 15, 38, *quae* (*prudentia*) *constat ex scientia rerum bonarum et malarum*: addi poterit Offic. I, 44, 157, *virtus, quae constat ex hominibus tuendis*. Sed alio modo et ista dicuntur, et in partitione (in qua merito praepositionem requirit Madvigius ad Fin. IV, 8, 19, ut *homo constat ex animo et corpore*): in quibus quippe ipsa rei designatur natura, aut etiam distributio in partes. Contra *poenae* non describitur natura, sed *constare* eam, i. e. agnosci et palam fieri dicitur tum eo, quod animi vivorum vexantur, tum quod mortuos ea fama consequitur. (Contra, infra § 46, in bonis libris exciderat *ex* in *et exspecto*.) Sic igitur concludit hanc disputationem, in qua novum quid demonstrat, esse quamdam sceleris poenam, eamque divinam esse. — In postremis, *gaudio comprobetur* nimium mihi videtur: praeferrem *odio*, sicut Fin. I, 16, 51, *quum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium*. Offic. II, 12, 43, de Gracchis, *nec vivi probabantur bonis, et mortui numerum obtinent iure caesorum*.

CAPUT XVIII.

§ 45. *ut focus domiciliorum, sacrum deorum omnium est*) *Domicilium*, quod nonnulli habent, ortum ex correctione, propter vitiosum *sacrum*. Sed ex bonorum librorum *sacro* facilis erat correctio *sacra*. Platonis *ἑστία οἰκήσεως πᾶσι* redditur *focus domiciliorum*, plur. numero, quoniam *οἴκησις* collectivum quodammodo est, *domicilium* non item.

in urbibus et privatim) Non accurata Graecorum interpretatio haec est, in quibus est *ἐν ἄλλαις πόλεσιν·* Platonis

enim haec enunciatio est, ut dicat, »in aliis civitatibus, »ne dicam de hac cui leges condimus, non in templis »tantum, sed privatim adeo aurum invidiosa res est." Praeterea vix credibile est, quum nulla oppositio sit *agrorum* (sicut supra § 26), nunc *urbium* fieri mentionem. Fieri potest ut ab imperito e Platone interpolatum sit.

ex inani corpore) De his praeceperat pleraque Iungermannus ad Polluc. X, 176. not. 62. *Inanimo* correctio est, Manutio iam probata. Credo tamen ea appellari *inanima* quae animatis, non quae mortuis opponuntur, quo modo dicitur *exanimatum*. Abstinere tamen oportebat Goerenzium a duobus exemplis e Verrinis, II, 66, 160. V, 50, 131.

lignum autem quod quis voluerit) *Ligneum* recentissimorum est correctio: sed nec hic adiectivo, post *ebur* et *aes* et *ferrum*, locus est, nec mox ferendum est *lapideum*, pro quo Lagom. 96 *lapidem:* accusativi pendent ab Imperat., cuius extrema particula certe, *cato*, in melioribus libris superest, quod potius mutandum puto in *consecrato* (Davis. *sacrato*) quam, ut alii, in *dedicato*. — Pro *quod quis*, meliores habent *quodque*, Lagom. 39 *quodcumque*, quod unice probandum, modo addatur *quis:* igitur verae lectionis vestigia sunt in Lagom 10, *quodque quidquid voluerit*. — Mox, *que* ex C retinui, quoniam inde corrigendum videtur, *color autem albus* (sc. sit) *qui praecipue* —. Ut nunc edi solet, significat colorem album ipsum deo consecrari. — In seqq. necessaria correctio est *aves*, pro omnium librorum vitioso *habes*.

cetera huius exempli dona sunt) *Huius exempli* Turnebus explicat, huiusmodi, huius generis. Non puto convenire cum Ciceronis consuetudine. Intelligerem *ex his exemplis expressa* (μεμιμημένα Platonis est) *dona sunt*.

si ad eam tuendam — superstitionis aliquid accesserit) Facilis est correctio, quam alii iam susceperunt, *utendam*.

Sed *superstitio ad utendum* i. q. quo minus utamur. Hominum avaritia, quae, ut scribit Varro L. L. V. p. 55. *sacellorum fines angustiores faciebat*, paullatim ex illa superstitione se liberabat.

ista exciderant ita) Mutavi distinctionem ita, ut Attici verba a *credo* inciperent. *Ita credo*, ut ceteri omnes ediderunt, ironiam non tam indicat, quam simplex *credo:* quumque *ista* in D omittatur, fieri potest ut legendum sit, *at mihi exciderant ista. Att. Credo —.*

§ 46. *et ego in hoc omni sermone —*) Haec sic edi solent, quasi *et ego* responderet praecedenti *et apertissima sunt —*, quae nullo vinculo sententiae coniungi possunt. Potius intelligendum est, quum Atticus dixisset ea se tanto magis exspectare (i. e. cupidum esse audiendi), quod et ad pontificium et ad civile ius pertinerent, continuari a Marco ironiam: *vero: et apertiss.*, i. e. multo magis omittere ista volueram, quoniam sunt impedita et obscura: conf. Cap. 19. init. Tum post plenam interpunctionem, corrigendum *Sed ego —*. Sic supra I, 20, 53. fin. eodem modo redit ad seria.

tractabo — ius civile nostrum) Non intelligendum nunc ius civile, quod opponebatur iuri pontificio, sed universe illud ius, quod Romae valebat. Respondet enim ita ad ea, quae Atticus exspectare se dixerat, ne forte is accuratam de utroque genere iuris disputationem exspectaret. — In seqq., *ex quo ducatur quaeque ars iuris*, defendi non possunt; nec tamen Ranconeti coniectura probari, *pars iuris*. In simili re Orat. II, 30, 130, — *capita, unde omnis ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur*. Fieri potest ut scripserit Cicero *quaeque responsio:* cuius vocab. prior pars, *res*, superest in libris: postrema pars corrumpi potuit in *an iuris*, semel distractis syllabis, unde in aliis est *rar si iuris.*

qui modo ingenio possit moveri) Sed quis non potest

omnino? Rarius est *acute moveri*. Equidem requiro, *qui modo ingenio sit mediocri*. Orat. II, 27, 119, *haec sunt omnia ingenii vel mediocris*. — Mox, nihil vidi cur *scias* mutarem in *sciat*.

CAPUT XIX.

§ 47. *sed iurisconsulti* —) *Sed* adversativum est, nec transitum ad alia indicat h. l. Duplex accusatio est, prior malitiae, altera ignorantiae: conf. Muraen. 11—13. Orat. I, 42. sq. II, 33, init.

quaedam ars est etiam docendi) *Est* nunc receptum librorum auctoritate; neque abesse poterat, quoniam plena per se enunciatio est. — De forma verbi *dispartiuntur*, quam D servat, vidd. Heusingeri ad Offic. I, 26, 9. Cort. ad Plin. Epp. I, 12, 7. IV, 23, 3. — Paullo post, *et iidem* necessaria videtur correctio esse, quum optimi quique servent *et fidem*.

at, inquit Publii filius, —) Non est hoc fragmentum sermonis, a Cicerone servatum, ut Moserus videtur existimare; sed dialogismus est, demonstrationi accommodatus. *Hoc ipsum genus*, i. e. locum de sacris perpetuis, magnum nimis faciunt Scaevolae: cui reprehensioni obiici sibi fingit a Publii filio patris auctoritatem. — *Saepe* merito nunc exclusum est, quod praeter Lagom. 124. 126. nullus meorum habet. Dubitari tamen potest an *at* recte legatur: nam e Codd. vestigiis, quorum quidem potissimum ratio habenda sit, tam bene coniiceretur *hoc*.

aut ullo omnino —) Hoc verum esse non posse, animadverterunt viri docti; nam esse tamen quaedam capita iuris civilis, quae cum pontificio sint coniuncta. Igitur alii corrigere studuerunt, *aut luminum*, Davisius *aut simili*. *Si* certe non nisi in duobus meis Ambr. γ. et Burn. δ. abest: unde vir doctus in Obs. Miscell. — *aut ullo omnino nisi quod cum r.*: quam emendationem ab-

solvisse sibi videtur Madvigius ita, ut ex *ego* (al. *ergo*) efficeret *eo, nisi eo quod.* Primum obiicio id, quod a Wundero demonstratum probavit ipse Madvigius ad Fin. p. 522, praepositionem post *nisi* iterandam esse (*nisi de eo*). Tum parum elegans videtur, ut post illam absolutam negationem (*aut ullo omnino*) ab ipso subiiciatur exceptio (*nisi eo* —). Crediderim potius dialogismum continuari, ut alter respondeat, *si, inquit, cum religione coniunctum est. — Id autem quantulum est?* Non intercedo tamen quin probetur id, quod in Obs. Miscell. editum est.

de feriis et de sepulcris) Ex optimis libris servavi *et*, quae copula tum omittenda est, si non plenam istorum capitum enumerationem fieri h. l. censetur.

de sacris autem —) Perperam Beierus ad Offic. II, 8, 30, cui obtemperat Moserus, haec ita cum praecedd. coniungit, ut una etiam interrogatione complectatur (*cur igitur — perpetua sint sacra?*) Missa illa altercatione cum Scaevolis pergit nunc ad suae legis interpretationem sic ut ponat *unam sententiam:* conf. Cap. 18. fin. — Clausula huius loci, *et, ut in lege posui, perpetua sint sacra*, melius, credo, sic adiiceretur, *id est, ut in l. p.* — *Semet* in optimis libris pro *semper et*, ex eo genere vitiorum est, quo supra II, 2, 6, erat *atticium* pro *attigi cum.*

§ 48. *haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt*) Vulgo editur, *hoc posito, haec iura* — (in aliis, *haec posita*, aut *haec posite*, aut *hic posita*). De quibus Madvigius Programm. p. 21. sq. (eamdem sententiam servans ad Fin. p. 328.) non tantum offensioni esse ait repetitum illud *hoc posito* in seqq., sed graviorem offensionem esse in sententiae repetitione: si quidem, quae inferius ponuntur (*hoc uno posito* cet.) ad illud caput referantur (de sacris perpetuis, et familiis deinceps prodendis), quo haec priora: itaque censet deletis his (*hoc posito — venerit*), reliqua aptissime cohaerere. De his non concedo

viro praestantissimo. Nempe posteriora illa (*hoc uno posito, quod est* cet.) minime referri puto ad illam *unam sententiam* de *conservandis sacris:* sed necessario pertinent ad ea quae proxime nunc praecedunt, de *sacris adiungendis* iis, *ad quos pecunia veniret:* et hinc dicit *innumerabilia* illa nasci, quibus impleantur Ictorum libri. Pariter Cap. 20, 50, init., *omnia pendere ex uno illo, quod pontifices pecuniam sacris adiungi volunt: omnia*, i. e. omnes illas quaestiones: neque haec dirimi poterant ex illa *una sententia*, sacra conservanda semper esse. Igitur haec mihi videtur esse necessaria sententiarum series, ut primum dicat quae sit una sententia, nempe sacra familiis prodenda esse; tum quo fieret illud, et ne morte patris familias interirent sacra, constituisse Pontifices ut iis adiungerentur, ad quos ea morte pecunia veniret; postremo ex illo capite nasci innumerabilia, quippe quaeratur de iis, ad quos pecunia ullo modo pervenire posset, qui potissimum sacris adstringerentur; atque sic, quum prius illud *satis* esset *ad cognitionem disciplinae*, nempe iuris pontificii, corruptum esse iuris civilis scientia et innumerabiles quaestiones excitatas esse, quibus iuris pontificii disciplina obscuraretur et eluderetur: conf. Cap. 21, 52: vere tamen omnia illa referri posse ad caput unum: conf. § 51. Videamus etiam quid in verbis istius additamenti, ut putat, reprehendat Madvigius. Offendit iure formula *hoc posito:* sed tolli eam oportet, non tantum quia in B et tribus Lagom. omittitur, sed etiam quia nihil dum *positum* erat. *Sacra perpetua esse*, non erat ius quoddam, aut norma quae poneretur, sed *sententia*, i. e. consilium, mens, quam tamen Pontifices numquam in libris suis consignaverunt. Istis igitur omissis, corrigendum *Hinc iura pontificum auct. Iura*, inquit M., non recte plurali numero dicuntur, quum unum ponatur, ut sacra iis sint adiuncta, qui pecuniam acceperint. Respondeo, *ius* dici non potuisse, sed intel-

ligi plura quae in ea re, Pontificum auctoritate, in singulis causarum generibus essent constituta, *ut, ne — sacrorum memoria occideret, iis essent —:* nondum haec continent *iura*, sed principium, caput, unde iura essent constituenda: quare subiicitur, *hoc uno posito.* Porro, sacra *adiungi* hominibus non nimis placere dicit, sed nullas huius fastidii rationes explicat. Dicuntur tamen *sacra cum pecunia coniungi*, Cap. 21, 52, quod nihil aliud est, quam, quod h. l. dicitur, *sacra adiungi iis, ad quos pecunia veniat*: diciturque *adiunctum esse*, ut impositum esse, velut officium (*pietati adiunctum*, infra Cap. 21. fin.) Sequitur reprehensio consecutionis temporum, *consecuta sunt, ut — essent, ad quos venerit*, pro *venisset.* Sed facillima correctio est *veniret*: neque enim necessario perfectum (aut plusquampf. propter syntaxin) requiritur, sed praesens (aut imperf.) coniunctivi, sicut mox *capiat, servet.* Porro non optime dici putat, *haec iura consecuta sunt*, pro *constituta:* contra recte *sacra* (vult enim hoc postremum vocabulum priori sententiae ablatum huc transferri) *pontificum auctoritate haec iura consecuta sunt.* Ego non puto recte *sacra* dici *iura consequi*: et in vulgata lectione, *consecuta sunt*, mihi absolute positum videtur, et esse pro orta, nata sunt. — Moserus, pravos libros secutus, perperam ediderat *et iis esset ea adi.:* sed labitur quoque, *iniuncta* quum praefert. — De proverbio ex illo iure orto, conf. Gronovius Lect. Plaut. p. 77.

ad cognitionem disciplinae) I. e. ad perdiscendam disciplinam: sicuti modo, *quod positum est in una cognitione*, i. e. in unius principii generalis cognitione. — Mox, *quaeruntur* laborare puto terminatione passivi, et requiri *quaerunt* sc. Icti. — *Emigrarit* sane optimi et plures servant libri: contra tres boni habent *migrarit*, quod revocandum censeo, eodemque ducunt C E: nam et infra Cap. 22, 55, simplex est verbum, nec ratio reddi potest compositi.

deinde qui morte —) Haec in plerisque libris ita corrupta sunt, ut tamen facillima fuerit correctio. Lagom. 10 *deinde his qui morte*, i. e. *is*, quo tamen non indigemus.

ad id, quod propositum est, accommodatum) Non hoc loco tantum errabat Davisius, qui *positum* malebat, sed Tusc. II, 1, 3, quoque, qui locus minime adversatur iis, quae scripsi Bibl. Cr. N. V. 1. p. 37. — In seqq., *quum moritur* nescio quo modo defendi possit: fort. corrigendum *qui moritur*. Statim post, *qui plurimum*, corruptum est in *quam plurimum*, in Lagom. 58.

§ 49. *ut, si qui ei qui mortuus sit* —) Libri mei tantum non omnes *ut si is qui ei*, Ambr. γ. *ut is qui ei*, quae prima fuisse videtur corruptio: illa non nisi *διττογραφία* erat. De *si qui* an *si quis*, conf. Peyron. ad Lect. Var. pro Cluent. p. 186. et ad Milon. p. 299.

CAPUT XX.

non ita descripta) Vera correctio: nam antiquissimi *descriptas*, ex quo postea factum *descripta sunt*.

hereditate — aut si inde quippiam ceperit) Postremum *aut* servavi ex D et Ed. Ven. s. a. et l. aliisque non sane optimis; sed ratio suadebat. Scilicet tres modi ponuntur quibus quis sacris adstringeretur, hereditate, legato, usucapione: sed ex heredibus is videtur disignari, qui *maiorem partem pecuniae capiat*, quemadmodum e legatariis is cui maior pars pecuniae legata sit: quare tollendum est prius *aut* post *hereditate*, si quidem maiorem pecuniae partem *capere* non nisi heredi tribui potest. Praeterea, in vulgata lectione (omisso postremo *aut*) idem est legatarius atque is, qui *quippiam ceperit*, id quod manifesto falsum est. In legatarii definitione, *legata est* mutandum in *l. sit*. Tum *quippiam* locum cedere debet verae lectioni, *quispiam*, quam Ambr. α. habet, quod

notare neglexi: intelligendum iterum ex antecedd., *maiorem partem pecuniae.*

§ 50. *pontifices pecunia sacra coniungi volunt*) Maior pars librorum fere *pontificum pecuniam* (aut *pecunia*) *sacro* (aut *sacra*). *Sacris*, ut vulgo editur, recentissimorum videtur esse correctio. Sed Madvigius Programm. p. 23, *pontificum* corrigendum esse significat in *pontifices cum:* non male: mihi tamen, ut vere dicam, *pontificum* mentio hinc aliena esse videtur: modo enim dixerat *pontificem sequamur:* et satis supra significaverat universe Scaevolarum doctrinam a se proponi. Quare existimo, deleto *pontifices*, legendum esse *quod cum pecunia sacra.* — *Iisdem*, i. e. qui pecuniam caperent, ut bene vidit Wyttenbachius. Similia cum hereditate Attico iure coniuncta erant (ut *τὰ νομιζόμενα*, aliaque); conf. Schoemann. ad Isae. Cleonym. hered. § 10. p. 183: et Ciron. hered. § 21. p. 389.

atque etiam dant hoc Scaevolae) Vitiosa sunt. Nam quid h. l. *dare*, i. e. concedere? Recte, ut mihi videtur, *etiam* omittitur in Copp. Victt. b. apud Moserum, quae cum optimis conspirare solent: neque incrementi significatione haec nunc indigebat oratio. Igitur legendum *Ad quae addunt hoc Scaevolae*, (*addunt* Lambini inventum est:) quibus significatur, quid ex iuris civilis astutiis addiderint ad ius pontificium, quo hoc tolleretur, ut infra dicitur. Sed mire statim subiicitur, *quod est partitio*, itaque distrahuntur, quae arcte coniungi oportebat, *addunt hoc, ut* —. Credo interpolatum esse ex § 53, init.: nam, quod Davisius corrigit, *quum est partitio*, probatum Madvigio l. c., quasi esset pro in partitione, ut mox *in donatione*, et ista inter se opponerentur, reiiciendum esse opinor: neque enim *partitioni*, sed *testamento* opponitur *donatio.* In testamento si non adscriptum est *deducta*, quo minor fiat pecunia legatario, tamen, inquit, sacris liberantur legatarii, si ipsi, i. e.

sua sponte, minus ceperint: contra, in donatione servatur id quod scriptum est.

§ 51. *quas qui intelligat, non — perspiciat*) *Qui intelligat* i. e. qui intelligens sit. *Non* inepte a recentioribus insertum ante *intelligat*.

eaque pecunia non minor esset facta) *Ea pecunia* non alia intelligi potest, nisi postrema haec exactio eius partis, quae ab legatario praetermissa fuerat: sed huic exactioni non respondent verba *non minorem factam esse*. Quare legam *eoque*, i. e. si per hanc postremam exactionem tota pecunia (legati), nempe inclusa superiore exactione, non minor esset facta. — Mox, *nisi* manifesto cedere debet correctioni *sine*: referatur ad ea quae expromsi Bibl. Cr. N. V. 1. p. 29.

per aes et libram) Cogitavit, credo, hunc locum Sigonius ad Livium III, 72, 4, quum II[do] libro de Legg. tribuebat ea, quae erant in Orat. pro Muraen. 12, 27. — *Heredis testamenti* vetus fuit vitium: sed non recte, puto, his utitur Orellius ad Sext. 7, 16.

CAPUT XXI.

§ 52. *itaque si vos tantummodo*) In plerisque haec sic corrupta sunt, ut pro *si vos* legatur *usibus*. — Mox edidi *illa eluditis*, quod neutr. plur. recte ad universum ius pontificium refertur. Nullus meorum habet *illam*.

P. Scaevolae et Ti. Coruncanio) Praenomen in Coruncanio reduxi ex B, in quo est *et hii Coruncario*: conf. Nat. D. III, 2, 5.

itemque ceteris, qui tantumdem caperet —) Codices fere *idemque*. Sed necessarium erat *item* in hac auctoritatum enumeratione: alterum eo duceret ut quaereremus, numquid aliud aliis visum fuisset. Tum omisi *eos* ante *qui*, et servavi singul. *caperet*: plurale debebatur isti inserto pronomini.

§ 53. *partitionis caput scriptum caute* —) De tribus modis, quibus legatarius sacris liberaretur, hic primus erat, si testator ita partitionem instituisset, ut centum numi deducerentur. Alter modus est, ut, si testator id cavere neglexisset, ipse legatarius tantum deducat. Tertius modus est, ut ex stipulatione, non titulo legati, ab herede accipiat. Sed in illo altero modo, *super, dicebant* — vix intelligi possunt, nisi statuamus in antecedd. (*ut minus capiat* —) ipsum intervallum fuisse definitum, quod qui superavisset sacris adstringeretur: igitur fieri potest ut *centum* exciderit ante *minus*.

id ipsum, quo legatus est) *Quo legatus est* habent omnes mei, (sicut tres apud Moserum) praeter deteriores, in quibus est *quod legatum est*. Puto veram esse correctionem: neque enim alterius constructionis, *pecunia legari aliquem*, exempla novi.

sitque ea non) Acute sane effinxit Lambinus huius lacunae supplementum ex Plutarcho, apud quem quae fit Ciceronis mentio sine dubio huc revocanda est. Sed primum abrupte nimis ab illis controversiis sacrorum et pecuniae transitus fit ad manium iura. Tum ab Inttpp. turbari videtur in D. Bruto. Nam in Bruto 47, 175, qui memoratur D. Brutus, is Consul fuit A. U. 676, ipsique Ciceroni cognitus: contra, cuius ibid. 28, 107, mentio fit, eius consulatus a Pighio recte ad A. U. 615 refertur; et hunc esse, cuius mentio in hac lacuna perierit, aptissime conficitur inde, quod ibid. additur, *ut ex familiari eius L. Attio poeta sum audire solitus.* De Attio, an Accio, prudenter annotavit Orellius ad Brut. 18, 72. Tum idem fortasse intelligendus is, cuius sedulitatem in retrahendis obsoletis memorat Varro L. L. V. p. 16.

§ 54. *parentare pietatis esse adiunctum*) De *parentando* vid. Lipsius ad Tacit. Ann. VI, 5. — *Pietati* ex meis non nisi Ambr. β. et Ed. R. habent. Dubito tamen

an Latinum sit, *pietati esse adiunctum* pro, impositum officium: nam *finitimum* explicare, ab hac disputatione alienum est.

CAPUT XXII.

§ 55. *ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse*) Imperita est Pearcii correctio, *extera:* oritur enim inde, ut *sacra* et *gens inferantur;* quod plane inauditum est. Satis tamen tritum erat, *inferri* absolute poni, subaudito *mortuum:* tum non *extera*, sed *aliena* diceretur. Igitur *extra sacra inferri* non difficile est ad explicandum: sed *extra gentem* iustam interpretationem non habet, quoniam ea res nihil ad *religionem sepulcrorum* pertinet, quae non nisi caerimoniis et sacris nititur, sicut ex toto hoc capite intelligitur. Perperam igitur Davisius huc contulit quae de alieno non inferendo traduntur, quae sunt iuris civilis, et ad ius sepulcrorum, non ad religionem pertinent, conf. Cap. 23, 58. 26, 64: contra, hoc caput totum versatur in iure pontificio et religione, demonstraturque quando sepulcrum *religione teneatur*, i. e. quibus caerimoniis perfectis: conf. § 57. Corrigendum videtur, *ut extra sacra quemquam inferri f. n. e.* Id ipsum, quod Pontifices fas negabant esse, ἱεροσυλίαν videtur appellare Isaeus Ciron. hered. § 39. Sepulcra gentilitia (conf. Festus V. *Cincia*) nihil ad praesentem quaestionem.

idque apud maiores nostros A. Torquatus iudicavit) De A. Torquato nihil aliunde constat. Non spernendum est *id quod*, ut Lagom. 10 habet. Sed Torquatus, cuius praenom. in meis quoque libris fere omittitur, videtur Pontifex fuisse, et sic respondisse in controversia in gente Popilia. Diversa hinc sunt decreta gentilitia, quale in Manlia gente memorat Livius VI, 20, 14.

tandelica lex) Haec et alia monstra lectionum cedere debent felicissimae emendationi Ranconeti, *tam denica-*

les. — Rursus recta ratio postulat *quia residentur mortuis*, nempe illae feriae, i. e. per illas residetur. — Quum autem dicit *feriae appellarentur*, significare videtur in ipso *feriarum* nomine divinae opinionis iudicium contineri. — *Nisi maiores* — *voluissent*, demonstratio est immortalitatis animorum ex pontificio iure, qua utitur etiam Tusc. I, 12, 27. Ceterum si ferias et parentalia, non tamen supplicationes mortuis tribuendas esse monet Philipp. I, 6, 13.

ius, ut neque ipsius, neque publicae feriae sint) Requiro *ius est, ut* —: facillime *est* absorptum est post *s* et sequ. *ut*. — Madvigius ad Fin. I, 20, 67. p. 125, hoc exemplum (*ipsius*) in iis numerat, in quibus pronom. *ipse* (aut etiam reflexivum) refertur ad personam latentem actionis; igitur non opus esse Wyttenbachii correctione, *unius*. Igitur intelligendum sic institutas fuisse illas ferias, ut neque eius familiae, quae ageret, propriae essent, neque tamen publicae, sed omnium funestarum familiarum communes. Quod Goerenzius commendat, *ne* — *neve* vitiosum est propterea, quoniam *neu* et *neve* non nisi in vetando ponuntur: tum, quod contraria opponuntur (*privatae* et *publicae*), necessario requiritur *neque* — *neque*: tum alia ratio est quare h. l. *ut non* (in oppositione *ut neque*) potius, quam *ut ne* aptum sit, de qua breviter praecepit Madvigius ad Fin. p. 165.

quemadmodum os reiectum terrae obtegatur) Non puto *reiectum*, quod omnes libri tuentur, defendi posse, fallique Turnebum existimo qui interpretatur, reiectum in terram, redditum terrae. Facillima correctio est *resectum*, quod idem est atque *exceptum* apud Varronem L. L., cuius locum apposuit Goerenzius Excurs. I: tum corrig. *terra*.

quaeque in porca contracta iura sint) Bene vidit Rathius non *iura*, sed *porcam contrahi*, ut § 57. fin. dicitur: igitur sensus est, quae iura et caerimoniae sint tum, quum

quis ob non perfectam sepulturam porcae sacrificium contraxerit, quo velut piaculo illud expiet. Arctius haec cum proxime superioribus nectuntur (*quaeque*), quod eo ipso porca contrahebatur, quum os terra tegi non potuisset.

§ 56. *at mihi quidem* —) Necessario corrigendum *ac*, si quidem nulla oppositio in his spectatur: viderat Lambinus.

redditur enim terrae corpus — operimento matris obducitur) Xenophonteum ἐπιέσασθαι γῆν conferendum esse cum Homerico λάϊνον ἕσσο χιτῶνα, monet Valcken. ad Herod. VIII, 139. p. 566. a. Ne alterum quidem, *reddi terrae corpus*, sine auctore dictum est. Nam praeter Xenophontem (τὸ ἐμὸν σῶμα τῇ γῇ ἀπόδοτε), Euripides fragm. Hypsipyles, de humando, εἰς γῆν φέροντες γῆν. quod apud Ciceronem Tusc. III, 25, 59, redditur, *reddenda terrae est terra*. Ad haec, *quasi operimento matris obducitur*, bene mihi videtur referri Platonis locus Menex. p. 237. C, καὶ νῦν κεῖσθαι τελευτήσαντας ἐν οἰκείοις τόποις τῆς τεκούσης καὶ θρεψάσης καὶ ὑποδεξαμένης· neque enim ὑποδέχεσθαι, (sicut Stallbaumius interpretatur) h. l. de aliena prole suscipienda dicitur, ideoque repudianda Dionysii Halic. quoque sententia est, qui de Admir. vi Demosth. T. VI. p. 1039. R. ὑποδέχεσθαι refert ad eam regionem quae μετοικοῦντας excipiat. (Non utor Burgesii coniectura, in literis ad me datis, qui pro τόποις legi vult κόλποις, ut *gremio* respondeat: quamquam κόλπος ita dicitur in epigrammate apud Demosth. Coron. p. 322.)

quod procul ad Fontis aras) *Aras* solvendum in *ara est:* tum e Codd., assumta Wagneri correctione, legendum *quod haud procul a Fonti ara est.* Nam quod Moserus edidit *quo*, probari non potest, quoniam non *sepulcro* eo, sed *eo ritu* conditus Numa dicitur. Negatio tamen utrum necessario inserenda sit, dubitari potest: vid. Orell. Analect. Vol. IV. P. II. p. 592. Madvigius tamen Programm. p. 23, *haud* requirens, sic corrigendum putat

quod, ut legatur, — *sepulcro haud procul;* tum *in eo* ortum esse ex adiectivo, quo significata esset materia sepulcri. Mihi certe non persuasit: diiudicent intelligentes.

C. Marii sitas reliquias —) Nulla coniunctione haec superioribus adiecta iure, credo, displicent: nam necessarium vinculum sententiarum hoc est; gens Cornelia usque ad nostram memoriam ea sepultura usa est, sed primus Sulla cremari voluit: nihil huc pertinent Marii res, nisi quod inde natum est illud Sullae consilium. Quod molliendae orationi sufficiat, latere puto in quorumdam librorum corrupta lectione *humatam*, orta, ut coniicio, ex *usam tum.* Igitur post *memoriae nostrae* mentionem, haec subiici potuerunt: *tum C. Marii* cet. — *Sulla Victor* describi curavi, quippe cognomen fuisse mihi videtur, sicut Leg. Manil. 11, 30: *ille ipse Victor L. Sulla.* Eaque ipsa de causa mox, etiamsi plures libri commendarent id, quod Manutius in uno se vidisse affirmat, *quam fuit felix*, non probandum esset, si quidem ita duplicis cognominis ratio habita videretur. Itaque bene defendit *vehemens* Davisius.

§ 57. *primus — igni voluit cremari*) Eius generis nonnihil in Sullae commentariis videtur consignatum fuisse: conf. Plutarch. Sull. p. 475. Quod Plinius a Zoëga (apud Creuzerum ad verba *gentemque Corneliam*) erroris notatur, par eius negligentia animadvertitur ab Ernesto ad Tacit. Ann. XVI, 6, cuius haec verba pertinent ad Romanorum morem: (*Poppaeae*) *corpus non igni abolitum, ut Romanus mos; sed, regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur:* retulerat autem aromata Plinius ad combustionem cadaveris, id quod verius de Sullae funere dici poterat, quod descripsit Plutarchus. Florus quum III, 23, 1, scriberet *fax illius motus ab ipso Sullae rogo exarsit*, non tam veritatem colere, quam rhetorem agere existimandus est.

declarat enim Ennius) Probanda extra dubitationem est virorum doctorum correctio, *declarat etiam*, quam merito commendavit Madvigius Emendatt. p. 76. — Mox, *et corpus caesum est*, ea lectio est, in quam optimi libri conspirare videntur: alii mei vel *intextum*, vel *incensum* habent; de quibus omnibus alii aliud excogitaverunt. Mihi requiri videtur *contectum est.* Iure profecto Moserus improbabat viri docti coniecturam, *intectum;* quamquam (ex Cortii, ut puto, coniectura) restituerat hoc participium Schutzius, eumque secutus Orellius, ad Div. VII, 16, 1, ubi libri habent *iniectus.* Sed *contectum* tum sequentibus commendatur (*quos humus iniecta contegeret*), tum Philipp. XIV, 13, 34, *nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus atque muneribus.*

in omnibus sepultis penitus humati dicantur) Turnebi coniecturam, *ponitur, ut humati*, tacite probare videtur Ruhnk. ad Terent. Andr. I, 1, 101. Non tamen defendenda erat, sicut fecit Wyttenbachius, *ponere* dici de nominibus, pro *imponere;* quo pertinet exemplum a Mosero excitatum, Nat. D. I, 17, 44, *rebus novis nova ponenda nomina:* non enim nunc de imponendo nomine agitur, sed de communi usu vocabuli in re significanda: sic Fin. II, 4, 14, *in eo voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, quum cet.* Igitur ex illa coniectura oritur macrologia, *in sepultis ponitur, ut h. dicantur*, pro simpl. *humatus in sepultis ponitur.* Nihilominus aliud verbum desidero, quod admittat abusus significationem: v. c. *poni solet ut —*. *Humare* animadvertit Cicero Tusc. I, 16, 36: conf. Varro L. L. V. p. 33: de *sepeliendi* verbo, infra Cap. 23: utrumque etiam in combustione dici, notum est; vid. Tusc. I, 43, 102. 44, 106, et Ruhnken. Praefat. ad Scheller. Lexic. p. IX. *Sepelire* ita ponitur ad Div. IV, 12. fin. Philipp. XIV. l. c., et a Q. Pomponio Rufo apud Asconium in Milonianam p. 51. Orell.

in os iniecta gleba est) Necessaria fuit correctio, pro *in eos*, ut libri tantum non omnes habere videntur. *Terram iniicere* in iustis habebatur: itaque ponitur in Ennii Cresphonte, apud Macrobium Saturn. VI, 2.

iniecta gleba tum et illis humatus est, et gleba vocatur) Vere vidit Madvigius Emendatt. p. 77. sqq. ferri non posse *iniecta gleba, gleba vocatur:* sed non assentior in corruptis *tum et illis* necessario loci appellationem esse quaerendam, et restituendum esse, *tumulus, ubi humatus est, ex gleba vocatur.* Primum enim in iure pontificali locus ille non tumulus, sed *sepulcrum* dicebatur: cf. § 55. fin., et modo supra, *nec — ante sepulcrum est:* et hoc sensisse videtur is, cui debetur lectio ex vet. libro enotata a Car. Stephano, *et sepulcrum vocatur*, quae tamen non nisi coniectura esse videtur. Praeterea ex antecedd. manifesto apparet, ex iure pontificali demonstrari oportere qui proprie *humati* appellarentur: igitur *humati* appellationem nunc in primaria sententia poni oportuisse, non, ut ex illa coniectura, in adiecta sententia. Quare corrigendum puto, *iniecta gleba demum illic* (i. e. in pontificali iure) *humatus vocatur, ac tum denique* cet.: verba enim *et gleba*, etiamsi corrigantur in *ex gleba*, tamen post illa, *iniecta gleba*, quae per se rationem appellationis declarant, a glossatore profecta esse puto.

in mare proiectus esset) Sequi non licuit optimorum librorum auctoritatem, qui *in mari* habent: neque enim h. l. eae valent rationes, quas in aliis causis defendit Madvigius ad Fin. p. 786.

familiam puram, quod os supra terram —) Mucii sententiam huiusmodi fuisse putant: si in navi necatus, ac tum demum in mare proiectus esset, potuisse tamen ante os recidi; quod quia factum non sit, ideo piaculum heredi contrahi, sed familiam puram, i. e. non funestam esse; contra, si in mari periisset, veluti naufragio, le-

viora imponi heredi. Tractavit hunc locum Madvigius Programm. p. 24: qui primum recte vidit *contractam et* servandum esse, quod in nonnullis libris corruptum esset in *contractet*, (ex ignoratione huius locutionis fluxit in aliis libris correctio *contra censet*): tum reprehendit Orellium, qui *praeter piaculum et ferias* quod dicitur in altera causa, quaesierat, quid restaret? et ipse putat, *eadem* quum dicitur, referri hoc ad totum Mucii decretum, *familiam puram esse, quod os non exstaret, et porcam contractam esse.* Tum commendat Davisii inventum, ut legatur *et porco femina piandum; at si* —. Mihi tamen iusta videtur esse Orellii dubitatio. Nam, quid aliud est *piaculum*, nisi *porca contracta?* Igitur, quum in altero dicatur, *eadem praeter piaculum et ferias*, nihil video reliquum esse: si quidem illud, *familiam puram esse*, non pertinet ad illa religiosa iura, quae cum sepulcro erant coniuncta, nec cuiquam officia imponi poterant praeterquam heredi, de quo uno sermo debet esse. Verba, *et porco femina piaculum pati* quod corrigit Davisius, non moleste fero: sed quaero, quum iam dictum esset *porcam esse contractam*, quid aliud sibi velit *porca piandum esse?* Sunt etiam aliae dubitationes: veluti, *in mari mortuum esse* dicaturne de eo, qui casu in mari periit: tum, Mucii decretum, quod responsum fuit sine dubio in una consultatione, duone causarum genera amplexum sit, alterum si quis in navi necatus tum in mare proiectus, alterum si quis in mari mortuus esset; quum praesertim in utroque genere, eadem ratio respondendi valeret, *quod os supra terram non exstaret.* Ut verbo dicam, mihi quidem insuperabiles huius loci corrigendi difficultates esse videntur: praeterea, quum modo de sepulcri religione actum esset, haec, quae per Coni. *itaque* subiiciuntur, minime tamen apte cum superioribus iungi; ut lacunam ante haec esse suspicer.

CAPUT XXIII.

§ 58. *ecquidnam sit in legibus*) Revocavi *ecquidnam*, pro *quidnam*, ex disertis optimorum librorum vestigiis (*et quidnam*): nam huic optime respondet *pauca*: alteri respondendum erat, quid esset. Quod in iisdem modo est *iuris*, pro *iure*, non adeo non Ciceronianum est, ut ait Moserus, sed *iuris et* male divulsis tantum literis scribebatur pro *iure sed*.

ad religionem, quam ad ius sepulcrorum) I. e. ad religionem sepulcrorum. Quod ad Div. IV, 12, 3, Athenienses dicuntur impediri religione, quo minus Marcellum intra urbem sepeliendum concederent, nullam huius argumenti legem proferre potuit Petitus; sed morem breviter indicavit Wachsmuth. Hellen. Alterth. II, 2, p. 79. sq.

credo, vel propter ignis periculum) *Vel* difficile est explicatu h. l.: et quamquam non acquiesco in Davisiano supplemento, tamen puto alteram rationem excidisse. Non puto idem accidisse Fin. III, 3, 11, ubi, pace Madvigii dicam, verba *rem ullam virtutis expertem* commode mihi videntur tam ad *mala*, quam ad *bona* referri posse.

claros viros) Madvigius Programm. p. 25, in Codicibus esse ait, *quid post* XII *in urbe sepulti sunt clari viri*: et non recte suppletum esse, *quid? qui — sunt, clari viri?* quod non de hominibus quaeratur, sed de re, qui accommodari ad legem possit, quod post eam latam factum constet. Sed quae res opponitur legi ab Attico, ea non nisi hominum exemplis constare poterat. Quoniam autem *clari* viri quod appellantur, ea ipsa iam excusationem posthabitae legis continere videntur, aptius esse credidi ut haec non Attico, sed Marco tribuerentur. Igitur suscepta correctione in optimis libris, mutavi distinctionem, ut Marcus dicat, factum hoc esse, sed non nisi in claris viris. — Mox, nonnihil offendit, quod utrobique

virtutis causa tributum esse dicitur. De isto honore, qui Publicolae habitus sit, nihil tradit Livius II, 16, sed Plutarchus Poplic. fin. De Tuberto fortasse dubitare licet, sitne P. Postumius Tubertus intelligendus is, quem Wyttenbachius indicavit: constat enim ex Livio, Plutarcho aliisque tantum hunc abfuisse a splendide gesta re publica, ut huius salus aliorum potius, P. Publicolae, et post Menenii virtuti deberetur. A. Postumium fuisse vetat temporum ratio, quippe quem Dictatorem de Volscis triumphasse constat 20 post latam xii tabularum legem annis: conf. Livius IV, 26, sqq. Videri poterit Cicero lapsus esse in explorandis annalibus. Certe, quibus ante xii Tab. insignis a populo favor in funere contigerit, duo tantum apud Livium memorantur, Agrippa Menenius, is qui Tuberti collega in consulatu fuerat, (de quo Livius II, 33, fin.) et P. Valerius Volusius Cos. (id. III, 18, fin.): neutro tamen loco sepulturae intra urbem mentionem fecit, quod tamen in Publicola quoque neglexerat.

virtutis causa, soluti legibus) Moseri coniecturam, — *ut C. Fabricius virtutis causa soluti sunt*, difficile est probare. *Solutus legibus* dicitur ex formula, ut docet Ruhnken. ad Sueton. Caesar. 18. Post xii tab. necesse fuisse videtur nova lege sepulturam intra urbem prohiberi, quae a Servio Aeneid. XI, 206, refertur ad Duilii consulatum, A. U. 494, igitur post Fabricium: ex eodem grammatico intelligitur, qui *soluti legibus* appellati fuissent: et in eodem genere legibus solvendum censuit Cicero Ser. Sulpicium, Philipp. IX, 7, 17. — Mox, verissime Madvigius l. c. coniectura restituit, *sed ut in urbe* —.

sic decretum a pontificum collegio —) Rursus videtur confundi pontificalis auctoritas cum iure civili: nam eam rem ad ius civile pertinere, conficias ex l. 8. § 2. D. de relig. et sumt. fun.: eodem fortasse referendum edictum Aedilium, cuius in Philipp. IX, l. c. fit mentio.

aedem Honoris) Hanc aedem perperam confundit cum templo Honoris a Marcello renovato, ad portam Capenam, Creuzerus ad Nat. D. II, 23. De Honoris Virtutis aede Excursus est xiiitius Garatonii in altera edit. Plancianae Orell. p. 277, qui discriminis non immemor est § 2; non tangit C. Sachsius (Gesch. und Beschr. der alt. Stadt Rom. T. I. p. 449. sqq.) neque Viscontius (Opere Varie Vol. II. p. 409. sqq. Milan. 1829.) De loco, extra an intra urbem, dubitat Dukerus ad Liv. XXV, 40, 2. — *Aram in eo loco fuisse*, edidi, omissa copula ante haec, *et:* nam ab his demum verbis incipit narratio: praecedd. loci tantum indicium continebant.

et in ea scriptum domina Honoris) *Domina* est ex correctione: nam vetusti libri non nisi *mina Honoris* habuisse videntur: unde Moserus post alios apte restituit *lamina Honoris:* sed non defendere debebat coniecturam exemplo iterati eiusdem substantivi in Divin. II, 1, 3. De casu nominis in inscriptione dubitari potest, *Honoris* an *Honori:* praeterquam quod ista saepe accommodantur reliquorum verborum structurae, sicut Accusativum tenet Cicero Verr. II, 63, 154. Nominativum bene servandum vidit Ernestus in Tacito Ann. XVI, 7. Genitivus est ibid. XIII, 2.

locum publicum non potuisse privata religione obligari) Sic Bacchanalia diruta sunt, *extra quam si qua ibi vetusta ara aut signum consecratum esset*, Livius XXXIX, 18, 7. Tum Censoribus cura mandata fuisse videtur, ne sacella publica a privatis occuparentur.

§ 59. *cetera in* xii *minuendi sumtus sunt, lamentationesque funeris*) *Sunt*, abesse non posse recte agnovit Moserus; sequentia enim, *translata* cet., per adiectionem dicuntur. Sed Davisianae correctioni (quam commendat Madvigius l. c. p. 25) *lamentationisque funebris*, praestare puto *lamentationisque in funere*. — Mox, *inquit* sc. lex xii tab., recte in hoc usu animadvertitur

a Goerenzio ad Fin. II, 22, 74, ubi tamen bene *inquit* a Madvigio restituitur: sed pro plurali ponitur *dicit*, Verr. III, 75, 175. — *Opus asciatum*, et *sub ascia opus dedicare*, locutiones illustrantur a Gronovio Lect. Plaut. p. 36: tum ipsum *polire* dici etiam de opere albario, vel tectorio, docet Ruhnken. ad Vell. Pat. II, 22, 4.

nostis quae sequuntur) De hac interrumpendae orationis formula, Orellius Excurs. VI ad Plancianam: et continuari, velut post parenthesin, orationem verbis *extenuato igitur*, necesse est, quoniam modo et de sumtu et de lamentatione dicere instituerat, nunc instaurat.

extenuato — sumtu tribus riciniis) Perperam ista ab Editoribus separantur ὑποςιγμῇ post *sumtu*. Sumtus *extenuatus est tribus riciniis*, i. e. ut tria tantum ricinia relinquerentur: de quo Ablativo vid. supra ad I, 21, 54: neque sunt haec ipsa verba legis. *Vincula purpurae* sunt vincula riciniorum. Ceterum mihi quoque Lipsii interpretatio placet prae Raevardiana: de mulieribus mox dicitur, quarum propria erat *lamentatio*.

neve lessum — habento) Bentleii coniecturae in versu Enniano, Tusc. I, 49, 117, (*funera lessum*), hoc obstat, quod ita poeta renunciaret iis, quae ipsa lege sublata erant: sed *fletum* propinquorum aut mulierum, quis prohibeat? Expressa sunt haec de Graecis Solonis, ut sunt apud Plutarchum, τὸ θρηνεῖν πεποιημένα καὶ τὸ κωκύειν. *Lessum habere* explicat Gronovius Lect. Plaut. p. 362. Sed alia, moderatiora, in veterum institutis fuisse, diserte testatur Tacitus Annal. III, 5. — Siculi mox dissensio narratur de lege XII tab., ita veterum discrepantiam in iure publico interpretando memorat Livius III, 55, 8. sqq.

ut vox ipsa significat) Videtur indicare *lessum* esse ὀνοματοπεποιημένον. Quod ex Lagom. 10 enotatum est *fingat*, pro *significat*, factum sine dubio ex *signat*, compendio verae lectionis.

CAPUT XXIV.

§ 60. *Cetera item funebria, quibus luctus augetur*) Quae ex optimis enotantur, *funebris a quibus*, et *funebribus a quibus*, non est varia lectio, sed correctio terminationis in adiectivo. Verum tamen puto ipsum hoc, *funebria*, interpolatum esse: non enim dici solere credo sine substantivo.

excipit bellicam — mortem) Recenset inter militiae privilegia Taylor. ad Lysiae Epitaph. p. 62. R.

sunt in legibus: de unctura) Verum vidisse credo Davisium, hoc fere modo interpungentem: nullo enim modo *leges de unctura* probari poterat. Tum verba *de unctura*, recte sentiunt, qui margini deberi putant, quibus in verborum seriem receptis additum fuerit *quae*. Restant igitur, ut vere Tulliana, non nisi haec, *servilis unctura t.* — *Circumpotatio* servavi prae altero (quod unus meorum habet, Lagom. 39) *circumportatio;* et defendit Madvigius Emendatt. p. 79. sq. In Kirchmanno Funer. IV, 5, nihil reperio, quod ad ipsius *funeris* sollemnia referri possit; alias potius epulas persequitur, quibus parentari manibus solebat. Utitur *circumpotationis* vocabulo ad explicandum συμπεριφορά Wyttenbachius ad Plutarchum Praec. Sanit. p. 124, B, refertque ad epularum conversationem; quale quid h. l. intelligendum videtur; neque legis illud vocabulum erat, sed rem ipsam Cicero suo more indicat. *Potionem circumferri* memorat Varro L. L. V. p. 127. Contra, *circumportatio*, (quamquam de verbo *circumferre* docte exposuit Gronovius Lect. Plaut. p. 17) neque ad luctum, neque ad sumtum augendum pertinere potuit, quorum tamen causa haec omnia disputantur.

ne sumtuosa respersio — praetereantur) Haec Madvigius l. c. ita interpretatur: »illa omittamus, quae praecipiuntur, ne sumtuosa respersio sit cet.:" quasi *ne sumt. resp.* ceteraque legis verba essent, unum *praeterean-*

tur Ciceronis. Offensioni non fuisse videtur, quod postremo substantivo *nec*, prioribus *ne* praemittitur. Mihi corrigendum videtur *nec sumt.* — *nec longae* — *praetereuntur*, i. e. in lege, s. haec quoque omnia tolluntur. Madvigii illa ratio interpretandi tum fortasse probari posset, si in reliquis diutius haesisset Cicero, ita ut haec nunc omittenda censeret: sed in praecedd. quoque mera defungitur rerum enumeratione.

significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere) *Significatio*, sc. opinionis, quae illis temporibus iam valuisset: quae Beierus ad Offic. I, 15, 46, exempla indicat, continent significationem, i. e. indicium ipsius rei: sed illo modo plene enunciatur Philipp. XIV, 2, 6, *significatio vestra satis declarat, quid* — *sentiatis:* et aliquoties ita in Sextiana. *Pertinere ad mortuos*, est quoque Lael. 4. init

coronam virtute partam) Nam aliorum mos erat, ut coronis aureis impositis sumtum funeris augerent, sicuti in Castricio Smyrnaei, de quo pro Flacc. 31, 75. Sed ne haec quidem ipsa verba xii Tab. sunt: conf. Plinius a Turnebo citatus. Potest ex lege deducta esse formula *sine fraude* (i. e. *se fraude.*) — Tum, ante *impositam iubet*, equidem non requiro *lex.*

Credoque, quod erat factitatum —) Revocavi *credoque*, (pro *credo*) quod mei optimi habent. Defendit tamen alterum Madvigius Emendatt. p. 81. sq., dicitque extra nexum orationis poni. Non tamen propterea sine copula dici potest. Rursus Opusc. p. 201, *credo*, opinantis, frequentius primo loco poni dicit. Sed ne hoc quidem conficit copulam abesse posse. Nimirum *credo*, quum ἀσυνδέτως ponitur, refertur cogitatio ad praecedd., sicut in parenthesi Brut. 93, 320: et sic Fin. II, 35, 119 (quem enim locum indicat Madv., Verr. IV, 20, 43, ibi *credo* fidem haberi significat, non est opinantis; tum iterum ad praecedd. refertur:) tum supra Cap. 23, 58,

eodemque modo apud alios, Livium VI, 9, 3. Vell. Pat. II, 25, 3. Contra, si nova sententia proponenda est, copula additur, ut Orat. I, 57, 245, *et credo:* Pison. 13, 31, *itaque credo.*

ut uni plura fierent) Aliquanto audacior ea coniectura est, quam edidit Lambinus, *ut uni plura feretra inferrentur.* Puto simpl. interpretandum esse, *plura funera f.*, aut *iusta.*

quam humane excipiat altera lex —) Expressi satis constantem optimorum librorum lectionem, quae tamen inutilibus glossematis corrupta est. Non tantum enim *altera lex*, id quod dudum viderunt viri docti, sed praeterea totum id quod sequitur, *praecipit altera lege*, quibus in aliis additur adeo *vetat*, eiiciendum est, legendumque *quam humane excipit, ut cui* —. Davisius, qui hoc sensit, commendat *excipitur:* sed intelligendum est *lex.* — In ipsis legis verbis, vera correctio recipienda est, *sepelire urereve*, tum in clausula rursus *sepelire et urere*, quae Victorius et Turnebus correxerunt. Sed totum hoc abundare videtur, propter eamdem admonitionem supra Cap. 23, 58.

auro dentes vincti) Notavit de hoc more Iacobs. ad Anthol. Vol. XI. p. 220. — Manutium, qui verba *ast im* mira ratione corrigebat, castigaverat iam Robortellus, De Art. Corrig. antiq. Thesaur. Crit. Tom. II. p. 25.

§ 61. *nam quod rogum*) Sic mei quoque constanter, nisi quod Ambr. α. et Lagom. 39. *namque* (*namquae*). Hinc explicandum, quod Lagom. 10. mox habet, *quia incendium.*

incendium veretur acerbum) Bene mihi videtur defendere hanc librorum lectionem Goerenzius, quum alii in *acerbum* offenderent, quorum coniecturas repetiit Moserus. Sed *acerbum* appellari videtur id, quod ex re acerba, ut h. l. ex funere, oritur. Sic Verr. I, 22, 58, *forum — adornatum, ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogi-*

tationemque acerbo et lugubri. Et saepe ea nominibus adiectiva iunguntur, quae propie ad alia pertinent, quorum cogitatio requiritur, sicut *sordidissimum periculum*, quod ab infima plebe oriebatur, ad Div. XII, 1, 1.

quod autem eorum, id est vestibulum sepulcri) Vera videtur Turnebi correctio ex Festo, *forum.* — Mox, coniunxi *funus ut indicatur si quid ludorum*, disiuncta ab Orellio, quoniam ludi fuerunt funerum indictivorum: conf. Lipsius Saturn. I, 8. — Tum edere poteram *dominusque funeris*, quod praebet Lagom. 96.

§ 62. *in concionem memorantur*) Non debueram vitiosum *concionem* servare, in optimis libris ex prava reduplicatione consonantis ortum. Ceterum bene corrigitur *memorentur:* tum hoc recte agnovit Orellius, non esse ista ex lege, sed, quod modo dicebatur, *in more* fuisse. Itaque non erant haec separanda a praecedd., intelligendumque *ut*, sicut in *prosequatur*, deleto *et* post *etiam:* vidit Wyttenbachius. Perperam autem cum his coniungi quae traduntur Tusc. I, 2, 3. IV, 2, 3. Brut. 19, 75, bene iam monuerat Wolfius (Praelect. Tusc. p. 328. ed. Orell.) In more fuisse has laudationes ante xii tab., indicant exempla apud Livium II, 47, 11. 61, 9. *In concione*, i. e. pro rostris, ut Livius XXXVIII, 54, 9: pariterque *νόμου*, i. e. moris probati, in hac re mentionem facit Plutarchus Virtut. Mul. p. 242. F. Quod de matronis tradit Livius V, 50, 7, concessum quidem, nec tamen usurpatum dixeris ante Popiliam, Crassi matrem, de qua Cic. Orat. II, 11, 44; quod minus videtur expedivisse Turnebus in Iocos Cicer. p. 9. sq. — *Eosque* pro *easque*, inutilis est Schlegelii correctio: vere enim cantus dicitur *prosequi laudes:* accedit, quod non in solis honoratis ille mos valuit, sicut docuit H. Magius Miscell. I, 13, in Thesaur. Crit. T. II.

cui nomen neniae — nominantur) Totum hoc concedo aliis ut amplectantur: mihi tam putida rei, quae minime

ad illustrationem pertinet eorum quae nunc disputantur, videtur esse commemoratio, ut ex sedula grammatici cuiusdam annotatione profectum existimem.

CAPUT XXV.

nostra iura) Nempe XII tab. *Accommodari* i. e. ostendi ea convenire cum natura.

ut ceteros sumtus) Alteram lectionem, *ceteri* (Genit. singul.) defendi non posse puto. Nam, ut concedam *ceterum sumtum* recte dici, tamen h. l. singula intelligenda sunt, in quibus sumtus fieri poterat. Sic, quum mox dicit *quos ad sumtus*, non ab uno, sed a diversis factos intelligit: eodemque modo, dein, *sumtus et luctum removere. Ceteros sumtus* per attractionem in Accusat. et Infinitivo dicitur, subaudito *coërceri*, propter sqq., *sepulcrorum modum requiri*. Frequens illa attractio in enunciationibus comparationis. Sulla legem a se latam migrasse traditur in funere Metellae: conf. Plutarch. Sull. p. 474. B. Pighius Ann. T. III, p. 263. sq. Minus diligenter Kirchmannus Fun. III, 16. ponit Romae sepulcrorum magnificentiam nullis legibus fuisse cohibitam. Poenam lege constitutam fuisse, quo sumtus in monumenta certe coërcerentur, satis significat Cicero ad Att. XII, 35, 2. 36, 1. Sed vicisse videtur crescens Romanorum luxuria.

in C. Figuli sepulcro vidisse credo minimam —) Quod vulgari solet, *vides. Sed credo*, est de Manutii coniectura, quam vix mihi persuaderi patior in Copp. Vict. b. confirmari. Laudarem coniecturam, si locus esset Coni. *sed* adversativae. Nunc puto legendum esse, — *vides; credoque minimam* —. Illud, quod Manut. excogitabat, transitum ad aliud argumentum indicaret. — Mox, quod Davisio placebat, *ampla*, pro *exempla* (quam lectionem complures de meis quoque habent) non nisi scribae errorem esse puto bene correctum in Ambr. β. γ. *ampla*

exempla. — *Alioquin*, quod in optimis omittitur, abesse puto non posse.

nostrae quidem legis — iubentur) *Nostram* appellat legem, quam supra Cap. 9. fin. posuerat. *Iubentur* Davisius referebat ad iuris interpretes, itaque mutabat in *iubemur*, quod alii viri docti probaverunt. Sed *iubentur* accommodatum est ad ipsum verbum legis, *minuunto*, id quod non agnovit Orellius, sua interponens in Wolfii Praelect. in Tusc. II, 1, 2, neque Madvigius Programm. p. 25, qui verbum ad interpretes pertinere putat: nec tamen hi iuberi poterant removere sumtum, sed cives universe. Tum, in optimis meis legitur *intelligant*, quod quare praeferendum sit, non fugit Madvigium l. c.

§ 63. *nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt*) In *et* quod offenderunt viri docti, non attendisse puto huic in seqq. respondere *posteaquam.* — *Iam* defendi non potest, nisi iungatur cum *a Cecrope*, quod ipsum proverbiale esse, ostendit formula *ut aiunt.* Ceterum illius moris descriptio pertinet usque ad *confecta erant.* — *Hocius terra humandi*, aut *hoc ius*, constans est librorum lectio, quam mutari non oportere in *ocius*, bene sensit Madvigius Programm. p. 26. not. 1: quid autem sibi velit, quum dicit *humandi* verbum non recte accusativo carere, non assequor. Potestne *ossa terra humandi?* Bene autem Madvigius commendare videtur *quod quum proximi fecerant*, quemadmodum ipse videram locum expediendum esse.

frugibus obserebatur) Non concedo vel Wyttenbachio, qui *serebatur*, vel Mosero, qui *conserebatur* postulabat. Puto enim *obserere* esse, serendo occupare et tamquam claudere superficiem. — *Sinus et gremium matris* quod dicitur, conferenda sunt cum Xenophonte, supra Cap. 22, 56, nec, ut volebat Creuzerus, cum illis de Platone Cap. 27, 67.

apud quas de mortui laude, quum ni quid veri erat praedicatum) Madvigius l. c. p. 26, corrigit *apud quos*. Sed neque hoc probari posse existimo, ita ut, praeter propinquos, alius fuerit, qui apud eos laudationis munere fungeretur; neque barbarum esse *apud epulas*, pro *in epulis*. — Tum recte animadvertit Madvigius partitivam loquendi formam, *quid veri*, non esse huius loci, commendatque *si quid veri poterat*, quo ducere Codicum vestigia. Non satis honesta mentio istius moris: ac puto potius huiusmodi quid requiri, — *de mortui laude quum ab uno erat vere praedicatum* —. — In clausula, rectissime ex *adiuxta* Davisius effecit *ita iusta*.

§ 64. *postea quam, ut scribit Phalereus* —) Obtemperandum et ipse puto Manutio, corrigenti *postea quum*. — Expressi autem optimos meos, *coepissent et Solonis*, reliquis *et* omittentibus: nec tamen pro nihilo esse puto, sed corrigi verbi terminationem, indeque oriri alteram lectionem *coepisset*, quod praestare credo. — Mox, necessario correctio suscipienda, *nostri decemviri*. Quumque praepositio corrupta esset, vitio orta lectio est *undecimam*, quam bene respuit Davisius.

de lamentis — expressa verbis sunt) I. e. non sententia tantum legis Soloneae, sed quae in x^ma^ tabula sunt, verbis adeo expressa sunt placita Solonis. Satis puto recte haec dici, ne indigeamus aliorum correctione, *verba*. Tum concedo iis, qui sequentia, *mulieres — habento*, e superioribus huc intempestive illata esse putant.

CAPUT XXVI.

aut monumentum, inquit) Non puto mutandum esse *inquit*, sed indicium esse in hac lege ipsa verba Solonis proponi, quod ipsa plenitudo orationis, qualis esse solet in Atticorum legibus, indicat. Contra, quae sequuntur, *ne quis sepulcrum — dici licebat*, non nisi sententiam

legum referunt, nec debebant alio modo describi, nec plena distinctio poni post *triduo.*

quas in Ceramico videmus) Recte Ernesti suspicionem, *vidimus*, improbat Goerenzius, cuius tamen inconstantiam in aliis locis notavit Beierus ad Offic. I, 6, 19. Res nunc satis nota: sed Fin. III, 5, 17, equidem malim cum Ernesto *videmus* reponere, quam, ut Madvigius suadet, *videamus* servare propter aliquam causalem significationem.

§ 65. *opere textorio*) In hoc mei libri omnes conspirant, de aliis non diserte affirmatur quemquam habere *tectorio*, quae tamen necessaria correctio est. — Mox, *nisi qui publice* edidi plerosque libros secutus, quoniam altera lectio, *nisi si qui* —, id quod necessitatis erat (oratorem publicum designare) voluntati aut fortunae tribuit.

sublata — celebritas virorum ac mulierum) Pertinent haec ad privatas sepulturas, de quibus nonnulla annotatavit Ruhnken. ad Terent. Andr. I, 1, 90. Bremius ad Lysiam Caed. Eratosth. § 7. Horum omnium praecipua erant in Solonis legibus, qui secutus erat Epimenidis instituta, (conf. Plutarch. Solon. p. 84. E) eodemque tum aliae referendae Atticorum leges, tum illa apud Demosthenem Adv. Macart. p. 1071.

habet enim luctum concursus hominum) Optimi quique pro *habet*, afferunt *huc*, aut *hunc*, aut *huic*: neque tamen *habet* auctoritate caret, quod non recte mihi videtur improbare Moserus. *Habere aliquid* i. e. necessario coniunctum esse cum aliqua re: ut *haec studia vacationem habent publici muneris*, ad Div. IX, 6, 5: *habet ardorem libido*, Tusc. III, 13, 27: *habet inflationem is cibus*, Divin. I, 30, 62: conf. Fin. II, 3, 9. fin. et supra Cap. 10, 25. fin.: plane sic ad Div. V, 12, 5, *viri saepe excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, laetitiam, molestiam, spem, timorem.*

§ 66. *in funus aliorum*) Orell. »fortasse *alienum*." Potius vel intelligendum, vel legendum est, *alienorum*, *τῶν μὴ προσηκόντων*, ut est in lege apud Demosthenem l. c.

quae nunc fere Romae est) Additum ex Ciceronis persona: volebat autem modo, *ut ait — increbruit —*. — *Civis e re publica maxime* offensioni fuit Mosero, dubitanti an recte diceretur *aliquis esse e republica:* Creuzerus in additamentis ad Turnebi Comment. ad h. l. confirmat tam hoc dici, quam *aliquid esse e re publica:* nisi quod Turnebum corrigens non tamen ipse accuratissime locutionem explicat. Nam *civis e re publica* (perperam fingit Moserus *esse e re publica:* quippe *e re publica* adiectivi vicem sustinet) dicitur is, qui optimas partes in re publica probat et tuetur. Ad Div. IX, 21, 3, *praeter hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, civis e re publica Carbonum nemo fuit.* Philipp. VIII, 4, 13, *si bonos et utiles et e re publica cives.* Rabir. Post. 9, 23, de hoc ipso Demetrio, *Demetrium et ex re publica Athenis, quam optime digesserat, et ex doctrina nobilem et clarum:* de quo loco non recte Moserus, iungens *ex re publica nobilem*: nihil aliud est enim nisi Gr. *χρηστός*, ita ad mores, et ad sententiam refertur, non ita ad facta illustria quae nobilitarent auctorem. Hinc aptissime ibid. adiicitur *quam optime digesserat*, nec glossema hoc habendum est; quamquam concedo extremum *digesserat* correctione indigere. Non latuerunt hi loci Orellium ad Rabir.

tuendaeque civitatis paratissimus) Satis, credo, modo disputavi, ex quo conficiatur ne hoc quidem glossema habendum esse. Sed *peritissimus*, quod edi solet, nullus meorum librorum habet: nec, ut puto, sententiae consilio satisfaceret; quippe quum laudavisset sententiam in re publica Demetrii, nunc operam eius laudare voluit: et *paratus* est promptus in agendo, cf. Brut. 39, 145.

ante lucem — efferri) Haec et reliqua, quae hic

memorantur, habet quoque Plato Legg. XII. p. 960. A. — Mox, *noluit quid statui*, quum non satis vetandi aut negandi sententiam declaret, recte Lambinus commendabat *quidquam*, probante Madvigio ad Fin. p. 471.

huic procurationi certum magistratum praefecerat) Non novum, aut peculiarem magistratum, sed, ut videtur, hanc curam mandaverat astynomis. Demarchi certe officium non nisi ad eas causas pertinuisse videtur, quae commemorantur apud Demosth. adv. Macart. p. 1069.

CAPUT XXVII.

§ 67. *dicit haec*) Praeter locum iam a Davisio indicatum, conf. Legg. I. p. 632, C quibus honoribus mortui sint afficiendi; tum Republ. IV. p. 427, B. V. p. 469, A. Iure autem non obtemperatur Davisio, qui in illo, quem apposuit, loco corrigebat μέρος pro μνῆμα, quod postremum per appositionem rectissime adiicitur ad θήκας, et Ciceronis interpretatio, *ex agro culto ullam partem*, plane refert Graeca τῶν χωρίων μηδαμοῦ. Mirabilius etiam Goerenzius corrigebat κτῆμα.

quae natura agri tantum modo efficere possit, ut — recipiat) *Tantum*, i. e. tam nihil efficere possit, ut non nisi — recipiat. Non bene autem Creuzerus *agri naturam* dici putat pro *agro*. Attigi hoc breviter supra p. 329. sq. Itaque si Nat. D. II, 12, 33, (*si a primis — naturis ad ultimas — volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus necesse est*), scripsisset *ad deos*, explicandum esset ex illa breviloquentia, de qua annotari solet ad Offic. I, 22, 76. Ipsum autem exemplum quod affertur, Nat. D. II, 54, 136, *quum alvi natura subiecta stomacho cibi et potionis sit receptaculum*, vitiatum esse vix dubitandum est, nec Heindorfium videtur fugisse: describitur enim locus quem occupat alvus, neque usquam, in illa corporis humani fabrica describenda, tali

additamento utitur. Igitur aut legendum est *alvus subiecta*, expuncto *natura*, aut in hoc aliud latere dicendum est.

§ 68. *exstrui autem vetat sepulcrum* —) Hoc e XII^{mo} libro Legum petitum, aliter quodam modo praecipit Plato Legg. IV. p. 717, D. E. — *Homines quinque* quod Turnebus addendum censuit, non reprehendo: in Ambr. β. γ. exstat certe *homines*.

nec e lapide excitari prius, nec imponi) Aptissima correctio videtur *amplius*, quod habet Ambr. γ. Reliqua recte in hoc l. interpretatur Turnebus. — Mox, *heroicis* non nisi in deterioribus libris est: alterum vindicat Cortius quoque ad Plin. Epp. VII, 4, 3. — In alio genere subscribendi superbiam animadvertit Ruhnkenius ad Vell. Pat. p. 42. — Mox, *iterum*, quod est in meis fere omnibus, servavi, quoniam idem puto esse, quod *porro*, similiaque.

funerum sumtus — a minis quinque usque ad minam) Haec operae pretium est conferre cum sumtibus, quos factos esse novimus ex Lysia Contr. Diogit. § 21. Demosth. Contr. Stephan. p. 1125, 16, ex quibus locis, quantum intervallum esset inter minimos et maximos sumtus, intelligitur.

deinceps dicit eadem illa — poenis impiorum) Accedo eorum sententiae, qui aliena haec a Ciceronis manu esse putant. Necdum intelligo, quid ista ad Platonis disputationem de moderando sepulcrorum et funerum sumtu pertineant: tum, ut bene monuit Moserus, talia apud Platonem non certe *deinceps* disputata sunt. In verbis ipsis offendor *tranquillitate bonorum*, quae opponatur *poenis impiorum*: nullo exemplo, ne ratione quidem illud probari poterit. Credo ista argumenta ipsum Ciceronem in fine huius libri ornatius persecutum esse, eiusque disputationis, quae periit, non nisi hoc ex margine indicium superesse.

§ 69. *habetis igitur explicatum omnem*) Non solet in huiusmodi generali clausula disputationis *igitur* addi; et puto delendum esse. — *Religionis locum* non debebam prae-

ferre prae eo, quod optimi habent, *religionum l.*, sicut infra III, 1, 2, *religionum legem* appellat: contra ibid. 20, 48, *de religione leges* dicuntur rectius, quod singulae religiones altero plurali, *leges*, indicantur: rursus *religionis legem* appellat ibid. 5, 13. Fortasse utroque modo bene dicitur: conf. Duker. ad Livium XXX, 2, 9. Drakenborch. ad XXXVII, 1, 1. Romani tamen omnem illum complexum sacrorum *religiones* appellabant: conf. Verr. II, 51, 126. Sext. 46 init.

perge ad cetera) Praepositio addita videtur ex correctione: optimi certe eam omittunt. Contra non omittitur infra III, 12, 27: neque Brut. 43, 158, nec Offic. I. fin. et tamen recte sentiunt novissimi editores bene Latine dici *perge cetera* i. e. explicare. Brut. 74, 258, *perge, Pomponi, de Caesare, et redde quae restant:* et in permultis exemplis Infinitivus intelligitur.

conficiam, spero; hoc praesertim die) Non puto abiiciendum esse *spero*, aut propter Latinitatem requiri *ut spero*, quae Goerenzii est opinio. *Hoc praesertim die*, i. e. quoniam mane satis est, necdum magna diei pars praeteriit: minus probanda Turnebi interpretatio, qui solstitialem diem significari putabat. Sic ad Div. XVI, 21, 7, *hoc loco me tibi gratulari, noli mirari*, i. e. in fine epistolae, tam sero.

igitur faciam, et dicam de magistratibus) Deteriores tantum libri *sic igitur faciam*, quod verum esse non potest, quoniam *sic* referendum ad *peroratam*, nec tamen Cicero affirmare potest *se peroraturum* de legibus, quod modo dixerat se *sperare* tantum. Nihil aliud dicit, nisi se facturum quod Quintus postulabat, ut cetera pergeret. Interpolationis causa quaerenda in tritissima forma *sic facere*, *id facere*. similibusque, post quae tamen necessario *ut* subiicitur: sed putidum erit *sic faciam ut dicam*. *Igitur*, initio sententiae positum, nunc satis vindicatum est.

id est enim) Inclinat maior pars librorum in alterum ordinem, *id enim est.* Quare isto modo ediderim, explicandum ex rationibus quas indicavi supra p. 334. — In fine, optimi quoque libri habent vitiosum *accepisti:* necessaria correctio in libris recentioribus recipienda fuit.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

§ 1. *quadam admiratione commotus*) Goerenzius in his offenditur, quod *quadam* additur, idque substantivo praepositum. De postremo tenendum tam praeponi, quam postponi *quidam:* Offic. I, 14, 44, *quadam gloria ductos:* conf. Orell. ad Orat. I, 5, 16: et varietas lectionis in Fin. IV, 7, 16. Praeterea, quod addi volebat Goerenzius, ut legeretur *nimia quadam*, illud ipsum inest in pronomine, quod et multis modis ponitur, et nunc cum quadam vituperii significatione, sicuti bene in illo Officiorum loco animadvertit Beierus. — Mox, *diligis* edidi quidem ex optimis meis, sed praesto est auctoritas Ambr. γ. et Lagom. 39. qui *dicis* habent, quae verissima correctio est.

istum ipsum, Attice) Ut h. l. *dico* intelligitur, ita *dicis* Fin. II, 5. fin. Et haec, et mox alia exciderunt in Lagom. 98, sed mera negligentia.

quoniam quidem) Sic optimi mei indicant. Nec verum est, quod affirmat Goerenzius, rarissime *quoniam* in *quando* depravatum esse.

§ 2. *laudemus igitur prius legem ipsam*) Quo modo explicandum sit, quum dicit *legem ipsam*, intelligitur ex oppositione § 5. fin. *ad ipsas iam leges veniamus*. Contra, quae recitandae erant leges, eas singul. numero appellat supra II, 6, 14, *priusquam ipsam legem recitem, de eius legis laude dicam:* ibique pronom. *ipse* rationem habet ex oppositione, hoc autem loco dificile est distinguere *legem ipsam* a *legibus ipsis:* neque etiam aliud quidquam *laudandum* erat praeter legem, ut hoc quoque nomine molestum sit pronomen. Credo corrigendum esse *ipsius*. — De *veris et propriis generis sui laudibus* notavi Bibl. Cr. N. III. p. 216.

magistratus hanc esse vim, ut praesit —) Lagom. 10. perperam *vera recta et utilia*, simili vitio laborans eius, quod in Orat. I, 43, 194, indicavit Madvigius: conf. supra ad II, 5, 11. init. — Sed dubitatur de totius loci structura. Nam quum Goerenzius et Moserus quatuor librorum auctoritate *potest* omitterent (quod verbum in uno meorum quoque D, sed recentissimo, abest), Infinitivum *vereque dici* suspensum esse voluerunt ex *videtis*, itaque *ut enim — praesunt magistratus* in parenthesi complexi sunt. Non satis attendisse mihi videntur, postrema (*magistratum legem esse loquentem, legem mutum magistr.*), non apte coniungi cum primis (*magistratum praeesse et praescribere recta*), multo minus hinc tamquam consectarium illud duci: neque item, quae interponi volunt (*ut enim* —), rationem continere praecedentium. Nihilominus et languidum per se est *vere dici potest*, et contra consuetudinem, ex qua *vere dicitur* formula est, quae vel paroemiis, vel celebratis aliorum dictis praemitti solet. Nepos Thrasyb. 2, 3, *nec sine causa dici, matrem timidi flere non solere*. Equidem vix dubitem, quin corrigendum sit *vereque dicitur*, qua lectione corrupta, *potest* interpolatum sit. — Ceterum, ipsa sententia huius loci conspirat cum Artstotele Polit. III, 6, 13, leges oportere

esse κυρίους, magistratum autem κύριον περὶ ὅσων ἐξαδυνατοῦσιν οἱ νόμοι λέγειν ἀκριβῶς. Sequens sententia a Platone est, Legg. IV. p. 715. C. D. Collectio Sententiarum Cod. Voss. 4to n°. 97: ἄριστα αἱ πόλεις οἰκοῖντ' ἄν, ἐὰν μὲν οἱ πολῖται τοῖς ἄρχουσι πείθωνται, οἱ δὲ ἄρχοντες τοῖς νόμοις. Tum, sequens dictum (*magistratum — mutum magistr.*) pluribus modis enunciaverunt veteres. Notissimum est primum Pindari dictum, de quo vid. Valckenaerius ad Herod. III, 38, fin. et Stallbaum. ad Platon. Symp. p. 196. C, unde Lysias Epistaph. p. 78. R. ὑπὸ νόμου βασιλεύεσθαι. Diotogenes Pythagoreus Stobaei XLVIII, 61, ὁ δὲ βασιλεὺς ἤτοι νόμος ἔμψυχος ἐντί, ἢ νόμιμος ἄρχων. Archytas ibid. XLIII. 132, νόμων δὲ ὁ μὲν ἔμψυχος, βασιλεύς, ὁ δὲ ἄψυχος, γράμμα. Eodem pertinet figura, qua utitur Cicero Offic. I, 25, 89, *ut ii, qui praesint rei publicae, legum similes sint.* Livius X, 13, 10, *iam regi leges, non regere.* Sed proxime accedit Xenophon. Cyrop. VIII, 1, 22, τὸν ἀγαθὸν ἄρχοντα βλέποντα νόμον ἀνθρώποις ἐνόμιζεν.

§ 3. *quod quum dico, legem a me dici intelligi volo*) Quod interponitur ab aliis, *nihil aliud*, optimi mei omittunt: recte, ut opinor. Nam, *nihil aliud*, ut *quid aliud* (conf. Orell. ad Tusc. I, 31, 75) in ea sententia ponitur, quam quis praeter exspectationem demonstrat: contra h. l. repetit ea, quae libro I° saepe posuerat: neque *legem nihil aliud* esse quam *ius conditionemque naturae* affirmare poterat; sed hanc esse suam *legis* interpretationem. Similis forma admonitionis supra I, 12. init.

nam et hic deo paret, et huic obediunt —) *Hic* ad mundum refertur, *maria terraeque* ad rerum naturam omnem, *hominum vita* ad superiora.

CAPUT II.

§ 4. *ad haec citeriora*) Hoc adiectivum de tempore dici, animadvertit Cortius ad Epp. ad Div. II, 12, 1. Ruhnk. ad Vell. Pat. I, 17, 2.

idque in re publica nostra maxime valuit) In meis quoque optimis est *idque ut in r. p.:* in quibus latere puto *id quod in r. p.:* totum enim hoc de Romae regibus in parenthesi ponitur, et parentheseos propria est illa forma, *id quod*, sicut exemplis demonstrat Beierus ad Offic. II, 23, 83. — Mox, quae pro *quoad ei* in multis libris leguntur, tritissimae sunt aberrationes. — *Regalis dignitas*, quod Lagom. 10. habet, non illud quidem per se damnandum, sed propter verbum adiectum, *praefuit*, deserendum.

deinde etiam deinceps posteris prodebatur) Imperitam Schefferi correctionem (*deinceps posteris tradebatur*, deletis *deinde etiam*) non satis valide Moserus reprehendit. Nam et *deinde* respondet praecedenti *primum;* et *deinceps* successionem a patre ad filium fieri indicat; et *prodere* in eadem hereditaria successione dici, Indices docebunt, tum Drakenborch. ad Livium V, 37, 6. XXVII, 23, 5. Moserus ad Div. I, 30, 64, ad quem locum Orellius in Additam. p. 218, bene huius loci auctoritatem usurpavit. — Unius alteriusque Cod. lectio, alium ordinem exhibentis, *posteris deinceps*, fortasse non spernenda est.

quod et in his etiam, qui nunc regnant, manet) Nec probari potest, quod contendit Goerenzius, *et — etiam* esse pro *vel adeo;* nec, si posset probari universe, in hunc locum caderet, in quo *etiam* manifesto est *adhuc*, ad hoc usque tempus, sicut Divin. I, 51, 117, *ea, quae nusquam etiam tunc sint.* Conf. diligenter hoc exponens Handius Tursell. II, p. 571. Tum, imperite *etiam* non raro repeti docet: nam et Orat. II, 11, 48, init. prius *etiam* est a

Schutzio, libris recte *et* servantibus, et Nat. D. II, 52, 130, in diversis sententiis, sicut h. l., recurrit *etiam*. Ne Moserus quidem acute primum concedit *et* — *etiam* dici pro *vel adeo*, tum hanc ponit conditionem, si *et* copulative dicitur: atqui sic evertitur totum illud inventum de *et* — *etiam*. Verum *et* quo minus pro *etiam* positum h. l. probemus, (cui rationi eximendus nunc est locus ad Div. XIII, 57, 2, init., ubi rectissime Orellius secundum Lambinum edidit, *id te* (pro *et*) *nunc etiam atque etiam rogo:* idque pertinet ad refutandum Handium, de quo verbo dixi supra ad II, 16, 41, init.) facit quod nihil praecedit, cui haec addi videantur ullo modo: universe quid deinde fieri coeperit dictum est, idque ex historia nunc confirmatur velut exemplo: eaque consideratione illa quoque interpretatio excluditur, si quis *et* exponendum censeret ut esset pro *vel:* quodque Handius demonstrat, Tursell. II. p. 512. n°. 9, de *et* post relativum, ita ut fiat *etiam*, neque per se defendi potest, neque, praesens exemplum excitans, satis secum ipse consentit, quum paulo post, p. 523 eundem locum apponit ut doceat *et* — *etiam* esse *praeterea quoque*. Quapropter nihil restat, nisi ut *et* eiiciatur, quae copula complures alios locos vitiavit. Nam eorum locorum numero, in quibus *et* pro *etiam* poni creditur, substrahamus unum alterumque. Philipp. XI, 4, 9, ex uno Cod. Ernestus ediderat *et quidem et a Karthaginiensibus Regulus:* merito alterum *et* repudiatur ab Orellio. Orat. 19, 62, nunc recte editur *exstitit et suavitate et gravitate princeps*, plerisque Codd. verba *et suavitate* cum sententiae morisque Tulliani interitu omittentibus. Offic. I, 40, 142, med. *nam et ordinem* —, dicitur in enumeratione synonymorum, quod melius perspexit Goerenzius, quam qui eum reprehendit Beierus. Sext. 18, 40, pro *sed eorum taciturnitas*, Graevius per errorem ediderat *sed et eorum*.

qui nunc regnant) Referendum ad reges. Nam ut

prior illa ratio recte dici poterat in re publica valuisse, ita successio hereditaria non item in re publica aut in populo, sed in ipso regno, i. e. in iis qui regnant, valet. Quid sit, quod dicitur Themistoclem fuisse *regnante iam Graecia*, Brut. 10, 41, fateor me non assequi: Ernesti certe interpretatio neque ipsa probari potest, et omnem tollit oppositionem.

quaeque de optima re publica sentiremus in sex libris ante diximus) Ex varietate lectionis meorum librorum conficio in nonnullis quoque *sentio* lectum fuisse, cui addita correctione *remus*, exstitit *sentioremus*. Et sane *quae sentio — diximus*, recte non dicebatur.

§ 5. *sine quorum prudentia ac diligentia*) Intelligimus *diligentiam* magistratuum in munere tuendo, sicut *diligens imperium*, ad Q. fr. I, 1, 8, 23: sed etiam passive intelligi potest, propter ea quae paulo post ponuntur, *ut eos* (magistratus) *colant diligantque*.

neque solum his praescribendus est imperandi — modus) Sumendum fuit *his* prae *iis*, quod multi retinent, propter oppositionem. Qui eiusdem sententiae loci sunt Platonis et Aristotelis, eos indicavit Geerius Diatr. in Polit. Platon. Praecept. p. 140.

videtur qui aliquando imperet dignus esse) Davisius legit *imperaret*, sicut est in Ambr. α, sed vitiata consecutione temporum: et ortum videtur in illo Cod. ex *imperare*, quod alii habent, quum fortasse in aliis *qui* omitteretur. Non spernendum quod Lagom. 10. 39. habent, *aliis* pro *aliquando*. Nimirum in genere loquitur, quid sit quod commendet aliquem in imperio, non de magistratuum vicissitudine: praeterea, statim post opportune demum ponitur hoc, *se aliquo tempore imperaturum*.

sperare se — imperaturum) Contra, imperandi munus ingratum esse sapienti demonstrat Plato Rep. VII. p. 520, E: in similique sententia, ut coniicio, versa-

tur Democritus Stobaei XLVI, 48, quem locum a Iacobsio tractatum Lect. Stobae. p. 18. sq., sed frustra, si quid video, aliorum divinandi acumini commendandum censeo. Ad seqq. pertinet hic locus ad Quint. fr. I, 1, 8, 23: *eaque* (officia) *si sic coluit ille* (Cyrus), *qui privatus futurus numquam fuit, quonam modo retinenda sunt iis, quibus imperium ita datum est, ut redderent et ab iis legibus datum est, ad quas revertendum est?* legendum videtur, *datum, ad quas revertendum sit.* — Mox, in verbis *ut eos colant,* unus Cod. apud Moserum, tum Lagom. 39. omittunt *eos;* forsasse non iniuria: millies talia pronomina inserta sunt a grammaticis.

qui, ut illi —, sic hi) Animadvertit structuram et usum pronom. *hic*, in iterando subiecto, Matthiaeus de Anacoluth. p. 17. Non tamen puto hac ratione defendi vulgatum posse in Rabir. Perduell. 3, 10, *quod utinam, Quirites, ego id aut primus — sustulissem:* nulla enim repetiti obiecti excusatio est, tollendumque videtur *id.* Sed quae ibidem subiiciuntur, *utinam quod ille crimen esse vult, proprium testimonium meae laudis esset,* sine dubio initio sic corrigenda, *Nam, quod ille —:* concludit ex praecedd., et refutationem subiicit, *sed ista laus est maiorum.*

CAPUT III.

§ 6. *modeste — parento*) Igitur, ut imperium est magistratuum, quos *iuste* imperare oportet, ista *modestia* commendatur in civibus qui parent. Salustius Iugurth. XLIV, 1, *exercitus sine imperio et modestia habitus,* quae minus accurate interpretatur Cortius. — Mox, *innoxium* servant optimi mei: sed necessaria videtur correctio *noxium.* — Quod autem novissimi Editores in *verberibusve* encliticam abiiciendam censent, difficile est probare:

nam, quod Goerenzius paulo post dici memorat *multae poenae*, explicandum *multae aut poenae*, quoniam alterutrum esse poterat, nec tertium fingi: nunc enumeratio diversorum generum est: tum proxime est *par maiorve potestas populusve*.

ni par maiorve potestas — prohib.) Conf. Viri docti ad Verr. I, 46, 119, et Duker. ad Livium XXVI, 3, 8. Tum Hotomanus, quid interesset inter *honorem*, et *potestatem*, et *procurationem*, docuit ad Verr. II, 48, 120.

quum magistratus iudicassit irrogassitve) Primum, vix ferendum verba illa, *iudicare*, *irrogare*, absolute usurpari; id quod Lambinus quoque sensit. Deinde non puto huius sermonis, quo lex scribitur, propriam esse coni. *quum*: solet certe aut *quando*, aut *si* ponere, semel tantum, infra § 9. (*imperia, potestates, legationes, quum senatus creverit — ex urbe exeunto*, sine ulla in libris varietate;) ceterum talia per relativa enunciari solent, ita ut isto quoque loco corrigendum videatur, *quas senatus cr. Quum* et *quorum* confusa videri, ostendi supra p. 335 et 348, confusa esse, supra ad II, 8, 20, p. 502. Nunc idem factum esse suspicor, legendumque esse *quae magistratus* —, aut *quorum*, aut, quod facillime corrumpi potuit, *quam* sc. multam, poenam.

multae poenae certatio esto) Hinc *certare multam* dicitur de reo: conf. Sigonius ad Livium XXV, 3, 13. Ceterum, *iudicare* ad poenam, *irrogare* ad multam refertur. De hac verbi *iudicare* significatione vid. Gronovius Obs. II, 11.

partiti iuris) I. e. potestatem partientes, (Gr. *διειληχότες τὴν δύναμιν*) ita ut eorum alii non aliorum munere (iure) fungi possint, neque etiam universae rei publicae, aut imperio praeesse: qua norma nunc distinguuntur a maioribus magistratibus. — *Plures in ploera*, i. e. alii alia tueantur. *Ploera* edidi ex optimis meis: *pluria* vix

defendi potest ex priori corruptione, *imperia*, ut E δ habent, aut *in prelia*, ut alii multi.

quibus iussi erunt, imperanto) Explicatio additur, quoniam horum tribunorum militarium non perpetua potestas erat. Tum, Manutii coniectura, *aerariique tribuni sunto*, hoc quoque nomine improbandá est, quod in his minoribus magistratibus non utitur propriis appellationibus magistratuum. Ceterum, ut in multis aliis, ita h. quoque loco, cum Manutiano invento conspirant Lagom. 124. 126. — Mox, pro *aurumve*, iure suspicatur Orellius legendum esse *aurum*.

lites contractas iudicanto) De his decemviris vid. Casaub. ad Spartiani Adrian. 2. init. — Tum, *quodcumque* mutandum puto in *quodque:* neque enim *quodvis* a Senatu istis magistratibus imponi posse iubet, sed singulis in suo munere, *quod* Senatus creverit, imponi.

§ 7. *suntoque aediles* —) Arctius haec iungi oportebat cum superioribus, quoniam complent enumerationem magistratuum minorum. De aedilium curulium et plebeiorum eodem ordine munerumque ratione, vid. Orellius Exc. V. ad Plancianam p. 256: conf. Verr. V, 14, 36. Et fieri potest ut h. quoque loco appellatio ipsa *aedilium* ab ipso Cicerone omissa fuerit, postea ab aliis interpolata. — Quod sequitur, *ollisque — is prius adscensus esto*, quum ad aediles referretur, molestum fuit Wyttenbachio, qui pro *is* commendabat *quaestura*, (quamquam perplexa sane compositio sententiae sic evadet, ut dicatur, *aedilibus quaesturam primum adscensum esse ad honoris amplioris gradum*.) Dicitur profecto quaestura *primus gradus honoris*, Verr. Act. I, 4, 11. Sed, quamquam *adscensus* non idem est quod *gradus*, neque hic, neque, ut Ernesto videbatur, Planc. 25, 60, tamen h. l. *primus* (nam sic necessario corrigendum contra optimos libros) *adscensus* ita dicitur, ut hinc demum ad ampliora progredi liceret. Sed tolletur difficultas. si maiori di-

stinctione posita post *sollemnium, ollisque* ad omnes illos magistratus minores refertur: sic enim optime illa enumeratio et designatio concludetur.

censores — pecuniasque censento) Copulam *que* melius abesse puto, sicut in sequentibus: simili vitio mox D habet *ordinesque*. Tum, quod optimi libri habent, *urbista templa*, suspicionem movet antiquitus scriptum fuisse *urbis tecta templa*, quae prope sollemniter iungi videmus, ut Philipp. I, 2, 5. XIV, 10, 27. — *Vias tueri* utrum aedilium an censorum fuerit, disputat Dukerus ad Livium X, 23, 12. Diligentius in censorum muneribus praescribendis versatur Cicero, quippe qui inde a Perperna nulli fuerant: conf. Inttpp. ad Verr. I, 50. init. — In seqq., nescio cur *describunto*, quod optimi quique servant, locum cedere debeat alteri, *distribuunto:* ipse Goerenzius ad verba *prolem describunto*, recte monet verbum *describere* proprie de censoribus poni.

caelibes — ne relinquunto) De his conf. Pighius Annal. ad A. U. 350. T. I. p. 209. Manut. ad Epp. ad Div. III, 13. fin. Inttpp. ad Livium XXIV, 18. XXIX, 37.

magistratum quinquennium habento) Rationem explicat infra Cap. 20, 47. Quod autem additur, *reliqui magistratus annui sunto*, non suo loco memorari suspicor; si quidem neque tales exceptiones in media oratione legis indicare solet, et aptius hoc praeceptum coniungeretur cum iis, quae § 8. fin. in genere de magistratibus dicuntur, aptissimeque ibidem subiicietur illud, de Dictatoris sex mensium imperio.

§ 8. *iuris disceptator*) *Disceptatoris* nomen antiquum erat: conf. Gronovius Lect. Plaut. p. 203. Inttpp. ad Livium XXXVIII, 35, 1. — Mox, *quotcumque* inutili correctioni deberi puto: satis erat *quot*.

consulendo — consules appellanto) Conf. Livium II, 56, 8. Varro L. L. p. 85. Quinctilianus I. O. I, 6, 32. Cortius ad Salust. Catil. XLVIII, 6. p. 284. *Appellantor*

necessaria correctio est. — In seqq., *nemini parento*, non nisi ad militiam referendum: neque utimur Wyttenbachii interpretatione: satis universe dictum erat ab initio, *regio imperio sunto.*

ni interfuerint decem anni) De hoc decem annorum intervallo, iis quae Davisius annotavit, et ante eum Turnebus, addantur Livius XXVII, 6, 4. sqq. Plutarchus Mario Cap. 12. init. De censore non iterum creando, Livius XXIII, 23, 2. Erat hoc antea in poenis legis Calpurniae, sicuti traditur in Schol. Bobiens. ad Orat. pro Sulla, Vol. V. 2. p. 361. fin. Orell. — De *annali lege*, in contrariis exemplis erat quoque T. Quintius Flaminius: conf. Plutarch. Flamin. Cap. 2.

§ 9. *ast quando*) Quod unus alterque habere videtur, *si quando*, ortum ex vitioso *a si* pro *ast*, ut in B. Tum, quod Lagom. 10. habet, *quoniam*, non nisi ex *quom* (*quum*) ortum esse potest, quam coniunctionem supra damnavi: eumdem errorem habet infra. — Paullo infra *tenunto* ex optimis edidi; sed necessario corrigitur *tenento*, ut Ambr. α.

equitatem cumque qui regat habeto) Satis manifestum est *equitatem* corruptum esse ex *equitem:* et suspicor *cumque* nihil aliud esse nisi *tumque*, correctionem terminationis, qua legeretur *equitatumque.* Ernestus igitur verum vidisse mihi videtur, qui edidit *equitemque qui regat habeto:* sed iterum corrigendum *quique* (pro *quicumque*) *erit iuris disceptator.*

ast quando consules magistratusve populi nec reliqui magistratus ne sunto) Sic editum ex optimis, nisi quod complures vitiose habent *consulis est* pro *consules*. Sed ex C recipiendum *magisterve*, abiectaque enclitica (*ne*, in aliis *ve*) *magistratus escunt.* Tractavit hunc locum Madvigius Emendatt. p. 83. sqq., qui eamdem commendat lectionem, nisi quod *nec escunt*; quem usum negationis post *nec reliqui* de industria defendit, exemplis

tamen, ut mihi videtur, haud idoneis, quaeque postea cumulavit, postremo ad Fin. I, 9, 30. p. 65: nam totum illud genus restringi puto ad illas causas, quum negationes subiiciuntur aut verbo, aut locutioni per se neganti (ut est *nemo*, *nego*, similiaque), non item si ei verbo subiiciuntur, cui praeponi debeat ipsa negandi particula, ut exsistat negatio. Itaque pronum est suspicari, non ex *nec* ortam esse encliticam post *magistratus* in Codd., sed hanc, ut multis aliis locis in hac lege, perperam additam esse, aut fortasse ortam ex vocali futuri obliterati, *escunt;* quae forma corrupta erat in *estunto*, initio huius §[i], in nonnullis Codd. Non probat tamen hanc loci constitutionem Orellius, quod Ciceroni in mentem venire non potuerit, fieri posse umquam ut omnes omnino magistratus uno tempore deficerent. Sed non de omnibus omnino cogitavit Cicero, verum de iis, quorum auspicia essent, quique creandorum consulum, i. e. comitiorum consularium habendorum ius haberent, itaque, praeter consules et dictatorem, de praetoribus: conf. Manutius. — *Patrum* nomine intelligit *senatum*, ut infra Cap. 4, 10. fin. Cap. 9, init. Cap. 18, init.: conf. Orellius ad Planc. 3, 8. — In fine edidi *possint*, ex optimis meis omnibus: tamen vera videri poterit coniectura Goerenzii *possit*, sicut habent Lagom. 124. 126.

imperia potestates — cum laude redeunto) Lex est de provinciis gerendis. Regebatur autem magistratuum provincialium continentia legibus: vid. Verr. IV, 5, 9. De imperio provinciali fuit lex Cornelia: ad Div. I, 9, 25. III, 6, 6. 10, 6. Livius XXXVII, 1, 7. sq. — Quid mihi de coni. *quum* (in verbis *quum senatus creverit*) videretur, dixi modo supra ad § 6.

populi sui gloriam augento) Quaeri potest cur *sui*, quum ceteroquin *populi* satis intelligeretur. Et quoniam haec in media illa continentiae commendatione ponuntur, credibile est isto modo gloriam populi au-

gendam esse significari. Potestne *populi sine vi gloriam augento?*

auxilii ergo decem creassit, tribuni eius sunto) *Tribunicium auxilium* opponitur consulari imperio, Liv. III, 30, 4. 34, 8. et Inttpp. ad II, 56, 12: conf. infra Cap. 7, 16, fin. Tum, satis ex hac descriptione apparet tribunos non appellari magistratus a Cicerone: de qua controversia agunt Inttpp. ad Livii locum postremo laudatum § 13. — Quod autem optimi libri servant, *et tribuni*, quum defendi nequeat, explicandum puto ex varietate terminationis quae indicaretur in *creassit;* et ipsum *creasset* habet Ven: ita variatur § 11, in *locassint* et *locassent.*

§ 10. *exque iis senatus esto*) Quod alii maluerunt, *ex quois*, ideo spernendum, quoniam in hoc legis sermone non ita relativis utitur Cicero: ita mox *eius decreta*, non *cuius.* — Mox, deteriorum auctoritate edidi *ast si;* nam optimi *si* omittunt, quod inde explicandum, quod pridem *a si* fuit pro *ast si*, (ut in B, supra § 9. init.) idque contractum rursus in *ast.* — Tum corrupta, *prohibet se*, necessario corrigenda in *prohibessit*: nam quod in recentioribus libris est, *senatus consulta* (i. e. *s. c.*) factum est ex *se:* assentiorque Manutio, Sctorum mentionem ab h. l. alienam esse. — *Servanto* vix se tueri poterit: corrigendum puto *servantor*, nisi f. *servato* sc. senatus. — In seqq., Creuzerus *specimen* confert cum Gr. ἄγαλμα· sed est potius pro *exemplo* et *auctoritate*, quam ceteri intueantur et imitentur: conf. Cap. 13, 30.

iudicia populi iussa vetita) Perperam in uno alteroque est *et iudicia.* Sed non recte vulgo ita distinguunt, *iussa, vetita:* nam ex formula ita leges appellantur: conf. II, 4, 9. Flacc. 7, 15, ubi malim sine copula *iuberi vetari voluerunt.* Conf. Add. ad Fragmm. Oratt. Beier. p. 248.

quum suffragio eo sciscentur) Ex *eo sciscentur*, aut *cum scisc.*, ut alii habent, dudum factum est *consciscentur:* sed verbum compositum prorsus exemplo in hoc sermone caret. Ut omittam aliorum opiniones, iterum *quum* (*cum*) eliminandum est, legendumque *quae suffragiis sciscentur, haec optimatibus* —. Laudanda sane transponendi ratio, qua Steph. et Manut. usi sunt, *quum sciscentur, suffragia optim.* — *;* sed meam rationem praestare puto.

CAPUT IV.

ast si quid) Suscepi *si* ex Codd. apud Moserum: nam mei quoque optimi *aut quid.* Vid. supra ad § 10. init.

coherari oesus sit) Manifesto corrigendum *coerari*, quod vidit Davisius, et vindicavit a Moseri dubitatione Madvigius Emendatt. p. 86. sq. — Mox, quod pro *eique*, optimi habent *ei qui*, Lagom. 10. *equicunque*, indicio est quam facile talia corrumperentur.

cum populo patribusque agendi) Conf. Inttpp. ad Livium VIII, 33, 10. More praeterea videtur obtinuisse ut aediles quoque cum populo agerent: vid. Verr. Act. I. 12, 36. V, 67, 173. Pontifici utrum idem ius fuerit concessum, dubitat Dukerus ad Liv. III, 54, 5.

quem patres produnt) Non recte mihi videtur Moserus requirere *prodent.* Nam in iis, quae ordine et perpetuo fiebant, loquitur sane eo modo, ut mox de plebe, *tribunisque, quos sibi plebes rogassit:* tum, *quae cum populo agentur:* et § 11, *qui agent auspicia servanto.* Sed haec omnia versabantur in iis, quae necessario fieri oportebat: interregem prodi fieri poterat ut omnino numquam necesse esset: magis igitur haec descriptio est magistratus (*quem patres produnt*), quam facti indicium aut praeceptum. De tribunis pl. vid. Manut. ad Epp. ad Div. VIII, 8, 5.

quos sibi plebes rogassit) *Rogare* esse pro *creare*, annotaverat Moserus ad superiora, (*consulum rogandorum ergo*), excitato loco Divin. I, 17, 33. Non tamen puto eius loci auctoritatem pertinere ad probandam locutionem in hac tribunorum mentione: nam *consules rogare*, et *comitiorum rogator*, dicebantur de Graccho, qui haberet illa comitia, et sic modo supra dictum est: itaque servatur propria verbi *rogare* potestas in talibus: verum plebs non *rogat*, sed *creat* tribunos, ut § 9. fin. Non dubito quin corrigendum sit *creassit*.

§ 11. *loco senator et modo orato*) Bene repudiata est mira Manutii coniectura in his transponendis: neque enim aut *causa* ulla fingi, aut *culpa* esse potest haec praecepta transgrediendi.

ast quid turbassitur) Secundum ea quae supra disputavi, h. l. rursus recipienda correctio *ast si quid* —. — Mox edidi, *fraus auctoris esto*, secundum libros meos tantum non omnes: et tamen manifestum est unice verum esse *actoris*, coll. infra Cap. 19, 42. *Fraudem* minus recte Davisius interpretatur poenam: est enim culpa, delictum poena coërcendum; ut Coel. 24, 59, init.

auguri publico parento) *Publico* servandum, quum supra quoque II, 8, 20. fin. *publici augures* appellentur.

promulgata — cognita agunto) Offensioni sunt viris doctis verba *in aerario*. Manutius corrigit *in foro:* Goerenzius, *in aere:* sed si *in aes incidi* dicebantur leges, non idcirco probari poterit aut *proposita in aere*, aut *in aere cognita:* tum, quae in aes incisa erant, ea iam populi iussa habebantur, neque quisquam *agere* poterat: conf. Philipp. I, 7, 16. 10, 26: igitur de Clodii inaudita superbia, *incidebantur iam domi leges*, Milon. 32, 87. Orellius commendabat *in albo:* equidem, quum minime constans sit lectio, in uno Cod. etiam *in* praepos. omittatur, legi posse puto *tempore cognita*, quoniam *promulgatio* et *trinundinum* coniuncte commemorari solent,

ut Philipp. V, 3, 8: *tempore* autem sic dici docet Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 4.

de singulis rebus semel) *Semel* per se in vitio est, ideo correctum a Grutero *simul*, sicut habet Ambr. γ. Sed quum Paris. Davisii, tum Lagom. 124. 126. totum vocabulum omittant, eiiciendum esse arbitror, quoniam non utitur tali abundantia hic legis sermo, neque eamdem agnoscit interpretatio, infra Cap. 19, 43. fin. — Mox, *ducento* vetus vitium, in aliis correctum *docento*, iure. Extrema, *doceri — patiunto*, mihi quidem vehementer sapiunt interpretationem praecedentis *docento*. — In seqq., *migrare* illustravit Davisius, sed etiam Gronovius Lect. Plaut. p. 346. — Tum, de *noxia* consulendus Ruhnk. ad Vell. Pat. p. 49. a. Livius XXVIII, 31, 6.

fidem legem custodiunto) Corrigendum *fidem legum*. In idem incidit Madvigius Programm. p. 26, cuius rationibus nihil habeo quod addam. — Mox, *privati* appellantur qui modo magistratu abierunt. Sed etiam regibus opponuntur privati, ut Divin. I, 40, 89, quod non diligenter expositum in Clav. Cic.

discedere, et tabellam iubebo dari) *Discedendi* verbum sollemne esse in hac re, satis intelligitur ex Asconio in Cornelianam p. 70. Orell., ubi verissime *dicere* corrigit Sigonius in *discedere*. Ipsum hunc Infinitivum cur mutari necesse sit, nihil video, quippe suspensum a *iubebo*, in eoque aliud subiectum cogitandum est quam in *tabellam dari*. Consentit Madvigius l. c. p. 27.

CAPUT V.

§ 12. *sed ea paene nostrae civitatis, etsi a te paullum allatum est novi*) Non aptissime haec sibi invicem respondent, meliusque probaretur *etsi*, si non per exceptionem (*paene*), sed plane affirmasset eam descriptionem esse *nostrae civitatis*. Corrigam, — *civitatis est*, (vix

enim verbum abesse potest,) *a te paull. a. est n.* — Mox, *in libris illis* quum duo Ambr. habeant, nihil impedit quo minus recipiatur: nam *in libris laudare* dicitur quidem recte per se, sed de scriptore, non de eo cui disputatio, ut in dialogo, tribuitur.

iisque qui praesint, contineri rem publicam) *Praesint* neque propter Accus. cum Infinit. rectum est, neque tamen circumlocutio est; sed in hoc enunciato, *iis qui praesint* continet tamquam conditionem, cui quo modo satisfiat, talem esse rem publicam dicitur. In recta igitur oratione sic quoque scribendum esset, *iis qui praesint continetur res publica.*

et ex eorum compositione — intelligi) Recte puto in quatuor deterioribus libris abesse praepos. *ex:* nam ablativus per se hoc ipsum indicat, ut *propter* intelligendum sit: de quo genere notavi supra p. 415. Sic Fin. II, 14, 45, *quod quale sit — intelligi potest — optimi cuiusque studiis atque factis.*

nihil habui sane non multum) Ex meis deteriores tantum *non modo multum.* Tritum sane est *non* omitti in *non modo;* sed, ut puto, ita tantum, si ex altero sententiae membro negatio intelligi potest, sive hoc praecedat, sive sequatur. Multo igitur melius est sic distinguere, *nihil habui, sane non multum*, in quibus *sane non* mitigantis est: et sic Olivetus et Davisius.

§ 13. *reddes — ut disputes*) *Reddere* per se est explicare, persequi: hinc *reddes ut disputes* nihil est nisi macrologia. — Mox, quod ex uno libro memorat Moserus, *ipsa ista descriptio*, *διττογραφία* est: conf. Var. Lect.

ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est) Contra morem, opinor, post *loci* mentionem, participia neutr. generis subiicit, pro *quaesitus et disputatus.* Omittitur in E.

quod faciendum fuit) Mei quoque optimi haec retinent, in Ambr. *β.* tamen et Lagom. 10. omissa. Et sane multo

melius absunt, quum excusationem quamdam continere videantur, quae minime huius loci est. Igitur his sublatis exsistit vere Ciceronianum hoc, *in illis libris, quum*, i. e. in quibus.

§ 14. *a Dione Stoico*) Ex certissima correctione Turnebi legendum *Diogene*. Antipatrum Tyrium quoque, Panaetii doctorem, politica tractasse, conficias ex Plutarch. Caton. Min. p. 761. med.

CAPUT VI.

veteres verbo tenus) Qui *veteres* intelligantur, notavi supra ad I, 13, 36. p. 379. Universe *veterum πολιτείας* commemorat ad Div. IX, 2, 5, cuius loci haec verba apponenda sunt: *si nemo utetur opera, tamen et scribere et legere πολιτείας· et si minus in curia atque in foro, at in literis et libris, ut doctissimi veteres fecerunt, navare rem publicam et de moribus ac legibus quaerere.* Sed *verbo tenus* non puto respondere formulae ὡς ἐν λόγοις, quae de philosophorum disputationibus ponitur apud Plutarchum Stoic. Repugn. p. 1033. B, quippe quae istic opponitur ipsorum vitae (ἐν τοῖς βίοις). Potius *verbo tenus* est, tantum, quantum dialecticae subtilitati satisfaciat; sicut κατὰ λογισμόν, cui opponitur τύχης ἕνεκα, apud Demosthenem Leptin. p. 490. med.

ab hac familia — Platone principe) Non indicatur pronomine Academia, ut putat Moserus, cuius ipse sit sectator: sed *ab hac*, i. e. quae nunc indicabitur, positis nominibus Platonis, Aristotelis, aliorum, ut tum Academici, tum Peripatitici sint intelligendi. *Hic* ita ad seqq. refertur: supra II, 24. init. *haec praeterea sunt in legibus:* ad Div. I, 1, init. *in causa haec sunt. Platone principe*, i. e. cuius princeps fuit Plato. Eadem ratione Fin. IV, 22, 61, *Platonis illi, et deinceps qui eorum auditores fuerunt*, quibus item huius loci de rebus pu-

blicis diligentius tractati laus tribuitur. — Statim post, *civilem in disputando locum* prorsus non intellexit Moserus, sed explicui supra ad I, 5, 16. p. 316: ita Nat. D. I, 5, 10, init. *auctoritas in disputando*, i. e. in philosophia: Republ. I, 10, 16, *omnis ista disputatio*, i. e. locus philosophiae de natura: Divin. I, 49, 110, *physica disputandi subtilitas*.

Heraclidesque Ponticus, profectus ab eodem Platone) De Heraclidis quae dicuntur vulgo fragmentis πολιτειῶν, reliquis multo saniora explicuit Welckerus Mus. Rhen. A. V. Fasc. 1. Sed perperam Davisius corrigit *profecti*, ut participium tam ad Aristotelem quam ad Heraclidem referatur. Scilicet non fuerat Heraclides illius familiae, neque in schola successor, sed tamen, quod de industria significatur, *profectus a Platone*.

Theophrastus vero institutus ab Aristotele) Non puto in scholae successione significanda quemquam *institutum* ab eo, cui succedat, dici a Cicerone, ne *doctum* quidem: facileque utrumque participium interpolatum esse potest ab eo, qui ignarus esset eius rationis, quam servat Cicero tum aliis locis, tum Orat. II, 14, 58, init. *ab Aristotele Callisthenes* (quamquam ibi ex praecedd. *profectus* intelligi potest), et III, 17, 62, init. *ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates*, cet.: itaque statim post, *a Theophrasto Phalereus Demetrius*, quod exemplum bene excitatum a Wesenbergio apud Madvig. ad Fin. V, 7, 19. fin.: eiusdemque rationis est ibid. 5, 13, *Theophrasti Strato —. Huius Lyco*, cet., quae recte per se dicuntur, etiamsi non antecessisset *horum posteri*: contra sentit Madvigius.

in solem atque in pulverem) Minus recte in nonnullis *in* omittitur altero loco; si quidem *sol* et *pulvis* non sunt cognatae significationis. Et vel sic saepe iteratur praepositio: ad Div. XV, 4, 16, *nos philosophiam in forum atque in rem publicam atque in ipsam aciem paene de-*

duximus: conf. Ruhnkenius ad Aquil. Rom. p. 165, et quae supra attigi p. 290. Nam Goerenzius non videtur attendisse, quae per *que* iungantur multo interius iungi, itaque recte non iterari praepositionem, ut *ex umbraculis otioque*, et *in discrimen aciemque.* — *Umbracula*, quaeque cum ea voce cognata sunt, iam Plauti aetate in iis usurpata, qui contemnerentur, docet Gronovius Lect. Plaut. p. 93. — *Producere* (vitiose alii habent *perduxit*) quid sit, Ruhnkenius explicat ad Vell. Pat. p. 413. b.

qui vero utraque re excelleret) Ambr. *α* omittit *re:* unde coniicias lectum quoque fuisse *utroque excelleret*, sicut Offic. I, 1, 3. fin. *quantum in utroque profecerimus*, in quo durum est remotius *genus* intelligere.

CAPUT VII.

§ 15. *puto posse*) Ad Div. XIII, 16, 4, *posse arbitror:* neque tamen eo exemplo defenditur id, quod ex Cassel. enotavit Goerenzius, *posse puto:* siquidem istic ordinem illum oppositio commendat, hic non item: conf. Cortius ad illum locum.

quaesitum igitur ab illis est) Goerenzius omisit *est*, quod fieri solere, et recte fieri putat: multo melius Madvigius ad Fin. I, 13, 43, docet quibus finibus ille mos in participiis futuri passivi circumscribatur. Ordinem quod attinet, deserui eum, quem deteriores libri servant, itemque Moserus et Orellius, *quaesitum est igitur.* Non pertinent huc exempla, quale est Offic. I, 35, 129. fin., aliaque a Beiero indicata; quoniam pleraque in asseveratione, aut in praecipiendo versantur, in quibus verbum substantivum proxime subiectum participio huius actionem pcaecipue insignit, id quod in alio genere sententiae non item valet, adeo ut de more etiam *est* in fine ponatur: conf. Madvigius ad Fin. p. 772. init. Sic igitur I, 5, 17, *nobis ita complectenda in hac disputatione*

tota causa est universi iuris. Contra, in asseveratione, ibid. 6, 20, *tenendus est nobis — status.* In fine positi verbi subst. exemplum est hoc ipso Cap. 7, extr. *conversa lex in omnes est:* conf. supra p. 450. med. — Mox, *placeretne* necessaria correctio, quum optimi mei quoque habent *placeret.* — Tum notanda est lectio Lagom. 10. et Ed. Rom. *cui reliqui pareant*, quo modo recte per se dicitur, compositum quippe ad tempus Infinitivi *esse;* sed accommodatur verbum in pendente sententia ei verbo, unde suspensa est. — *Unum in civitate esse magistratum*, non de regno, sed de libera civitate dicitur, cuius proprii sunt *magistratus:* conf. Vell. Pat. I, 8, 3. Igitur imperite Moserus confert Rep. I, 26, 42.

§ 16. *ephori — a Theopompo oppositi regibus*) Conf. Plato Legg. III, p. 691. fin. sq. IV. p. 712 D. Lycurgo tribuit Plato Epist. VIII. p. 354. A: cum Ciceronis iudicio convenit Archytas Stobaei XLIII, 134.

consulibus tribuni) Ambr. γ. addit *sunt*, quod requiri puto, ne *oppositi* adiectivum fiat.

quod in iure positum est) I. e. in nostra lege, supra Cap. 3, 8. — In seqq., *quod attulit auxilium reliquis*, durum quodammodo est intelligere subiectum, *tribunus:* praeterea, similia ut dicantur fieri potest, sed *auxilium afferre*, pro *ferre*, nusquam praeter hunc locum reperi. Si tamen *afferre auxilium cui* alio modo interpretandum est quam *ferre auxilium*, pronomen abesse non poterit, legendumque fortasse *attulit hic auxilium.*

§ 17. *ista potestate nata*) Miror fuisse qui consularem potestatem intelligendam putarent; itaque interpolatum in Ambr. γ. *potestate consulari damnata.* Veram lectionem recte tuetur Moserus; et de tribunicia potestate, iterum *nata* dicitur paullo post, Cap. 8, 19.

convaluitque ius multitudinis) Commendat Moserus *vis multitudinis* (ut habent A B) »quod *vis* maiore cum »probabilitate *malum* dicatur, quam *ius.*" Sed *vis mul-*

titudinis in ipso facto consistit violento: conf. Cap. 10, 23 et 11, 26: et ne *convalescere* quidem *vim* recte aut cogitari aut dici potest. Contra, *ius multitudinis* ex Quinti persona oxymorum quoddam est, quum proprie nullum *ius* sit multitudinis, sed magistratuum. — Mox, *non est, Quinte, ita* ex optimis nostris (et Copp. Vict. b.) edidi; deteriores, *ita, Quinte:* conf. supra I, 6, init.

non ius enim illud solum superbius —) *Ius illud* est consulare, quod nunc opponitur *multitudini:* *temperatio* cernitur in tribunicia potestate.

conversa lex in omnes est) Constans fere haec est librorum lectio, sententia tamen impedita. Quid enim hic *legis* mentio? et *conversam in omnes esse*, xii tabularum potius lationi tribuendum. Quid dicere necesse sit satis manifestum est; nempe, quum consularis superbia temperata esset institutis tribunis plebis, tum demum vim omnem restinctam esse; quo modo loquitur fere infra Cap. 10, 24. Quapropter suspicor in corrupto loco et initio *tum* ex *con* restituendum esse, et in fine latere *seditionis est:* reliqua non expedio.

CAPUT VIII.

§ 18. *cum laude redeunto*) Verum *redeunto*, quod pauci Codd., veluti C, servant, mature corruptum fuit in *pede uno*, ut A, B, E: *repedandum* correctio est, quamvis docta, in recentioribus libris. — *Laus* in primis in recte administrata re publica dicitur, sicut apud Livium VI, 6, 18: *innocentia* in hoc genere pro *abstinentia* ponitur, conf. Verr. II, 10. fin. sq. Cort. ad Salust. Iugurth. XLVI, 1. Comprobavit praeceptum suo exemplo Cicero: ad Div. II, 17, 4: et appellat hoc *incolumi fama redire*, ad Div. XIII, 73, 1: conf. Offic. II, 22, 76. sq. Republ. I, 14, de Marcello.

illud apertum est profecto) Non ignoro quidem verbum

est in huiusmodi affirmatione, quae initio ponatur, (sicut in interrogando, *quid turpius?* simil.) recte quoque omitti: sed in meorum librorum consensu, qui tuentur, Goerenzium sequi nolui, qui propter duo deteriores libros omisit. Sed certe per errorem irrepsit in haec, *quam est quemquam legari*, ubi vel sine deteriorum librorum auctoritate delendum erat. Perperam rursus Goerenzius, ut Moserus et Orellius, recepit *quempiam:* continet enim reprehensionem universae rei, in qua *quisquam* requiritur, ut bene vidit Madvigius Programm. laud. p. 11, et ad Fin. III, 21, 70. p. 471.

reportandum) Idem dicitur *deportare*, ut ad Div. VII, 15. fin. Conf. Verr. I, 20, 54. Gronov. ad Verr. II, 46, 112. Duker. ad Liv. XXXVIII, 50, 3. Tacitus Ann. II, 26. IV, 26. Florus III, 7, 6 et Duker. ad III, 11, 11: *referre* pariter dici firmavit Drakenb. ad Liv. IV, 10, 3, et ad V, 20, 8.

legari nisi rei publicae causa) Qui praeter veros legatos *rei publicae causa* legari dicerentur, docet Ern. ad Verr. I, 19, 50, et in Indice Legum. V. *Iulia de Legationibus liberis:* cuius suspicio, fuisse hoc caput legis de provinciis, haud parum commendatur praesentis praeceptionis nexu. Ab illa lege Iulia de provinciis, quae ad primum Caesaris consulatum refertur, diversa alia est, cuius mentio fit Philipp. III, 15, 38. V, 3, 7. Sed locos Ciceronis de illo legationum genere, indicavit Manutius ad Epp. ad Div. XI, 1. et ad Q. frat. II, 9: minus recte Hotomanus refert ad hoc genus Verr. II, 44, 109, ut bene animadvertit Ernestus: neque magis libera legatio intelligenda Verr. III, 96, 223, (in cuius loci principio verba *in defendendo* non ferenda esse existimo.)

omitto quemadmodum —) *Omitto* ponitur, quum omnino id, quod subiicitur, ne memoratum quidem est in anteced.: quare Divin. I, 20, 39, *mittamus oracula*, non *omittamus* legendum est: et poterant hoc ipsa, quae

affert, exempla Moserum docere. — Tum, in *isti se gerant*, prorsus otiosum esse puto pronom. demonstrativum, quum universe et in genere loquatur, essetque vitium illud non paucorum quorumdam, quos designaret, sed longe-plurimorum. Corrigo, *istic*, sicut est in Or. in Tog. Cand. p. 523. Or., *ut te illic gesseris.* Similiter *illic* ex Cod. Leid., pro vulg. *illi*, in Orat. pro Coel. 27, 64, acute restituit Ravius Var. Lect. II. p. 104.

legatione — persequuntur) Exemplum est in Cn. Pisone apud Asconium Or. in Tog. Cand. p. 94. Orell. Tractavit corruptum locum ingeniose, ut solet, Ravius meus Var. Lect. I. p. 146. sq, coniecitque, — *missus a senatu per honorem legationis, ut a suis sociis* (pro corruptis, *ut avus suus*) *ablegaretur:* mihi in corruptis illis latere posse videbatur *ut syngraphae suas:* sed plura in mentem veniunt quae dissuadeant, quam quae commendent hanc suspicionem. — Vitium ipsum istarum legationum tangit Leg. Agrar. I, 3, 8. II, 17, 45: sed pro Flacco 34, 86, causae quippe inserviens, *non reprehendit.* De syngraphis, Verr. I, 29, 73. fin. et Pseudo-Ascon. in Verr. I, 36, 91.

in hominibus est hoc fortasse vitium) Bene, contra Goerenzium et Moserum, veram interpretationem tuetur Madvig. Emendat. p 87. sq., quam agnoverat iam Turnebus ad v. *reapse: in hominibus* et *reapse* inter se opponuntur: sic Offic. II, 22, 76, *laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum:* conf. ibid. III, 31, 111: Verr. I, 21, 56: Senect. 16, 55. *Fortasse* concedentis est obiectioni ac defensioni. — Statim post perperam in omnibus libris legitur *quid — turpius, quam — senator legatus*, quo modo nusquam, opinor, Cicero locutus est: corrigendum videtur, *senatorem legari.* — Tum e deterioribus libris correctio suscipienda, *procuratione.*

ego consul — sustulissem) De hac Tullia lege nihil usquam, praeterquam hoc loco, memoratur: sed ex hac

mentione conficiendum puto eadem lege Iulia, quatuor annis post, fuisse confirmata: conf. ad Att. XV, 11, 4. De circumscripto per Augustum aliosque Principes Senatorum commeatu, vid. Lipsius ad Tacit. Ann. XII, 23.

quamquam ad commodum — videbatur) Quod Ern. legendum putabat, id habent mei C et Lagom. 10, estque ita verissimum, ut alterum, *videantur*, soloecum etiam sit. Attigit normam de Coniunctivo an Indicativo post *quamquam*, non explicuit Madvigius ad Fin. III, 21, 70, de hoc loco tamen, quem in manibus habemus, pariter ut Wesenbergius, sine dubitatione secundum Ernestum pronuncians, ibid. ad IV, 10, 26. init. Mirum quid excogitabat Goerenzius, quum diceret, »sermonem esse »de eo, quod omnino in senatoris commodis numeraba»tur, non de commodo, quod tum, quum Cicero id »tollere nitebatur, tale videretur:" si enim senatus restitisset, fecisset sane ex ea opinione, quam tunc habuisset: sed, quamquam sic *videbatur*, tamen *approbavit* senatus Ciceronis rationem. Ceterum, quam nihil intelligat Goerenzius in exemplis quae excitat eius structurae quam defendit, mox videbimus. Multo melius Rathius, quantum ex Moseri annotatione intelligo, agnovit, propter temporum consecutionem requiri *videbatur*. Nimirum, tam propter *sustulissem*, quam si *sustuli* scripsisset, Indicativi Imperf. postulabatur: et habet hoc peculiare praesens locus, quod primariae sententiae verbum, propter ea quae adnectenda videbantur (*nisi* —), in participium abiit; si quidem simplex haec primum cogitabatur sententia, *quamquam — videbatur, tamen approbavit* (aut *approbabat*) senatus *quod tollebam*. Normam quod attinet, satis puto nunc viris doctis apertum esse non absolute aut Indicativum, aut Coniunctivum componi cum *quamquam*, sed Coniunctivum vel propter suspensam orationem esse, vel, propter sententiam conditionalem aut potentialem: idque non latuit Orellium ad Plancianam Cap. 2.

p. 14. Edit. Garaton. Orell. De exemplis ut videamus, duobus locis Plancianae (2, 4 et 3, 8) Indicativum rectissime restituit auctoritate librorum Orellius. Tusc. V, 30, 85. fin. *quamquam — sint* in sententia potentiali est, conceditur que »fieri posse." Orat. III, 7, 27, *quamquam — tribuatur*, dicitur in oratione suspensa. Haec Goerenzii sunt: sequitur Ellendtii disputatio ad Brut. 30, 115, cuius explorandae veniam mihi concedi spero. Nam Fin. III, 11, 36, mendosam lectionem, *quamquam*, sustulit Madvigius. Offic. I, 2, 6, rectissime Orellius *sunt* edidit, neque curavit miram Heusingeri in quaestione syntactica commendationem, »*quamquam* blande »recipere Coniunctivum." Ad Div. I, 2, 2, Coniunctivus est propter orationem suspensam. Tum duplex ponit esse genus locorum in quibus iuste Coniunctivus subiiciatur Coni. *quamquam:* primum quum eleganter concedatur, aut modeste contradicatur: sed, quae exempla excitantur a Wyttenbachio Bibl. Crit. III. p. 25, omnia rectissime Indicativum habent, ut, quo consilio eo remittamur, plane non intelligatur. Subiicit Ellendtius, »ea potestate (eleganter concedendi) prout affirmantes »opinantesve loquimur, modi commode variant." Sed non recte apponitur ex Orat. III, 26, 101, *quamquam ipsa illa exclamatio — sit, velim, crebra:* in quo exemplo nullum verbum cum *quamquam* componitur, et *sit* a *velim* pendet. Ibid. 7, 27, (*quamquam — tribuatur*) Coniunctivus non est ex potentiali significatione explicandus, ut modo dixi: in directa oratione Indicativus requirebatur. Ad Div. XII, 1, 1, (*quamquam — explicemus*) nulla prorsus necessitudo verbum inter et Coni. *quamquam* est: in quo mire labitur vir praestantissimus. Fin. II, 22, 72, recte restituit Indicativum Madvigius: neque enim incerta ea lectio est, sed Coniunctivus perridicule hoc indicaret, quasi vellet Cicero corrumpere Torquatum. Orat. I, 6, 21, vacillat

quidem, ut ait, lectio; sed in necessaria affirmatione nemo dubitabit Indicativum praeferre; nec Quinctiliani Codicibus, qui suae negligentiae culpam sustinere debet, quidquam in ea re tribuendum est. Alterum exemplorum ordinem ponit in iis locis, in quibus suspensa oratio commendat Coniunctivum. Sed, quum reliqua iudicio apponit, perperam iudicat de Orat. 55, 183: non sine causa enim Orellius suspicatur corrigendum esse sic, *quamquam — soluta esse videtur oratio:* nihil enim *conceditur* in his, quoniam nihil cogitari potest quod obiiciatur: nec »posse videri" eam solutam esse orationem dicit, sed »videri." De Fin. III, 15, 48, et Offic. I, 2, 6. init. hodie puto nullam controversiam esse, quin in aperta affirmatione Indicativus requiratur: (in postremo loco non quaeritur de *disputata sunt*, ut Ell. putabat, sed de *quamquam ita sunt.*) Apparet ex his minus difficile esse certam normam invenire, quam singulis in locis qua norma regendi sint videre. Quid ipse sentiat Ellendtius de his locis, Legg. III, 8, 18, Fin. III, 21, 70. Tusc. V, 30, 85. fin. (quo tamen loco Coniunctivum servandum dixi in significatione potentiali,) ex ipsius verbis non perspicuum mihi est. Sed manifesto errat in ad Div. XIII, 68, 1, ubi *quamquam — audiam* futur. Indicativi est. Muraen. 9, 20, quo modo quis Coniunctivum defendat, quum vere praesens adesset Lucullus, prorsus non intelligo. Attigit eamdem doctrinam Soldanus ad Ligar. 8, 24: quo tamen loco corrigendum mihi videtur *quamquam, quid facturi fueritis, num dubitem?* (pro *non d.*), sicut infra quoque, 10, 29, in Codd. permutantur *non* et *num.*

levis tribunus plebis) *Levissimus* exiguam habet de meis auctoritatem: nec puto superlativum requiri, quum satis esset tribuni levitatem universe notare, qui id impediret, quo commodum senatus minuebatur: eademque de causa probare non possum Moseri suspicionem, in

scriptionis diversitate (quae tamen in bonis libris fere nulla est) latere nomen tribuni pl., fortasse Labieni. Quis fuerit, opinari licet, demonstrare difficile est.

§ 19. *si parebunt his legibus*) In optimis iam corruptum in *parebant*, unde vitiosissimum *pareant* fluxit. *His legibus*, i. e. quas nunc fero, recte servavit Moserus; tum *iis urbe*, in quo pronomen sine ulla insigniore indicatione ponitur. De provinciae molestiis, Flacc. 35. 87. Planc. 27, 66. ad Div. II, 12, 2.

sed sequitur lex —) Otiosissimum *sed* est, sicut supra II, 16, 41. Nullus scilicet hic Coniunctioni locus est, qualis est infra Cap. 12, 27, (*deinceps igitur*), ibid. 28, bis (*sequitur enim*, et *nam proximum est*) Cap. 14, fin. (*proximum autem est*). Igitur non errore fortasse factum, quod *sed* in Lagom. 10. omittitur.

quae est in re publica nostra) *Est*, quod in plerisque libris abest, quodque viri docti ex correctione addere solent, (nonnulli post *nostra*), sumsi ex Ambr. β. γ. Nam et Burn. δ. omittit, et Ed. Rom. et Ven., et Lagomars. omnes.

de qua disseri) Quod Goerenzius ex pessimae notae libris memorat *quae disseri*, manifesto vitiosum: nam ubicumque ita neutrum plurale subiicitur singularis rei mentioni, cogitari potest de singulis, aut de partibus, quae genere memorato contineantur. Sed exemplis eximendus est locus Divin. I, 16, 29, ubi rectius ex Codd. *quae — fuisset* legitur; opponitur enim *falsa* obnunciatio *verae*. In Orat. II, 2, 6, *haec summa* minime ad abstractam *eloquentiae* laudem refertur, sed ad singula in principibus viris illius virtutis exempla. Tusc. I, 3, 6, *e quibus etiam illa manabant*, non dicitur de oratoria ipsa laude, sed de monumentis eius laudis quae sua industria condiderat. Contra, in hoc loco, una cogitatur tribunicia potestas, quae definitur adeo pronomine *ea* addito. Ipsum quidem *disserere quid* recte dici, nemo

dubitat: conf. VV. DD. ad Liv. XLI, 6, 4: et fortasse ea forma restituta corrigi poterit Divin. I, 52, 119, sic, *qua ille* (*Caesar*) *novitate perculsus, cum Spurinna disseruit timendum esse ne* cet., pro *quum Sp. diceret*, quibus servatis nulla iusta sententiae structura reperiri potest.

cuius primum ortum — procreatum videmus) Non temere quidem offendit in his primum Manutius, qui *procreatam*, nempe potestatem, tum Davisius qui *tribunatum inter arma civium* —, legere volebat: verum tamen anticipatio potius videtur esse eius similitudinis, quam mox persequitur, eoque participium referri. — *Videmus* non bene interpretatur Stuerenbergius ad Arch. p. 137: est enim proprium in historiae mentione, non *vidimus*, quod tamen optimi libri servant. — Modo ante, *seditionis* nomen sollemne fere est in reprehensione tribuniciae potestatis, ut bene suspicatur Cortius ad Salust. Iug. LXXIII, 5: conf. Salust. Hist. I. p. 950. Cort.: tum Cicero Sext. 46, 99. 66, 139. Livius III, 68, 11. Florus III, 13, init., ubi bene corrigit Freinshemius. — Mox, quum *legatus* omnium, quod sciam, librorum lectio sit, necessario sic edendum fuit: nec quidquam vidi in Virorum Doctorum coniecturis, quod mihi quidem satisfaceret: ne Gronovianum quidem, *enectus*, proditum in Lect. Plaut. p. 228, ubi *insignis* in vitio corporis poni docet. — Tum, *creatus* eorum Codd. est, qui *nescio quo pacto* omittunt, itaque facile in syllaba *re*, quae iteranda erat, vitium contraxerunt.

multoque tetrior) Similia Plato de tyranno procreato, Rep. VIII. p. 569, B: *γνώσεταί γε, νὴ Δία, — τότ' ἤδη ὁ δῆμος οἷος οἷον θρέμμα γεννῶν ἠσπάζετό τε καὶ ηὖξε.*

CAPUT IX.

quae enim ille non edidit) Recipiendum fuit *quae*, si quidem *quem*, quod longe plurimi servant libri, ex male

posita lineola (*quē*) ortum est: et *scelus edere* est pro Sext. 27. init. Ceterum, loquendi formam, ut interrogatio assumat negandi particulam, bene exponit Madvigius ad Fin. V, 22, 61. p. 723; qui tamen hunc locum dubitatione non carere dicit. Non tamen dubitandum puto quin hoc voluerit Quintus, omnia genera scelerum edita esse a tribunatu: in primisque negatio requiritur, quod nullum substantivum ponitur in interrogatione. Ideo in admirationis exclamatione et ipsius rei, quae admirationem movet, nomen ponitur, et negatio omittitur: ut infra § 22, *quas strages edidit!* et ne cogitari quidem poterant plura genera stragum. Fin. II, 28, 93, *quos ille — cruciatus perferebat!* gravitas cruciatuum, non numerus aut genera, exclamare facit, et de uno genere, corporis cruciatuum, sermo est. Similiter Tusc. II, 8, 20, *quas hic voces apud Sophoclem — edit!* nempe una vox intelligitur, quae etiam ex poeta apponitur. Contra Fin. II, 22, 73, *quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet —?* significatur omnia exspectari posse. Philipp. XI, 5, 10. Et est, ubi negatio latet in verbo, ut ad Div. XI, 27, 4, *quod officium tuum defuit?* i. e. praesto non fuit: et mox § 20, *quid iuris bonis viris Ti. Gracchi tribunatus reliquit?* i. e. non ademit: quod quum non intelligeret Creuzerus, perperam, apud Moserum, hoc exemplum esse contendit omissae negationis.

qui primum —) Temere putant post haec omitti adverbium ordinale, *deinde:* nam ipsum illud quod subiicitur, *quum afflixisset —*, excludit eiusmodi adverbium.

ut impio dignum fuit —) Continuatur similitudo pueri procreati, luditque Cicero in *patrum* appellatione; si quidem *pietas* maxime erga parentes censebatur.

omnia, infima summis, paria fecit) Non temere offendit Davisius in verborum ordine: sed, quas suadet transpositiones, minus Ciceronianam reddunt orationem.

Perridicule Goerenzius contendit »verborum ipsorum »turbulentiori profluxu auctorem turbas istas imitatum »esse:" nec multo melius Moserus, »in oratione commo»tiore tria verba ἀσυνδέτως coniungi." Corrigendum videtur, *omnia*, *infima*, *summa*, *paria fecit*. Huius asyndeti exempla cumulantur apud Beierum ad fragm. Scaur. p. 195. a. Tusc. I, 26, 64, *ut omnia, supera infera, prima ultima media videremus*. ad Div. V, 8, 5, *scribas de omnibus, minimis maximis:* ibid., *utantur in omnibus, publicis privatis — negotiis*. Philipp. XIII, 20, 45. Verr. IV, 54, 120. Et quod istic praeponitur, *omnia*, idem postpositum fere sollemne est: conf. Cort. ad Salust. Catil. IX, 3. Iug. XXXI, 9. LXXVI, 1. Gronov. ad Liv. XXIV, 16, 9. Ceterum ad quas leges tribunicias haec referenda sint, ipsa verborum paritas arguit apud Livium IV, 1. sq., ubi et alia reperiuntur, et *vulgari cum infimis summum imperium*.

§ 20. *atque ut C. Flaminium*) Optimi quique servant corruptum *anque*, quod in recentioribus correctum *atque*. Commodius fortasse corrigatur *namque*.

prisca videntur propter vetustatem) Bene interpretatur Moserus. *Priscum* quid sit, ex iis intelligitur quibuscum iungitur: pro Coelio 14, 33, *severe et graviter et prisce*. fragm. in Clod. et Cur. *homo durus ac priscus*, ubi vid. Beier. p. 99. Eodem modo Demosth. Androt. p. 597. 17: ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν ἀρχαῖα καὶ παλαιά.

quid iuris bonis Ti. Gracchi tribunatus reliquit?) Non temere omisi *viris*, quod alii addunt ad *bonis:* primum auctoritate D Lagom. 10. 39. 120. Ed. Ven. et aliorum librorum apud Moserum, qui omnes habent *quid viris* (i. e. *iuris*) *bonis Ti. Gr.:* tum, quod in tali disputatione *bonos*, non *bonos viros* appellare solet Cicero, sicut infra, Cap. 16, 35. Putidum sit exempla in re omnibus cognita proferre: (conf. Beier. ad Offic. II, 12, 43.) sed explicanda sunt ea, quae adversari videantur, (exclusis

tamen tum iis, quae manifesto aliam sententiam continent, ut si *boni viri* pro locupletibus dicuntur; quo nomine locum Republ. I, 19, 31. fin. glossa liberandum censuimus Bibl. Crit. N. III. p. 361; aut si vel in philosophorum, vel in alia disputatione *boni viri* appellantur.) Sext. 1, 2, scribere non potuit, *per optimos optimis periculum inferre*, sed plenior oratio et gravior consulto redditur, *per optimos viros optimis civibus:* rectius ibid. 19, 43, *vicissent improbos boni.* Rursus ibid. 19, 44, *cum multis bonis viris concidissem:* de aliis nihil notatum inveni, sed tres Leidenses a me collati (Schol. Hypomn. I.) omittunt *viris:* at ibid. 49, 105, omnium consensu est *apud bonos viros plurimum:* sed in hoc loco mei libri deficiunt: et tamen ratio afferri potest quare h. l. substantivum addatur: nam quum reliquis locis, ubi *boni*, et *omnes boni* absolute ponitur, opponantur *improbis*, isto loco *populo* et *multitudini*, cuius illis temporibus, de quibus agitur, honestior erat interpretatio, non *bonos*, sed *bonos viros* opponi oportebat, qui modo ante *graves et honesti homines* dicebantur, contra in Sextii causa omnium eumdem de re publica sensum fuisse dicit. Tum ibid. 53, 114, primum de Alfio tribuno pl., *vir et bonus et innocens et bonis viris semper probatus;* et paulo post de Vatinio, *ut — collegas, bonorum iudicium nihil putaret, aedilitatem petivit cum bonis viris et hominibus primis:* horum postremum paratam habet excusationem, si quidem pauci candidati, non *omnes boni* intelliguntur: prius (et hic deficiunt Leidenses) corrigendum puto; nam non de paucis, sed de populo intelligendum, sicut ibid. 64, 133, *bonis placere cupiebam.* Contra ibid. 65, 137, *a bonis viris, sapientibus et bene natura constitutis laudari et diligi*, propter alia adiectiva necessarium erat substantivum. Possunt et alia excitari, veluti Offic. II, 17, 58, *si postulatur a populo, bonis viris, si non desiderantibus, at tamen approbantibus:*

quod rectum est, quoniam a *populo* distinguuntur *boni viri*, non *boni*. Hoc teneri posse puto, quum a Quinto *improbi* cogitentur et *seditiosi* in illa tribuniciae potestatis reprehensione, iis non *bonos viros*, sed *bonos* opponi aequum esse. — *Nihil iuris in civitate relinquere*, dicit Livius quoque III, 39, 8.

tribunus plebis C. Curiatius) Nemo offendit in his, neque discrepant Codices: et tamen *trib. pl.* in hac disputatione non tantum commodissime omittatur, sed contra morem Ciceronis intrusum mihi esse videtur. — Mox, *quod ante factum non erat*, quum historiae adversari deprehenderent viri docti, alius oratorie dictum esse, alius corrigendum, alius ferendum dissensum a Livio censuit. Mihi, etiamsi verissime ita dictum esset, tam languide totum hoc adiectum videtur, ut concitatam illam Quinti disputationem, in qua tribunorum scelera colligit, prorsus corrumpat. Auget suspicionem emblematis, quod Edit. Vet., quamquam ex mendosissimo Codice descripta, omittit *non:* itaque tenemus manifesto annotationem docti hominis, quam per errorem cum Ciceronis oratione iunctam alii, adiecta negatione, interpolaverunt.

ruinis et inscitiis) Nil magnopere novi adferunt mei libri. Quare lubens acquiesco in Virorum doctorum correctione *runis et sicis iis*. Verba sunt ipsius C. Gracchi, cuius orationes lectitabat Cicero, ut narrat in Bruto 33. Commemoravit propterea Meyerus. — In fine huius sententiae, pro *permutavit*, ex uno Cod. Oxon. legendum esse *perturbavit*, luculenter evincit Madvig. Opusc. p. 472. *Perturbatio omnium rerum* est ad Div. VI, 1. init., tum in alia disputatione Fin. II, 35, 117.

de Saturnini supplicio reliquis) Praeclara est Goerenzii emendatio eademque verissima, *de Saturnino, Sulpicio, reliquis*. Eodem modo cum Saturnino iungitur Sulpicius apud Salust. fragm. Histor. I. p. 947. Cort. Tum saepe ista confusa esse in Codd., ostendunt annott. ad Liv. II,

19, 1: hinc in Salustio II. de Rep. Ord. Cap. 4. init. optime Carrio e *Sulpicio* fecit *supplicio*. *Reliquis*, non adiecta *que*, optimi mei libri confirmant.

quos ne depellere — potuit res publica) Sic Brut. 27, 103, (*Gracchus*) *ab ipsa re publica est interfectus*. Corrigendum est in Milon. 5, 14, ubi editur: *nisi vero aut ille dies, quo Ti. Gracchus est caesus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiamsi e re publica, rem publicam tamen non vulnerarunt:* Madvigius acuta usus disputatione, Opusc. p. 153, sq., abiecto *quo* ante *arma*, spreta transpositione Garatonii, et negatione revocata ante *etiamsi*, sic persanandum putat locum, — *aut arma Saturnini, non, etiamsi e re publica oppressa sunt, rem publicam tamen vulnerarunt*. In hac loci constitutione, quum *arma Saturnini* proprie de ipsius in rem publicam impetu dici accipiendum esset, inauditum quid excogitabat Madvigius, ut simul defensionem rei publ. contra eius vim cogitari diceret. Nempe in tota illa disputatione non tam istorum (Gracchorum et Saturnini) vis insignitur, quam violenta defensio qua uti rem publicam oportuisset. Quapropter, mutato tantum relativo, non expulso, et necessaria adhibita emendatione, sic legendum puto, *aut quae arma Saturninum oppresserunt, etiam si e re publica, rem publicam tamen non vulnerarunt*. Minime novum est *oppresserunt* corruptum censeri in *oppressa sunt:* similiter erratum erat in Verr. IV, 66, 148, (*perscripta erant*, *perscripserant*) conf. Madv. Ep. Crit. p. 96. — *Depellere* sic ponitur Flacc. init. Sext. 19, 43: conf. Ruhnk. ad Aquil. Rom. p. 191.

§ 21. *quis umquam tam audax* —) Non diffitendum est tum iteratum *umquam* molestum esse, tum commodius servari post *cogitaret*, quam post *quis;* in quo ab Ernesto dissentio. Non tamen, ut Goerenzius, *quis*, *inquam*, sed, *quisquamne* corrigendum puto: neque enim satis est ad eam, quam in animo habet Quintus,

negationem, quaerere *quis;* sed, ut fieri a nemine omnino potuisse significet, quaerit *quisquamne.* Turbatum esse saepe in iis quae in *quam* exeunt, nec mirum est, et exemplis poterat, si opus esset, firmari. Fin. quidem III, 8, 29, *numquam* propter *quemquam* excidisse demonstrat Madvigius: rursus infra Cap. 13, 29, perperam utrumque coniungi in Codd. ostendam.

nisi mucronem tribunicium exacuisset in nos) Liv. III, 55, 3, *tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est.* Offendit Rathius in illis pronominibus quibus utitur Quintus (*in nos, nobis*), quasi non nisi Marcus ipse haec loqui potuisset. Non meminerat ita loqui eumdem, Divin. I, 28, 59, *in illa fuga* (i. e. exsilio) *nobis gloriosa, patriae calamitosa.*

non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent) Recte credo hanc lectionem, quam Codd. tantum non omnes tenent, servari, quippe in *non modo* negatio intelligi solet ex ea negandi forma, qua sententia concluditur (h. l. ex *sed nulla* —.) Contra negatio ex praecedd. intelligitur in his, Vatin. 1, 3, *quum affirmares, nullum tibi — sermonem, non modo de Sextio accusando, sed ulla umquam de re fuisse.* — *Tenebras rei publicae* appellat quoque ad Div. IV, 3, 2.

neminem in nos tribunum potuisse reperiri) *Reperiri* credo per errorem scriptum esse ex super. *reperirent:* nec puto recte dici, *mercede quem reperire,* quod melius diceretur *comparare,* sicut *accusationem* comparare, et *defensionem,* et *confessionem,* et *vim,* et *arma,* ceteraque. De totius loci structura, Matthiaeus Anacoluth. p. 17 videtur eam ad anacoluthiae formam referre; fortasse quod voc. *quod* coniunctionem esse existimabat: contra, relativum est, sequente epexegesi per accusat. et Infinitivum: eodemque in errore esse virum praestantissimum de Fin. II, 4, 12, ostendit Madvigius ad eum locum p. 157. Quid ad eamdem de Anacoluthis

disputationem pertineat locus Orat. 62, 210, non memini; sed ibi (quod obiter dico) corrigendum esse *saepe sumus*, pro *saepissime sumus*, vix admonitione indiget: cf. simile mendum animadversum supra p. 462: superlativi terminatio sic saepe adhaesit ex proximi vocabuli similitudine. — Quod mox optimi libri habent, *necesse quidem* (*nec esse quidem*), in vitio esse probatum nunc est per accuratam Madvigii disputationem in Excurs. III. ad Fin. p. 822 sqq.: sed ipsa coniunctio vocabulorum (*necesse*) et causam et excusationem continet erroris.

§ 22. *sine ulla spe bona*) Non erat quod unius libri auctoritate Schutzio et Mosero probaretur *specie*. Verr. Act. I, 14, 42, *an iste umquam de se bonam spem habuisset* —. Tacit. Ann. II, 15, *nulla bona spe*, ex correctione Ernesti: conf. Cort. ad Salust. Iug. XLIV, 2, et H. Stephanus Schediasm. IV, 25, recte interiorem huius formulae sensum explicans.

futura reddere potuit impurae beluae multorum inflammatus furoribus) Quod edi solet, *furor edere*, manifesto est ex correctione in recentissimis libris: reliqui servant tum *futura*, tum vel *reddere*, vel *sedare*, vel *federa*. Sed ut in illa correctione difficile est non probare *edere*, propter anteced. *strages edidit*, ita nullo modo concedi nec Ciceroni, nec cuiquam alii potest, ut dicatur *furor — multorum inflammatus furoribus:* ne *multi* quidem illi qui sint, intelligo. Recte Verr. V, 62, 161, *inflammatus scelere et furore:* sed quis umquam *inflamm. furoribus? Inflammatus furor* locutio est inventa ab auctore orationis pro Domo 55, 141, quam quis probabit? Nihilominus haec ut sana, sicut edi solent, apposuit Beierus ad fragm. in Clod. et Cur. init. p. 90. a: quae lectio si tueri se volet, recipiat necesse est ex uno alteroque libro *inflammatis*, si tamen *furores inflammati* recte dicuntur. Ita prorsus nihil reperio, quo corruptissimum, ut mihi videtur, locum defendam. Dicam, quid excogitaverim,

nec recusabo retractare suspicionem si prudentibus iudicibus displicebit: *quas — foetu edere potuit impura belua e multorum conflata furoribus.* De Catilina, pro Coel. 5, 12, *monstrum — ex contrariis diversisque — cupiditatibus conflatum.* Unum describere voluit Quintus Clodium, quem ex omnium, qui unquam fuissent, tribunorum furoribus conflatum esse dicit.

Sullam probo, qui — reliquerit) Hinc Cluent. 40, 110, *rostra iam diu vacua, locumque illum, post adventum L. Sullae, a tribunicia voce desertum, oppresserat.* Conf. Ferratius et Garaton. ad Verr. I, 60, 155. Salust. Histor. I. in oratione Lepidi, p. 942. fin. Cort., et Histor. III. oratio Macri Licinii, p. 967. sqq.

Pompeium) Restitutam esse tribuniciam potestatem a Pompeio in primo consulatu, recte annotaverat iam Ernestus ad Tacit. Ann. III, 27. fin. et ante eum Fabrit. Hist. Cic. ad A. U. 683. fin., et Ursinus ad Verr. II, 41, 100. Salust. Catil. XXXVIII, init. ibique Cort. Plutarch. Pomp. p. 629. E. Quumque huius rei aliquoties in Verrinis faciat mentionem Cicero, Divin. Caecil. 3, 8. Verr. Act. I, 15, 44. V. 63. init. 68, 175, (quae causa acta est Pompeio primum Cos.) mirus est error tum aliorum, tum Moseri, qui ad secundum Pompeii consulatum, A. U. 698, refert.

ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus) Defendi poterit fortasse omissio praep. *in* ante *ceteris*, ex ea observatione ut *effero laudibus* sit pro *laudo*, ita recte in ablativo dici id, propter quod laudetur quid. Sed *amplissimis summisque* vix ferendum puto. Recte alterutrum dicitur, et *amplissimae* et *summae laudes:* sed ista adiectiva nec solent nec possunt coniungi, et posterius (*summis*) ortum est ex terminatione praecedentis: cf. modo supra p. 614. Quumque Lagom. 39 *que* omittat, equidem totum *summisque* delendum puto.

CAPUT X.

§ 23. *praeclare, Quinte, perspicis*) Levis aberratio est in uno alteroque libro, *praeclareque persp.*

vel consulatus vituperest) Expressi antiquissimam corruptelam, ut exstat in Voss. B: proxima fuit ea, quam e tribus libris enotavit Goerenzius, et est in Burn. δ *vituperet*. Quod edi solet, *vituperabilis est*, nil nisi correctio est, ut apparet ex A, in quo erasa vetus lectio est: hinc item *vituperio est*. Quod autem unius Dresd. apud Goer. (cui nunc accedit Ambr. γ) lectionem, *vituperatio est*, veram iudicat Madvigius Emendatt. p. 88 sq., in eo dissentio a viro praestantissimo. Quae exempla verbalium in *io* habet Pareus (in Mantissa), ea certe prorsus dissimilia sunt ab ea ratione, quam commendat: et in Tullianis quae adfert, ut unius exempli explicatione defungar, recte sane dicitur *excogitationem non habent difficilem*, pro *non difficile excogitari possunt;* sed perit illa significatio sublato adiectivo (*difficilem*), id quod eodem modo valet de reliquis exemplis: conf. supra II, 16, 41, *iustam recusationem non habet*. Igitur h. l. dici poterat *consulatus vituperatio facilis est*, non item *consulatus vituperatio est*. Saepe, Madvigius inquit, verbalia in *atio* corrupta sunt omissa syll. *at*. Sed non minus crebro per errorem orta sunt illa verbalia: infra certe cap. 11, 25, fin. Burn. δ pro *cura* habet *curatio*. Sed quidni accipiamus id, quod in vetusta corruptela latet, *vituperes*, et legatur *consulatum?* Sic apte subiicitur *si collegeris*. — Mox, perperam duo Lagom. *in ipsa ista*: nempe prius (*ista*) indicandi vim habet, *ipsa* i. e. per se, non consideratis exemplis singulorum.

multo saevior multoque vehementior) Hic ordo in melioribus libris servatur, propterea fortasse quod *vis* proprie magis *saeva*, quam *vehemens* appellatur: posterius sollemne est in tribunis pl., ut Planc. 11, 28.

ducem quum habet) Recepi hoc ex tribus meis, pro vulg. *quod habet,* quoniam in genere loqui videtur. Similiter in re non eadem (nam agitur non de plebe, sed de perditis hominibus) Sext. 46, 99, *qui quum auctores sunt et duces studiorum vitiorumque nacti.* Sed plane conspirat in sententia Livius VII, 14, 2.

dux enim — progredi cogitat) *Suo se* edidi ex duobus Ambr., quum viri docti iam illud pronom. (*se*) requisivissent. Ceterum apte videri possit *cogitat* opponi sequenti *rationem non habet*: nec tamen spernendum id quod Lagom. 96 habet, *putat,* cuius loco si legeretur *reputat,* nil requirerem. Opportune hunc locum adhibuit Gronov. ad Liv. XXVI, 48, 10.

§ 24. *et quidem saepe sedatur*) Madvigius Emendatt. p. 90 sqq. acute et copiose huius formulae, *et quidem,* vim explicuit: conf. idem ad Fin. I, 10, 35. Exemplum aliud est Fin. II, 25, 81. in.: sed ibid. 31, 103, sustulit, post alios, Madvigius, in his, *Et isto modo ne si avia quidem eius nata non esset,* delens *et:* sed perperam utitur auctoritate loci, quem indicat, ibid. 8, 23, quoniam formula *et quidem* propria est disputationis inter praesentes, sive verae, sive ea fingatur, isto autem loco Epicuri sententia exploratur ut absentis: nec puto particulam *et,* quae hanc habet vim ut, quae dicuntur, tamquam adiici videantur adversarii orationi velut necessarium corollarium et complementem, »transire in »*ne — quidem,*" ut ait, si quidem nemo facile contenderit in iis particulis inesse vim copulandi cum praecedd., qua una se tuetur *et.* Fieri tamen potest ut *et* e proximo *esset* ortum sit in Codd., neque intercedo quo minus deleatur, modo non eamdem manere formam refutationis contendatur. Contra restituendum *et,* absorptum propter praeced. syllabam, puto Verr. I, 9, 25: *causam enim, inquit, cognosci oportet. Ea re quidem, quod aliter condemnari reus — non potest:* leg. *Et ea re.* Nec incogni-

tum est solam part. *et*, sine adiecta *quidem*, sic usurpari; sicut mox, *at duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos —.* Verr. III, 82, 190, sic distinguendum est: *Itaque hoc est, quod multi fortasse fecerunt. Et ita multi, ut —:* nam priora continent defensionem qua usurus erat Hortensius, quamque Cicero suo modo refutat. Fragm. pro Scauro p. 204. Beier.: *at creditum est aliquando Sardis. Et fortasse credetur aliquando, si integri venerint.* Alia forma Cluent. 35, 97: *at etiam Bulbus est condemnatus. Adde, maiestatis.* — Sull. 7, 23, *hoc dico, inquit, te esse ex municipio. Fateor: et addo etiam, ex eo municipio —.*

quod enim tam desperatum collegium — nemo e decem sana mente sit) Fecerunt huius medicinae periculum Romani saepe, ut multis locis Livius docet: sic Appius Claudius, II, 44, 2, *victam tribuniciam potestatem priore anno* (vid. cap. 43, 4); *in praesentia re ipsa, exemplo in perpetuum, quando inventum sit suis ipsam viribus dissolvi: neque enim umquam defuturum qui et ex collega victoriam sibi, et gratiam melioris partis bono publico velit quaesitam: et plures, si pluribus opus sit, tribunos ad auxilium consulum paratos fore, et unum vel adversus omnes satis esse.* Conf. IV, 48, 6, in primis V, 29, 8. sq. VI, 37, 3. 38, 6. sq. Hinc saevam secundorum Decemvirorum libidinem describens, *intercessionem*, inquit, *consensus sustulerat*, ut legendum est III, 36, 6.

quin ipsum Ti. Gracchum non solum nectus — fuerat.) In his *per*, olim post *quin* insertum, omisi optimorum meorum auctoritate, et structura flagitante. Sed quod in iisdem servatur *nectus*, nondum, ut mihi quidem videtur, apte correxerunt viri docti. *Vetitus*, e libris deterioribus allatum, iure miratur Madvigius Emendatt. p. 96 a Goerenzio commendari; ipse tamen perperam commendat Manutianum *neglectus:* nam, quod vel sine ulla collatione intelligi poterat, ipse locus quem conie-

cturae commendandae causa apponit, Phil. II, 22, 53, docet idem esse si *neglectus*, quam si *sublatus* intercessor dicitur: *intercessio neglecta*, *ius tribunicium sublatum*, nihil aliud significant, nisi eo ipso quod intercessio negligebatur, ius trib. sublatum esse. Nihilominus recte reprehendit Orellium Madvigius Programm. laud. p. 11. not., istam lectionem prave interpretantem. Sed propior vero lectio est *vetitus*, quam *nectus*; si quidem restituto initio vocabuli, quod per *m* antecedens absorptum fuit, legendum est *inventus*. Apparet enim, quum tota defensio tribunatus (*quod enim est tam desp. coll.* —) hoc argumento nitatur, seditiosos tribunos unius collegae, qui sana mente sit, intercessione posse impediri, Gracchum primum dici non posse *non solum a neglecto intercessore* eversum esse, quoniam illud *non solum* necessario indicare oportet id, quod soleret fieri, quodque ex ipsa natura illius potestatis exspectandum esset. Neque hoc negligendum, quaesitam videri oppositionem argutam inter id quod *non solum*, et quod *sed etiam* factum esse dicitur, quae nullo modo deprehenditur in *neglectus* et *sublatus*, sed pulcre, ni fallor, usurpatur in *inventus* et *subl.*: *inventus est*, est exstitit qui intercedere auderet. — Pro *fuerat*, quod longe maxima pars Codicum servat (Lagom. 10 *forat*), Goerenzius ex uno alteroque libro affert *servaverat*, et *seruerat*, ex quibus alii aliud effecerunt; mihi placet, quod a Bentleio occupatum video, ut ex *fuerat* non quidem *fregerat*, sed *fregit* efficiatur, quod Orellius, ut arbitror, non repudiasset, si memor fuisset loci in Bruto 25, 95, ubi in eadem causa et de iisdem hominibus, *qui* (*Octavius*) *iniuria accepta fregit Ti. Gracchum patientia.* Et verbum illud saepe corruptum esse constat: sicuti Victor Pisanus rectissime Brut. 28, 109, *fregit* pro *fecit* legi iubet; et in Taciti Codd. Ann. XIV, 31, *facti* et *fracti* permutantur. Tum, quod Orellii causa moneo et aliorum, qui violentius verbum restitui

oportere putant, in primis illi *patientiae* Octavii convenit *frangere:* alia verba non nisi in contentione dici potuissent, quae nulla tum inter Octavium et Gracchum fuit. Igitur de iis, quae post secuta sunt, mox dicit *perculit:* de quo vid. Gronov. ad Liv. III, 30, 4. Cort. ad Salust. Iug. XLII, 1.

tu sapientiam maiori nihilo vide) *Sapientiam* ex uno A. edidi: reliqui *sapientia*, facili vitio. *Maiorum*, quae correctio certissima tamen est, in nullo libro est. Quod Manutius ex *nihilo* fecit *in illo*, perite sane (conf. supra p. 280); sed tamen dubito an sic mori Tulliano satisfactum sit: nec *sapientiam in illo*, nec *in illo vide*, nec *tu vide*, vere Ciceronianum mihi esse videtur. Indicare difficultates possum, tollere non possum. Pro *tu*, Lagom. 10 *tum* habet.

quo tenuiores — aequari se putarint) Ernestus mutavit in *putarent*, quod dein viris doctis probatum. Sed Coniunctivus tum recte poneretur, si vel significaretur *eiusmodi* fuisse hoc temperamentum, *ut* —; vel *eo consilio* inventum esse, *ut* —: quorum neutrum convenit huic loco: simpliciter rem narrat Cicero, necessarioque scribendum *putant:* nam ne praeterito quidem locus est, siquidem perpetuam et praesentem opinionem declarare vult. Simile vitium mox in Codd., *crearentur* pro *creantur*.

in quo uno fuit civitatis salus) Nempe in eo, quod ita putarunt. Quae ratio non intellecta, glossam turpem peperit in Verr. I, 28, 72: *in quo video, Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse caedis.* Primum, *Neronis iudicium* perperam appellatur illud iudicium, quod Nero exercuerat: appellatur enim iudicium ab eo qui reus est. Tollenda *Neronis iudicio:* et *in quo* explicandum, quod iudicaverunt *non oportere esse cuiquam hominis occidendi potestatem.*

quum deni creantur nullos — bonos fortasse plures) Discedo a viris doctis et a Mureto V. L. IV, 3, in huius

loci iudicio et constitutione. Argumentatio manifesto haec esse debet; mirum non esse multos enumerari posse perniciosos tribunos; nam in quacumque potestate deni creentur, in ea necessario multos perniciosos, leves reperiri posse. Non satis dixisset, si denarium numerum in tribunatu tantum memoravisset; acutius disputat, quum eius numeri idem vitium fore dicit in aliis quoque potestatibus. Et hanc interpretationem suadet formula *in omni memoria*, quae minime ad historiam tribuniciae potestatis restringi potest. Quid enim? post verba *quamvis enumeres multos* (*tribunos perniciosos*) *licet*, sic addidisset *reperies nonnullos perniciosos tribunos:* quod absurdum. Apparet, primum *tribunos* interpolatum esse: tum repudiandam esse correctionem *creentur*, quam propter vulgarem totius loci interpretationem defendit frustra Madvigius: *quum creantur* est, quoties creantur, in quacumque potestate (sicut in Decemviris Romae, Athenis in multis:) idemque Indicativus est infra Cap. 15, 34, *quum aliquid verum et rectum esse dicitur.* Dein, *nullos*, quod Codices habent, non erat corrigendum in *nonnullos*, quo argumentatio elevatur, sed rescribendum *multos.* Postremo, turpiter in fine adhaerent *leves etiam non bonos fortasse plures:* in quibus *etiam non boni* (sic enim distingui solet) quales sint intelligendi, aut quo exemplo sic appellentur apud Ciceronem, et quo modo *etiam* se tueatur in progressione a maiori ad minus, scire cupiam. Delenda negatio est, sicut omiserunt Copp. Vict. b. apud Moserum: quumque Cod. Cr. afferat *etiam et bonos*, antiquissimam corruptionem puto fuisse *leves et bonos;* itaque locum sic refingendum esse, — *multos* — *perniciosos, leves; sed bonos fortasse plures. Levis* et *perniciosus* in eadem re iunguntur Sext. 66, 139.

invidia — summus ordo caret) *Invidia*, passive: ut *mea invidia*, Milon. 35, 98, *invidia sua*, in oratione Lepidi, Salust. Histor. I. p. 943, Cort. — Mox, *plebes de iure*

suo, revocat in memoriam locum Flori III, 13, 3, in quo non recte, ut mihi videtur, principes viri *rus suum* pro *ius suum* legi volunt: nam praemittitur hoc in genere, subiectis iis, quae ad triplex illud genus legum pertinebant.

§ 25. *aut exigendi reges non fuerunt*) Simile initium seditionum posuerat in causa Caepionis Antonius, Orat. II, 48, 199.

sic data est ut multis praeclarissimis — cederet) Nihil de his constat, nisi corrupta esse: quo modo sananda, nondum quisquam satis mihi videtur assecutus esse; nam quam vacillet interpretatio, exemplo est Turnebi annotatio. Davisii quidem coniectura (*ut Sctis praeclarissimis*) vel ideo improbanda est, quod *principes* de Senatu intelligendum sit, itaque hoc diceretur, plebem addici Sctis, ut senatui cederet. Quae sententia in verbis lateat, optime exposuit Madvigius Emendatt. p. 99: nec tamen amplector eius coniecturam, ut pro *multis* legatur *vinclis*. Multo magis placet substantivum excidisse, tum superlativum certe, in *praeclarissimis* vitiosum esse; ut fortasse, ad sententiam certe accommodate, legi possit, *ut multis praeclaris institutis addiceretur*, i. e. adstringeretur: nullum certe aptius vocabulum reperio, quo indicentur ea, quae ipse in hoc genere memoravit supra II, 12, 30 sq., mox Cap. 12, init. de auspiciis, Cap. 17, 38. sq. de suffragiis liberis, Cap. 19, 43 et 45. Tum ubique hoc in suis legibus inculcat Cicero, potestatem in populo, auctoritatem penes senatum esse oportere.

CAPUT XI.

nostra autem causa — incidit in tribuniciam potestatem) Perperam interpretatur Goerenzius, quasi diceretur »incidit in Clodium tribuni potestate praeditum.” Certe multo diversum est *incidere in terrores tribunicios*, ad Div. II, 18, 3: neque incognita est haec significatio v.

incidere; conf. Beier. ad Offic. I, 9, 28. Sed hoc loco stulte distingueretur tribunicia potestas a tribunatu. Sensus est: mea causa incidit in ea tempora, quibus illa potestas, per Pompeium restituta, vigebat.

non enim plebes incitata nostris rebus invidit) Sic *invidiam* plebis fuisse negat pro Sext. 30, 64. fin. Et *incitare* proprie in hac re dicitur, sicut infra § 26 *si populum incitasset.* Goerenzium, quod mox *servitia concitata* mavult, non reprehendo quidem, sed otiosam tamen existimo esse correctionem. Potuerat uti his exemplis, Sext. 24, 53. Flacc. 2, 3. et 3, 6: nam quod ad Pisen. 4, 9, attinet, multum abest ut ibi recte *concitata* legatur, ubi exspectaveris certe *conflata.*

cum illa tum peste certamen fuit) Wyttenbachius *pestem* interpretatur ipsum Clodium; quocum tamen certamen sibi fuisse nullo modo negare poterat Cicero. Goerenzius multa miscet diversissima, quorum nihil esse videtur quod non amplectatur. Primum non contemnendam dicit esse alteram lectionem, *cum illa tempestate*, et pariter *tempestatem* distingui a *tempore*, Philipp. VII, 2, 7: sed *tempestas formidolosissimi temporis* quum dicitur, non distinguuntur illa, sed in unam notionem contrahuntur. Tum *pestis* aeque bene dici contendit. Sed, si *pestis* absolute dicitur, ut pro *calamitate* sit, iterum perperam distinguitur a *tempore gravissimo rei p.:* si Clodius intelligitur, requiretur adiectus genitivus, v. c. *patriae*, aut *civitatis*, et erit idem vitium interpretandi, in quod Wyttenbachius inciderat: vere enim sibi cum Clodio tum rem fuisse, diserte et ornate persequitur Sext. 17, 39. Restat ut *peste* ortum putemus ex vero *potestate:* et hoc tota disputatio flagitat: omnem illius anni calamitatem tribuerat Quintus tribunatui, Cap. 9, 21; cui hoc opponit Marcus, non sibi certamen *cum illa potestate* fuisse. Alio modo idem vocab. corruptum est in Lagom. 39. infra § 26: tum confusa reperiuntur Verr. V, 62, 162,

ubi recte quidem Zumptius praetulit *pestem*, sed nollem significari putavisset Verrem potius, quam, quod mihi placet, istud genus supplicii.

cui si non cessissem) Iure, credo, hanc lectionem secutus sum, aliis *si non*, aliis *non* omittentibus: et videri poterit *si non* aliquanto firmius dici, quam *nisi*, tum requiri propter negationem quae subiicitur. Ex vitioso *concessi ne* videri possit efficiendum esse, *nae non diuturnum* —. *Cedere*, de exsilio dictum, illustravit Cortius Excurs. IV ad Salust. Catil. XXXIV, 2, tum Beier. ad Offic. I, 23, 81. Garaton. ad Planc. Cap. 10. Plutarchus, Catonis consilium in hac Ciceronis causa explicans, verba propemodum Tulliana interpretatur, Caton. Min. p. 776. B, *μὴ ϛασιάσαι μηδ᾽ εἰς ὅπλα καὶ φόνους τὴν πόλιν ἐμβαλεῖν, ἀλλ᾽ ὑπεκϛάντα τῷ καιρῷ πάλιν γενέσθαι σωτῆρα τῆς πατρίδος*. — Mox, pro *rei exitus* malim *rerum exitus*, quo ducit compendium in B, *rer.*

non modo liber, sed etiam servus) Debueram aliorum exemplo omittere *etiam*, (optimi mei *sed etiam* omittunt) si quidem istam dicendi formam, in qua *non modo* est pro *non dicam*, satis firmavit tum Goerenzius ad h. l., tum Beier. ad fragm. pro Tull. p. 47, et diu ante Manut. ad Sext. 50, 108: conf. Tusc. II, 5, 14. — Quod statim post in Burn. *δ*. pro *cara* est *curatio*, ortum sine dubio ex *cura*, ut quis suspicetur lectum fuisse olim *curae*: et sic scribit ad Div. I, 9, 22, *tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curae.* Sed tamen alterum recte se habet, sicut ad Div. III, 9, 2, *tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cara per se.*

§ 26. *quod si is casus — ut non omnibus gratus esset*) Iure Wyttenbachium refutat Madvigius Emendatt. p. 99, demonstratque *casum* h. l. non esse ruinam. Sensus est, si ita cecidissent res quas gessimus. Omnino *casus* in malam partem non intelligi solet, nisi addito adiectivo in eam sententiam (ut *graves casus*, Orat. I, 1, 2,

ultimus casus Fin. II, 20, 65), aut pronom. possessivo, (ut *nostri c.* Orat. ibid., *meus casus*, Sext. 23, 51. Milon. 32, 88.) Quod h. l. dicitur, *si is casus fuisset*, haud dissimiliter enunciat Milon. 30, 81, *si minus fortissimi viri virtus civibus grata cecidisset.* De praeclaro facinore eversae arae Caesaris, sic scribit ad Dolabellam, ad Div. IX, 14, 7, *contigit tibi — ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, et quum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima.* Itaque minime delenda est negatio ante *omnibus.* Sed eventus hic erat, ut eae res omnibus *gratae essent;* et sic corrigendum necessario videtur, non ut ipse *eventus gratus* fuisse dicatur. Non fugerat hoc Wagnerum.

et si nos multitudinis vis furentis — tribunicia qui in me populum) Madvigius haec intacta praeterit. Virorum doctorum diversas coniecturas in verbis turbatis et leviter corruptis recensere animus non est, sed meam proponam suspicionem. Quod editum est, *vis* (*multitudinis furentis*) *inflammata invidia*, ferri nullo modo potest. Quare, inserta particula, quae per syll. praecedentis similitudinem absorpta esse potest, sic legam: *et si nos multitudinis vis furentis, si flamma invidiae pepulisset, tribunusque in me —. Invidiae flamma* sic dicitur Orat. III, 3, 11: conf. Livius III, 11, 10. *Tribunicia* accommodatum fuit substantivo *invidia:* sed ne *tribunicia* quidem *vis* h. l. apte diceretur, quum exempla singulorum tribunorum sequantur: ipsa enim illa *trib. vis* nititur *invidia conflata*, ut dicit Cluent. 35, 95: ibid. 37, 103, *vim multitudinis, impetum tribunicium* appellat.

sicut Gracchus —) Eadem exempla et aliis multis locis posuit, et usurpaverat in Orat. de aere alien. Milon., ut apparet ex Schol. Bobiens. p. 347. Orell.

consolarenturque nos non tam philosophi —) *Philosophis*, i. e. doctis, opponere solet *clarissimos viros*, ut ad Div. IV, 1, 1. Planc. 39, 94. In postremo genere Graeca

et Romana exempla proponit Rep. I, 3: conf. de Graecis, Flacc. 7, 16. Sed hoc loco sola Romana exempla videtur cogitasse, (quae collegerat in Consolatione, conf. Divin. II, 9, 22), consentaneumque est ut corrigatur *qui hac urbe pulsi:* in librorum lectione non nisi de Graecis commemorare videretur, quae si isto modo corrigitur, Romam Athenis, ubi philosophi fuerant, opponit. — Quod Goerenzius offendisse videtur in praes. *debent*, non attendit sermonem esse de libris philosophorum, quos nunc etiam usurpare poterat Cicero: stultum esset *debebant*, quasi editis de exsilio disputationibus fieri posset ut nollent consolari. — Mox, ut *non ita valde*, quod bene firmat Moserus, sic ad Q. frat. II, 9. init. *tam valde placuisse*. *Adeo multum* et *adeo valde*, explicantur in Lexic. MS. Bibl. Publ. n°. 56. p. 14.

qui posset carere cognita) Minime spernenda lectio est Lagom. 10. 39. *non posset*. Ceterum, Livii locum III, 52, 9, quem apposuit Creuzerus, e Cicerone expressum videri dixerat iam Gronovius.

perniciose populari civi) Sic Plinius Epp. VI, 31, 3, *innoxie popularem* appellat. Goerenzio Caesarem innuere videtur Cicero: poterit etiam aut Vatinius, aut Clodius cogitari. Videri potest Plutarchus Pomp. p. 629. E. Cap. 21. fin. hunc locum quodammodo interpretari.

scis solere, frater —) Praeposui his Quinti personam, quoniam incongruum mihi esse videbatur Marcum ipsum significare, quo modo sibi responderi a fratre vellet. Formula ista, *admodum*, per abusum sic quoque usurpata fuisse videtur in respondendo, quum quis levissima affirmandi et assentiendi specie defungi vellet, tantum ut deprecaretur diligentius responsum, neque prorsus interrumperet alterius sermonem. Sed difficile est id quod subiicitur, *prorsus ita est*, eodem modo interpretari. Ut dicam quod sentio, totum hoc, *scis solere — ita est*, alienissimum mihi esse videtur a Cicerone, et

ortum fortasse ex annotatione eius, qui modestam Quinti dissentiendi rationem explicans, quo id verbo in communi sermone fieri soleret indicaverit. Non certe *in huiusmodi sermone*, quo nunc isti utebantur, usurpari poterat illud *admodum*, et si posset, stultum erat dicere quo quis vocabulo uti posset potius, quam ipsum vocabulum usurpare. Non invideo tamen iis, qui talia defendere aut cupiant, aut possint.

perseveras tu quidem, et in tua —) Rarissime, si umquam, reperietur *perseverare*, non addito *in quo;* nam Infinitivus hic intelligi nequit. Sed ipsa tautologia, quae deprehenditur in *perseveras* — *permanes*, orta mihi videtur ex copula *et*, per errorem inserta, qua deleta abiiciendum erit *permanes*.

non mehercule ego —) Personae ita distribuebantur ab Editoribus, *Q. Nunc mehercule. Att. Ego sane* —: in quo Ravius meus quum merito non acquiesceret, excogitavit corrigendum esse, *Nam mehercule* sc. permaneo: vid. eius Var. Lect. Vol. I. p. 60: de reliquis viris doctis nemo fere offendit. Sed omnia sunt Attico vindicanda, legendumque, *Nec mehercule ego* —. Omitto demonstrationem, recte administratam a Madvigio, quem nunc video in idem incidisse, Programm. l. p. 27.

CAPUT XII.

§ 27. *magistratibus auspicia et iudicia dantur*) Mire sane Turnebus *iudicia* interpretatur »potestatem diem ad »populum dicendi." Sed manifestum est hoc legis caput referri oportere ad ius *magistratuum*, (non ad *populi* quamdam potestatem:) tum, cogitari non posse de populo *ad quem* provocaretur; si quidem ea de re in imperii lege, Cap. 3. init. dictum est. Quapropter corrigendum censeo, *ut esset populo potestas, ad quam provocaret*, nempe ad controversias inter privatos dirimendas. *Popu-*

lum esse privatos (qui opponuntur magistrati bus), demonstravi supra p. 310. Sententiam perspexit Creuzerus apud Moserum, sed perperam vulgatam servat lectionem. — *Auspicia* intelliguntur publica, et referuntur ad spectionem, et nunciationem. — Sed non negligendum est *omnibus* magistratibus dari iudicia, quod Romae certe non erat. Cogitavitne Cicero simile quid eius, quod Athenis fuerat, ut singuli magistratus sua haberent iudicia, quae cognoscerent? De utroque placito, tum *auspiciorum*, tum *iudiciorum* magistratibus tribuendorum, plenius exposuit Rubino (Untersuch. über Röm. Verfass. I. 1. p. 48. sqq. et p. 87. not. 1. tum p. 443-447,) non neglecto hoc loco.

quod senatus efficitur) Haec est meorum quoque optimorum librorum lectio; recteque Orellius deseruit Moserum, qui Creuzeri coniecturam, *conficitur*, susceperat. Non meminerat Creuzerus quoties per errorem *Sctum* pro *senatus* scriptum reperiatur, minimeque talem errorem ex sequ. quodam vocabulo explicandum esse. Nec attinebat docere, *conficere exercitum* dici: nam pariter dicitur *efficere ex.*, ut tum Drakenborchius monuit ad Livium XXIX, 35, 10, tum exemplis firmat Cortius ad Div. XI, 10, 5: conf. Vell Pat. II, 73, 3. Praeterea, hoc inter duo verba interesse puto, ut *conficere* referatur ad certum numerum, et ad unum delectum, *efficere* sine destinato numero dicatur, et in iis quae paullatim incrementa accipiunt: quod si probatur, ne cogitari quidem h. l. potest *senatum confici*, quippe qui quotannis novis magistratibus cresceret.

neminem in summum locum — venire) Quas varietates ex meis copiis enotavi, *neminem mortalem*, et *in summum bonum locum*, indicio esse possent ignaris, quae ludibria saepe nobis oscitantia librariorum obiiciat: si boni libri periissent, futuros credo qui talia mordicus retinerent. Ceterum, eadem fuit conditio Senatus tempore Ciceronis: Sext. 65, 137, *deligerentur in id consi-*

lium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriae ac virtuti pateret; ubi frustra Hotom. corrigit *ex universo populo*, quod ipsum inest in *omnium civium:* indeque hoc *beneficium populi Romani* appellat Verr. IV, 11, 25: cf. V, 71, 181. Cluent. 56, 153. Argumentum hoc acute tractavit I. Rubino (libro laud. I. 1. p. 150. not. 2.)

sublata cooptatione censoria) Antiquitus *Senatores* vocatos, qui a Censoribus legerentur, reliquos, qui iure magistratus in Senatum venirent, designatos hac formula, *quibus in Senatu sententiam dicere licet*, docuit Sigonius ad Liv. XXII, 49, 17 et XXXVI, 3, 3. Quum censura Ciceronis aetate iam per multos annos quievisset, credibile est, quamquam non sublato eo iure, tamen paullatim non nisi ex magistratibus compleri solitum fuisse senatum. Hinc a Sulla viginti quaestores creatos esse legimus, *senatui supplendo;* Tacit. Ann. XI, 22. Eadem indoles fuisse videtur legis, quam Bithynis Pompeius dederat, de qua Plinius Epp. X, 83. *Cooptationem* quod appellat Cicero, monere poterat Ernestum ne offenderet in *cooptandi* verbo, Verr. II, 49, 120: utiturque eo Suetonius Tiber. 1. Conf. Rubino ibid. p. 85. not. 1.

§ 28. *eius decreta rata sunto*) Pertinet ad *senatus auctoritatem*, ut nulla de re ad populum ferretur, nisi decernente senatu, utque nulla intercessione ista decreta irrita fierent: conf. Sext. 46, 98, quales loci, in re dubia quid ipse senserit Cicero de iure publico, mihi indicare videntur. Ut autem patres essent *reprehensores comitiorum*, diu iam tenere non potuerant: conf. Planc. 3, 8. Republ. II, 32. — Mox, *teneri*, i. e. conservari, ut in eadem re dixerat Republ. II, 33: itaque recte hoc verbum substituerunt viri docti alteri, *tueri*, in Livio XXXV, 23, 5.

praeclara — ista lex) Ne in nostris quidem reperitur id, quod Turnebi, ut affirmat, Codices habent, *lex est*, neque, utpote in admirantis exclamatione, eo indigemus.

In proximis corrupta omnia sunt quae in Codd. reperiuntur. Quod edidi, ortum ex corruptione alia, *sed eclaterat*, cuius monstri postrema pars (laterat) fons est alius corruptelae, *altera:* in Ambr. β. γ. rursus hoc corrumpitur, *late patet*, addita tamen illa corruptela, *altera*. Satis apertum esse mihi videtur, quum laudavisset legem Quintus, nihil aliud dein dicere, nisi difficile fore hoc ipsum, ut vitio careret ordo, obtinere. Verbum, quod huiusmodi quid declaret, latere mihi videtur in antiquissima corruptela *laterat et:* unde partim coniectura, partim ope Codd., locum sic constitui velim, *sed laborabit hoc, ut vitio careat ordo, et censorem quaeret interpretem*, i. e. ea lex difficile propositum attinget: quo modo *laborare*, et totum *defici* opponuntur Brut. 8, 34: — *Interpres* eo modo intelligendus, ut supra II, 25, 62: ambigi enim poterat quid sit *vitio carere*.

§ 29. *ille vero — est ordo*) Puto *ordo* h. l. a grammatico esse: satis indicabatur pronomine *ille*. Ordinem, *totus est*, servavi ex A, ratione suadente, quae insigniri postulat *tuus*, non *totus*. — Quo modo *defatigare* ponitur mox, ita ad Div. X, 19, 2, *in ea* (*re publica*) *conservanda iam defatigatus*, i. e. quum multis laboribus tamen ad eum finem pervenire non potuerim: conf. Vell. Paterc. II, 89, 6.

CAPUT XIII.

si qui forte — voluerint) Appellatur hoc praecepta ponere κατ' εὐχήν. ut Aristoteles loquitur aliquoties in Politicis.

nec his de hominibus) Satis constat quid sit *hic* in tali demonstratione, ut intelligatur sequentia ex interpretamento fluxisse, *qui nunc sunt:* eodemque modo explicandum tuendumque arbitror *his rebus*, i. e. in praesenti conditione civitatis, pro Flacc. 5, 13, quem locum

frustra, mea sententia, tentaverunt viri docti. — Obiter restituamus *homines* in loco Divin. II, 2, 6, ubi nunc editur, non ita me gessi *quasi homini aut temporibus iratus:* at *homo* dici solet, quum referri potest ad eum, qui ante indicatus sit et de quo agatur, sicut ad Div. IV, 4, 3, *se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum:* multisque aliis locis sic *homo* pro *ille* ponitur: sed neque in illo Divinat. loco Caesar, in cuius *unius potestate res publica* erat, praecipue cogitari potest, nec indefinite usurpatur *homo* pro *quisquam*, et requiritur propterea *hominibus aut temporibus.*

quisquam vitii particeps) *Umquam* pro *quisquam* mei libri ignorant, nisi quod duo Ambr. *umquam quisquam*, sicut Moserus edidit. Sed puto alienum esse ab hac generali concludendi forma temporis designationem, quae adiectio vehementiorem et commotum magis animum loquentis indicat, quam qualis hic ferri potest.

§ 30. *tenes ordinem legum*) Difficile est hoc explicare. Nullum enim ordinem *legum* ante significavit; (quale est in Bruto 43, 158, *institutum ordinem persequamur:*) vix etiam ipsum hoc argumentum supra attigit: nam I, 6, fin. dixit *serendi etiam mores, nec scripto omnia sancienda:* rursus ibid. 22, 58, proprium esse huius disputationis *singulis leges vivendi et disciplinam dare:* sed neutro loco proprie *educatio* intelligi poterat, nec certe ullum ordinem memoravit. Quem supra III, 2, fin. *ordinem rerum* appellabat Atticus, is intelligebatur ut prooemia legibus praemitterentur. Fortasse cogitavit ordinem, quem Plato secutus est, qui libro IX Legum, in quo de iudiciis praecipitur, praemisit disputationem de momento et auctoritate *disciplinae* et educationis (lib. VII) et de festis (lib. VIII.) — Mox, ubi pergit Atticus, vix ferenda est partic. *autem*, in his, *ego autem;* et videri poterit per errorem intrusa esse, (conf. supra p. 545) ob similitudinem cum sequ. coni. *etiam.*

et si quem alium) Quod vulgo suppleri solet, *praeterii*, certe soloecum est; requirebatur enim Coniunctivus: sed tam in his verbum omitti poterat, quam in illis, *tu vero et istum.*

quod si est, tenemus omnia) In melioribus *est* omittitur, in Ambr. β. interpolatur etiam, *si est sic tenemus.* Legendum mihi videtur, iterato verbo, *quod si tenemus, tenemus omnia:* nam minus recte etiam dicitur *quod si est*, quibus significari solet »si verum est.''

ut enim cupiditatibus —) Dixit idem quis non? sed nemo magis contorte quam Tacitus Ann. III, 53, *recte factorum sibi quisque gratiam trahunt, unius invidia ab omnibus peccatur.*

L. Lucullus) De huius luxuria Cort. ad Salust. Catil. XIII, 1. Beier. ad Offic. I, 39, 140. In Plutarchi Lucull. p. 518. D miror a diligentissimo Schaefero neglectam esse elegantem Ruhnkenii correctionem, proditam ad Vell. Pat. II, 33. fin. Quanto consensu auctor habitus sit eius luxuriae, quae et tum et paullo post invaluit, apparet ex Nicolai Damasceni, qui sub Augusto vixit, iudicio conspirante cum Velleio; conf. Athenaeus VI. p. 274. F. Sed obiecta Lucullo villae Tusculanae magnificentia fuit per Gabinium, quum trib. pl. legem de belli piratici imperio ferens Pompeii abstinentiam Luculli luxuriae opponere voluit: conf. Sext. 43, 93. Ab illa villa diversa erat alia Luculli, apud Misenos, quae olim Marii fuerat, quamque ingenti pretio Lucullus emerat: conf. Plutarch. Mario p. 425. A: eamdemque post tenuit Tiberius: vid. Tacitus Ann. VI, 50.

ferebatur quasi commodissime respondisset) *Efferebatur* in nullo meorum librorum est, exc. Lagom. 124. 126: quod tamen neque, ut Ernestus putabat, erit pro »placebat sibi,'' neque laudatum Lucullum propter illud responsum fuisse concedi potest. Sed, *ferebatur quasi respondisset* est pro *ferebatur respondisse*, i. e. narrabatur

hoc eius responsum quasi esset commodissimum. Iuvabit Lucullum cum Cicerone conferre, cui quum simile quid obiiceretur, ad Attic. IV, 5, 2 scripsit, *subringentur, qui villam me moleste ferunt habere, quae Catuli fuerat, a Vettio me emisse non cogitant.* Talia cupidius exprobrari solita fuisse, ex iudicio Scauri intelligitur: vid. fragm. Scaur. p. 211. sq. Beier. Ceterum, satis vulgatam Romae in hoc genere luxuriam fuisse, vel ex Rutilii Rufi oratione *de modo aedificiorum* colligitur, quae commemoratur a Suetonio August. 89. ubi vid. Intpp. — Mox, nunc praeferam *quod his.* Tum, *inferioris,* quod multi boni libri habent pro *tenuioris,* ortum puto ex praecedd. (*inferiorem libertinum*); nec credibile est tam exiguo intervallo diversa significatione idem adiectivum scriptum a Cicerone fuisse.

quibus id, si tu non faceres, non liceret) Retulerunt viri docti, Goerenzius ad h. l., Moserus ad Div. II, 9. 22, et Zumptius Gramm. Lat. § 525, hunc locum ad eam rationem, ex qua Imperf. Coni. pro Plusquamp. (*si tu non fecisses*) poni putant. Perperam: et ne ferri quidem potuisset h. l. Plusqperfectum. Non enim de uno facto agitur absolute, sed de continuo luxuriae studio: »si tu non tam splendidus et luxuriosus esses, non idem »concederetur istis." Sed quum permulti alii loci, iusta interpretatione, ista enallages machina liberari possint, uno alteroque defungar exemplo. Falso igitur Beierus versatur in interpretandis his, Offic. II, 19, 67, *admonebat me res ut hoc quoque loco — deplorarem, ni vererer —:* putat *admonebat* dici pro *admoneret,* fortasse propter *ni vererer:* sed perverse scripsisset *admoneret,* quoniam hoc quidem (ut res eum admoneret) non aliunde pendebat, neque ex ulla hypothesi aptum esse poterat: verum simplicissima sententiae enunciatio haec est, *deplorarem eloquentiae intermissionem, ni vererer,* quodque praemittitur, *admonebat me res ut depl.* non nisi modum

sententiae imponit, indolem ipsam non mutat. Attigi simile quid Schol. Hypomn. I. p. 69, pluribus exemplis eam observationem loco et tempore ornabo. Lael. 4, 13, *quod non fecissent, si nihil — arbitrarentur*, Ochsnerus et Beierus accipiunt ita, ut sit pro *arbitrati essent:* sed tuetur se Imperfectum, quod non de una praeterita actione (sicut *mortuis religiosa iura tribuere*,) sed de perpetua opinione sermo est. Planc. 36, 88, *vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem eum vincendi viderem; quem profecto non videbam:* in quo loco quum simplex et primaria sententia esset, *erat praeclarum vinci improbos a bonis, si — viderem*, modum ea accipit ex *fateor*, nulloque modo Indicativus in *esse* poterat converti, sed debuit in *fuisse:* tum *viderem* accommodatum ad Imperf. *vinci*, et revocatur sic cogitatio tamquam ad praesentis rei deliberationem. Haud dissimili ratione tum alia exempla expediri poterunt, tum ea quae collegit Garatonius ad Sext. 67, 141.

§ 31. *quis enim ferret eos, quum videret* —) Loquendi formam attigi supra p. 523: conf. Madvigius Disput. de emend. Prov. Cons. et pro Balbo P. I. p. 8, ex eademque ratione Fin. II, 33, 107. init. tam bene legeretur *quum dicitis*, quam *quod dicitis*, sicut constanter editur. — Sed, *eorum* puto interpolatum esse, sicut in plerisque libris mox, *qui eas frangere:* facilius etiam *eius* irrepere potuit post *assiduis*, Sext. 10, 24. init. — Cum his, *villas — refertas*, conf. Verr. V, 48, 127.

cupiditatis eiusdem tenerentur) Verius, credo, legatur ex Lagom. 39. 96. *cupiditatibus iisdem*. Verr. I, 22, 58. fin., in eadem re, *vidit eos, qui iudiciorum dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse servos:* nec nisi plurale hoc sensu usurpatur, sicut Milon. 28, 78. Salust. Iugurth. I, 4, init.

CAPUT XIV.

nec enim tantum mali est —) Sicut *tantum mali*, ita *tantum boni*, Fin. V, 27, 80, (quo loco difficultatem non expedit Madvigii correctio *quid tantum* —: tum requiritur, ut puto, *in virtute*, non *in natura*.) Ceterum, tale *duplex malum* appellat Offic. I, 34, 123. In Aristotelis loco Polit. II, 8, 7, Schneiderus certe nondum, ut oportuit, correxit *ὅ τι* pro *ὅτι*. De simili sententia Platonis, apud Cic. ad Div. I, 9, 12, (vid. Bibl. Crit. N. III. p. 213), conferendus est ipse Plato Legg. IV. p. 711. C, tum Plutarchus Lysandr. p. 442. fin.

quaecumque mutatio —) Duplici nomine haec laborant: primum quod ἀσυνδέτως praecedentibus adiunguntur; dein, quod a rerum praeteritarum memoria transitur ad futuri divinationem (*secuturam*.) Utrique vitio mederi licebit, si legetur *et quaecumque* — *secutam*, quae postrema correctio firmatur tum aliunde, tum ex vitioso *securam* in B.

§ 32. *quod Platoni nostro placet* —) Conf. supra II, 15, 39. Simile quid dicit Plato de puerorem ludis, Legg. VII. p. 797. A. B. Davisii et Goerenzii errores in corrigendo Platone Rep. IV. p. 424. C, merito castigavit Stallbaumius. — Mox, *vita victuque* coniungere solet, ut Brut. 25, 95.

infundunt in civitatem) Poterat hinc eleganti correctioni praesidium petere Ruhnkenius in Vell. Pat. II, 126, p. 482: ex eademque metaphora *influere* dicitur. Cum iis quae sequuntur idem Velleius conferendus est, II, 125, 4. et 126 fin., cum docta Ruhnk. annotatione.

obsunt quod ipsi corrumpuntur) Non puto, meliorum librorum spreta auctoritate, mutandum esse in *ipsi quod*: is locus certe, quem indicat Goerenzius, Cap. 7, 16, (*ipse qui eo non teneretur*) continet exceptionis exemplum, in qua collocatione pronomen erat insigniendum: h. l. opponuntur *corrumpi* et *corrumpere*.

atque haec lex dilatata in ordinem cunctum —) Sed lex *dilatari* non potest: potest autem lex *dilatare* aliquam praeceptionem, i. e. id quod postulatur, a pluribus postulare. Quare corrigendum arbitror: *atque haec lege dilatata — etiam possunt.*

in illis libris) Nempe Republ. IV, quum iam II[do] libro praecepisset de rectore civitatis, quali animo esse oporteret, et de disciplina.

CAPUT XV.

§ 33. *proximus autem est de suffragiis*) *Proximus* servant mei libri, excepto D. Antiquam scripturam fuisse puto *proximust* i. e. *proximum est;* sed, quum interpolata esset partic. *autem*, iteratum esse verbum *est:* interpolatum *autem* esse, non tantum Beiero credendum ad Offic. II, 13, 45, sed ideo, quod propter praecedd. nulla transitiva coniunctio ferri poterat. Conf. supra p. 535. — Quod Lagom. 39. habet, *iubet*, defendi potest, sc. lex.

suffragia in magistratu mandando — aut rogatione) Plura sunt in his dubia, quae librorum ope expediri non possunt. Nam, ut omittam minuta illa de quibus viri docti annotaverunt, quid est illud *reum iudicare?* unquamne aut a Cicerone, aut ab alio bono scriptore dictum est? ne *de reo* quidem iudicabatur, sed de causa. Tum, quid attinebat *legem* a *rogatione* distinguere? Ut dicam quod sentio, tota illa enumeratio eorum, in quibus populus Romanus suffragiis utebatur, stulte tribuitur Marco, rem non pueris, sed Quinto et Attico explicanti: quare concedam ista magistro, qui adscripserat, legamque — *suffragia clam an palam ferri melius esset:* nam ne *ferre* quidem huius aut sententiae aut syntaxis est.

Q. An etiam id dubium est? Vereor —) Editores haec sic dissecuerunt, ut priora Attico (*an etiam id d. e.?*), sequentia Quinto tribuerent: perperam, si recte video.

Nullae dum sunt Attici partes in hac disputatione, cuius assensum post demum requirit Quintus, Cap. 16. fin.: neque credibile est ita finxisse Ciceronem, ut ab utroque simul oppugnaretur: ipsumque *vereor*, nude positum, indicat haec continuari cum antecedd. — De usu partic. *an*, vid. Madvig. ad Fin. p. 61.

in ista sum sententia, qua te fuisse —) Diligenter de omissa praepos. ante relativum *qua* annotavit Moserus: et sic Livius X, 31, 13, *in eadem fortuna — qua ipsi erant:* quamquam iterari praepositionem Livianum esse docet Drakenborch. ad IV, 58, 4: conf. tamen XXVII, 22, 5. Exemplis Tullianis, quae cumulare nihil attinet, fortasse tamen accedere debebit Orat. II, 51, 208, ubi Cod. Voss. sic legit, *aut in eos, quos quisque minime debuerit:* de alio loco alias dicam. Alia sunt quae peculiarem habent defensionem, sicuti Sext. 60, 128, *cuius umquam propter fortunam, nisi meam?* ubi pronom. poss. locum tenet genitivi: Offic I, 31, 112, *alia in causa Cato, alia ceteri*, in quibus non *in alia* intelligendum, sed *alia in causa*. Lysias Contr. Poliuch. p. 611. R: *εἰς τοὺς οὕτω πολιτευομένους ὑπὲρ τῆς πολιτείας, ᾗς καὶ ὁ πατὴρ καὶ οἱ προσήκοντες ἡμῖν ἀπέθανον.* Schaeferus haud scio an recte eam attractionem potius quam ellipsin appellare malit ad Demosth. Mid. p. 564. 26.

obtineri an possunt) Sic, ut puto, Codd. omnes: necessario tamen Editores correxerunt *possit:* praetereaque, ut Ciceronis consuetudo servetur, legendum *obtinerine*, deleta *an:* conf. Madvig. Programm. p. 28.

§ 34. *Q. Quia, frater, bona tua venia* —) Nescio qua de causa Rathius et Moserus totam hanc accusationem legum tabellariarum alienam existiment esse a Quinti persona, qui tamen eodem genere disputandi et invehendi usus supra fingitur de tribunicia potestate. — Ceterum optimos libros secutus, *quia, frater* edidi, quamquam requiri videtur coniunctio adversativa.

obtineri, id est obsisti posse populo) In D omittitur *id est:* non recte: et hic locus exemplo est, non semper, quae ista formula nectuntur, pro glossemate habenda esse: invidiose enim explicatur, ex Quinti mente, illud *obtineri*, i. e. multitudini resisti posse. *Qui obtineri potest*, est etiam Fin. II, 33, 107. Sollemnem hanc fuisse in legibus dubitationem, ostendit Quinctilianus I. O. II, 4, 39: conf. Livius III, 1, 2: optimeque vim verbi explicuit Gronov. ad Tacit. Agric. 23. init.

obsistitur quum agitur severe) I. e. obtinebuntur vocis suffragia, populus concedet vocis suffragia manere, simulatque severe in ambitum, quo potentes utuntur, animadvertetur et in eos qui gratia et opibus in suffragando abutuntur. Ex sequentibus enim intelligimus illam potentiam principum improbari Quinto.

qui autem non sentitur) Facile quidem est primum corrigere *quis*, tum recipere id, quod permulti libri habent, *sentit:* nec tamen negaverim recte impersonaliter dici *sentitur*, itaque quam expressi lectionem servari posse. Passivum in *assentiri* pulcre vindicavit Madvigius Emendatt. p. 131. sq.

graviora iudicia — vocis quam tabellae) Haec indicio esse rei publicae severe et graviter administratae, iam antiquitus arguebant, ut est apud Livium VI, 37, 9.

suffragandi nimia libido) Qualis illa libido intelligenda sit, Turnebus omnino non explicat, Goerenzius sic, »nimium studium regendi, per suffragia voce data, »sententiam reliquorum civium:" sed nondum satisfacit. *Suffragari* nihil est nisi commendare, in eaque re gratia, et observantia, et (quod de industria reticetur a Cicerone Planc. 18, 44), opibus uti: et sic *suffragatio* dicitur apud Livium IV, 44, 2, et apud Salust. Iugurth. LXV, 5, non de iis qui suffragia ipsi ferrent.

in qua — tabella vitiosum occultaret suffragium) Ipsam tabellam modo *latebram* appellavit, (unde *tabellae latebra*

dicitur ad Div. III, 12, 1: cf. Cortius ad I, 9, 43. Planc. 6, 16:) igitur manifestum est, nisi quis probet ut dicatur *tabella in tabella occultat suffragium*, *tabella* ante *vitiosum* interpolatum esse a magistro quodam, qui *in qua* explicaret: populus ipse occultabat.

neque lator — nec auctor) Recte distinguuntur haec a Turnebo et ab Ernesto: et tamen Crassus, qui ipse legem Liciniam tulerat, *auctor* appellatur Planc. 20, 49, sicut ad Att. I, 19, 4. et Vell. Pat. II, 23, 2.

CAPUT XVI.

§ 35. *ea est Gabinia, lata —*) Haec sic enunciantur, quasi alius fuisset qui legem tulisset, alius a quo ea nomen haberet. Nihil offenderet, *ea a Gabinio lata est homine ign. et sord.*, qua circiter ratione in seqq. dicitur. Sed aliquid vitii contraxisse locum, indicio est quod verb. *est* desideratur post *mandandis*, quod omitti non patitur Ciceronis consuetudo: porro discedit huius legis commemoratio a seqq., quod in duas sententias discerpitur praeter necessitatem, et contra quam in Cassia aut in Papiria lege. Suspicor verba *ea est Gabinia* annotatoris esse, legendumque — *mandandis est, lata ab h.* — Altero loco, Lael. 12, 41, sane appellatur Gabinia: sed fieri potest ut eam Quintus ne appellare quidem voluerit, qui contumeliose etiam de latore pronunciet, fuisse *hominem ignotum et sordidum*. Ipsius Gabinii huius nulla, praeterquam ex his duobus locis, ne suspicio quidem exstat, necdum mihi constitit quo iure ei aut Pighius ad A. U. 614. Auli praenomen, aut Orellius Quinti tribuat.

de populi iudiciis, a nobili homine —) Ita, *iudiciis*, in nullo quidem libro integre exstat, sed duorum optimorum lectio, *iudicio is a nobili*, (quibus accedit Edit. Vet. *iudicio ista a nobili* i. e. *iudiciis lata a n.*) tam manifesto correctionem alterius lectionis continet, ut

praeter institutum meum suscipiendam hanc putarem. Ea correctio verissima post in aliis, quum non intelligeretur, aliis modis corrupta est: sed comprobat eam Brut. 27, 106, *iudicia populi — magis patronum desiderabant tabella data.* Sed adversatur in horum *iudiciorum populi* interpretatione Ernesto Wittichius (vid. Index Legum, in Orell. editione p. 279. sq.), quorum ille intelligit iudicia causarum publicarum non a populo in comitiis, sed a selectis iudicibus, ex quaestionum perpetuarum lege, exerceri solita; hic Cassiam legem pertinere putat ad populi comitia, in quibus illa iudicia exercerentur. Abutitur autem Ernestus quaestionibus perpetuis, quas ante legem Cassiam constitutas fuisse dicit, igitur, excepto uno perduellionis, reliqua iudicia per selectos iudices exerceri solita fuisse, quae tamen *populi iudicia* vocarentur. Nimirum tantum apparet e Bruti loco 27, 106, diversa tum fuisse *iudicia populi* a *quaestionibus perpetuis.* Scilicet, postquam quaestiones perpetuae paullatim, et in quibusdam tantum publicis iudiciis constitutae essent, manserunt alia iudicia penes populum, quae ideo *populi* iudicia appellata sunt. Tale fuit iudicium maiestatis, quo *a populo,* i. e. in comitiis, absolutus est Opimius A. U. 634: conf. Brut. 34, 128, (ubi rursus Gracchani *iudices,* qui in quaestionibus extraordinariis lege Mamilia iudicabant, opponuntur *populo.*) Orat. II, 25, 106, (*apud populum.*) Pariter Caepionis damnatio A. U. 659 per populum facta est *rogatione perlata* a Norbano: conf. Pighius Ann. ad A. U. 658. Postea, idem iudicium maiestatis exerceri coepit ex lege Appuleia, itaque C. Norbanus A. U. 660 causam dixit non apud populum, sed *apud iudices:* conf. Orat. II, 48, 198. Maneat igitur hoc, *populi* iudicium semper intelligi de comitiis: neque infra quae dicuntur, Cap. 11, 39, *habeat populus tabellam,* et *populo licere satis est,* nisi de comitiis intelligi possunt. Confirmat hanc interpretationem, Cassia lege quae tabella

data sit, comitiis datam esse, non selectis quaestionum perpetuarum iudicibus, id quod paullo post dicitur de Coelia lege: nam perduellionis iudicium, quod unum Cassius exceperat, non fuit in quaestionem perpetuam commutatum: non igitur de *excipiendo* illo iudicio cogitare potuit Cassius, nisi reliqua quoque in comitiis exercerentur. Sed apertius etiam erroris convincitur Ernesti sententia argumento loci Divin. II, 35, 74, de fulmine sinistro non optimo auspicio ad comitia: *quod quidem institutum rei publicae causa est, ut comitiorum, vel in iudiciis populi, vel in iure legum, vel in creandis magistratibus, principes civitatis essent interpretes.* Neque enim si penitus tum obsolevissent iudicia populi, tam definitam eorum fecisset mentionem. Omnino quaestiones perpetuae veluti per exceptionem constituebantur, neque paucis his tamquam nominatis iudiciis (sicut in iuris civilis disciplina appellantur contractus nominati) tollebatur totum genus iudiciorum populi.

dissidente a bonis) In Ed. Ven. s. a. et l. quum sit *diserimus*, suspicari quis possit fuisse antiquitus, *diserim*, *nimis dissidente* —: *nimis* in eiusmodi re ponitur Brut. 62, 223.

omnes rumusculos populari ratione aucupante) Probari nullo modo potest ut quis dicatur *rumusculos aucupari populari ratione*. Nam ipsa *ratio* est rei publicae gerendae (Sext. 48, 103), eaque vel optima, vel popularis est, sed utraque honesta: quapropter non propter rationem popularem, sed propter *perpetuam in populari ratione levitatem* reprehenditur C. Carbo, Brut. 27, 103: neque ille, Sext. 53, 114, reprehenditur, nisi quod *se in populari ratione iactarat*. Tum, *rumusculi* requirunt genitivum adiectum, ut in *imperitorum rumusculi*, Cluent. 38, 105. Itaque corrigam *rumusculos popularis aurae aucupante*. Contra, ut fit, *auram rumoris* appellat Muraen. 17, 35.

salutem a bonis) Loquendi formam tetigit Garatonius

ad Milon. 21. p. 237. ed. Lips. Orell. Haud dissimile est Milon. 35, 96, *quibus ea res honori fuerit a suis civibus.* Paullo diversa sunt quae contulit Cortius ad Salust. Iugurth. XXXI, 1, propius accedit hoc ex eiusdem Histor. I. p. 951, *ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet.* Vell. I, 16, 5, *nemo memoria dignus alter ab altero.*

§ 36. *doluitque — nocuisse rei publicae*) Correctiones necessariae receptae partim sunt e libris meis: quamquam *se*, pro *sed*, latet in duobus Ambr.: sed *nocuisse* nullus habet: igitur in tam manifesta re discessi ab instituto meo.

ferenti legem tabellariam) De iure Arpinatium, quae prius praefectura, post municipium cum suffragio fuit, conf. Beier. ad Orat. pro Scauro p. 177, sqq., et Madvigius Opusc. Acad. p. 234. sqq. in nota. Per hunc M. Gratidium M. Marius Gratidianus arcta necessitudine Ciceroni coniunctus dicitur apud Ascon. ad Orat. in Tog. Cand. p. 84. Orell. — Mox verissima correctio, *fluctus*, recipienda est. — Tum, *Marius*, ut interpolatum, omisi, auctoritate optimorum librorum.

ac nostro quidem, qui quum res esset ad se delata —) Sic fere libri; nisi quod unus et alter pro *quidem* habent *quid*, aut totum omittunt. Lambino adstipulatur Madvigius Programm. p. 29, ex *qui* corrigenti *avo*, ideo quod *noster* sic non dicatur Ciceroniane. Sed, quum praecedat *avus noster*, a quo distinguitur M. Gratidius, puto *noster* recte dici, ut referatur ad eum qui iam appellatus erat: certe tam absolute Offic. III, 20, 80, *ne noster quidem Gratidianus*, in quo *Gratid.* est epexegesis, quippe propter praecedd. cogitandum, »ne noster quidem Marius, » nempe Gratidianus." Sed certe *qui* eiciendum est. Praeterea Madvigius offendit in pronom. reflexivo (*ad se*), cuius subiectum in altera demum sententia sequatur (*Scaurus*). Concedo; nec tamen probo correctionem, ut *se* mutetur in *senatum*. Quid enim eam rem aut ad Scaurum, aut ad

senatum *deferri* oportuit? Lenior, credo, videbitur correctio haec, *ad tempus sedata*: omissum substantivum videri poterit, postquam distractis syllabis *se* ortum esset. — Mox, M. ante *Scaurus*, vel ex lectione *delatam* suscipere licebat. — Praetermisit hunc locum, ad Scaurum pertinentem, Orellius in Onomastico. — *Summa res publica* ut h. l. municipali, ita Verr. II, 61, 149, opponitur provinciae.

§ 37. *hoc populo*) Perperam cum talibus ablativis Bernhardyus confert locum Bruti 34, 128, in quo *quaestione* sit pro *quum quaestio haberetur*: imo, *quaestione Galbam sustulerunt Gracchani iudices*, i. e. iudicio quod ex lege Mamilia instituebatur.

Scipio — quo auctore) Simile quid traditur Brut. 25, 97.

CAPUT XVII.

§ 38. *vos demum*) *Demum* non videtur esse huius loci: itaque mihi quoque probaretur, ut ex *vos item*, aut *vos dem*, quae sunt in aliis libris, efficiatur *vos quidem*.

tamen libertatem istam largior populo) Pronom. sive ante, sive post *libertatem*, errore natum puto, nihilque requiri nisi *ita*. Satis diu in hac disputatione haeserant, ut non opus esset indicare quam libertatem intelligeret: contra, *ita largior*, inquit, i. e. meo quoque more istud, post Scipionem, defendam. — *Bonis* omnes libri mei habent: recte corrigitur *boni*.

lex hanc continet sententiam, ut omnes leges tolleret) Nullas vidi idoneas rationes, quibus imperf. *tolleret* defenderetur. Omnia enim exempla sunt ex continuata per orationem obliquam sententia alterius quae proponitur: vid. Wopkens. Lect. Tullian. p. 126: tum Matthiaeum abstinere oportebat a prava lectione loci supra a me tractati, Cap. 17, 44, (*quod constaret*:) id quod Goerenzius

ipse agnovit ad h. l. Mirum quod alium locum non excitarunt, 1, 22, 58, fin. *cuius praecepti — tanta sententia est, ut Delphico deo tribueretur:* sed hoc in historiae memoria dicitur. Nunc, quum dicitur *lex hanc sententiam continere*, praesentem vim et eventum indicat, *ut omnes leges tollat*, quo modo necessario corrigitur in uno alteroque libro quamvis deteriori. Perpetuo eam rationem servat in his libris, ut II, 10, 24, *nec tollit castimoniam corporis:* 15, 37, *sanciendum est, ut mulierum famam — lux clara custodiat:* 16, 40, *in lege est, ut colantur optima:* 19, 47, *haec sit una sententia, ut conserventur.* Contra, ubi consectarium legis commemoratur, non sententia ipsa, imperfectum ponitur: III, 12, init., *iudicia dantur, ut esset populi potestas.* Rursus, quum ipsa mens legis explicatur, ibid. 18, 40, *huic iussa tria sunt, — ut modo (dicat), ne sit infinitus.* Ceterum, ipsum illud *ut omnes leges tollat* nihil aliud est, nisi *omnes leges tolli*, sicut Tusc. I, 24, 57, *ut discere nihil aliud sit*, i. e. *d. n. a. esse.* Apparet, nihil huc pertinere quae collegit Beierus ad Offic. II, 3, 9, quaeque diligentem servant temporum consecutionem. Sed in hoc argumento nonnumquam aliena ad fidem faciendam usurpantur; neque concedam Zumptio viro praestantissimo, qui Gramm. Lat. § 515 duobus locis, Manil. 10, 27, init. Verr. Act. I, 12, 35. fin. sic utitur quasi praesens (*videor*) in syntaxi dominari deberet: contra, nihil nisi modum imponunt affirmationi, et ex perfecto suspenditur imperf. coniunctivi. Sic Fin. II, 20, 65, non violatur temporum consecutio per praesens *clamat*, in his: *quem (Regulum) quidem, quum — revertisset, tum ipsum, quum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse*, i. e. qui beatior fuit, ut clamat virtus. — *Quae postea latae sunt, quae:* in his perperam offensioni esse duplex *quae*, docet Orellius in Wolfii Praelectt. ad Tusc. I, 7, 14: tum *postea* necessario interpretandum erit, ut Goerenzius

vidit, post Scipionem, ne istas leges comprobaturus fuisse videatur Scipio. Ipsarum legum memoria obscura est, praeter Mariam legem, de qua Pighius Ann. T. III. p. 83.

§ 39. *sin valuerint tamen leges*) Nihil aliud intelligendum videtur, nisi hoc, si leges, quae complures de ambitu latae sunt, quaeque largitionem verbi causa aliaque severe sanciunt, valuerint, i. e. ipsae per se impedierint ambitum, non erunt illae de tegendo omni ratione suffragio, ceterae, necessariae. Et modo a Pompeio III Cos. severissima lege *ambitus sublatus* putabatur: quo pertinet Brut. 70, 245. — Sed corrigendum *sit*, ex Lagom. 10. — Quod mox tabella quasi *vindex libertatis* dicitur, idem est Leg. Agrar. II, 2, 4.

ut ine sit ipso libertas) Manifesto haec et alia vestigia in Codd. ducunt ad veram lectionem, quam Davisius retinuit, *ut in eo sit ipso libertas, in quo* —, i. e. ut hoc ipsum, quod populo illa potestas datur, libera suffragia efficiat. Perperam Moserus in ea constructione requirit *insit*, quod hanc efficeret sententiam, libertatem illam constare ex illa potestate. Contra, nihil aliud affirmat, nisi, quod libera plebi suffragia esse iussi, ea tamen libertas in eo ipso etiam cerni debet, quod vulgo ei obesse creditur, nempe ut possit plebs suffragia bonis ostendere. *In quo* haud dissimili ratione positum non latuit Beierum in Offic. I, 27, 96.

eoque nunc fit illud — dictum est) Credibile non est Marcum praesentem rerum conditionem ita laudare voluisse, qui sua lege alias multas, quibus suffragatio impediebatur, tollere voluerit. Quapropter recto consilio in Victor. edit. apud R. Steph. et in aliis corrigitur *fiet*, i. e. per meam legem idem obtinebimus, quod tu modo tabellariis legibus obiecisti, sed quod alio modo interpretandum est.

hoc retento, reliqua voluntas — traditur) Sensus est: retinet hoc ius populus ut liceat sibi occultare suffra-

gium; sed voluntatem, propensionem, benevolentiam tradit bonorum auctoritari aut gratiae. Itaque *retinere* et *tradere* opponuntur: neque audiendus Wyttenbachius, qui corrigebat *tribuitur*. *Reliqua voluntas* i. q. quod reliquum est, voluntas: sicut: *alius*, et ἄλλος apud Graecos ponitur, de quo qui explicuerunt indicat Stallbaum. ad Platon. Rep. X. p. 618. A.

itaque, ut omittam — suffragia) Ex his apparet Ciceronem a *voluntate* illa distinguere corruptionem per largitionem, de qua modo dixerat *sin valuerint tamen leges ut ne sit ambitus*. Assumit igitur hoc in sua lege, ambitum nullum esse. — Mox, *quaeri in suffragiis — sentiant*, referendum ad illum morem in comitiis magistratuum, quo a populo quaerebatur ex principibus, qui mores essent candidatorum: qua de re dixit Robortellus Annot. Cap. 29. (Grut. Thesaur. Crit. II. p. 54.)

libertatis species datur) I. e. quasi externum documentum libertatis. Nam, quum vocis quoque, si vellent, libero suffragio uti possent, lege tamen si conceditur tabella, habebant hanc libertatis quasi testem. Rursus *retinetur*, ut supra i. q. non proditur, sed servatur.

CAPUT XVIII.

§ 40. *deinde sequitur, quibus ius sit* —) Omittit legem de curatore extraordinario, Cap. 4. init. — Mox, omnes mei servant *aguntur*: necessaria correctio, ex ipsa lege, est *agentur*.

actor enim moderatur et fingit) Recte spretum est, quod complures libri habent, *auctor*, de quorum nominum distinctione mox dicam. Sed non idonea de causa Moserus ex deterioribus Codd. (miror enim Copp. Vict. b. quoque memorari) susceperat *et moderatur et fingit*; quippe ista non distinguuntur, sed cumulantur ut synonyma.

quod in senatu non difficile est —) Prioribus Inttpp.

omissis, explorabo Madvigii de hoc difficili loco sententiam, Emendatt. p. 103. sqq. Hic igitur primum probat eorum rationem, qui *quod — non difficile est*, referebant ad illa, *modesta atque sedata esse quae agantur;* recte monens, si ad proxime antecedd. referantur (*moderari et fingere mentem*), requiri *difficile est*, eiecta negatione *non*. »Tota, inquit, legis explicatio est de sedate agendo: »addita causa, cur id fieri necesse sit (quod magna sit »vis actoris —,) nonne in ipsa re exponenda pergere »debet scriptor, et quomodo sit hoc de sedate agendo »praeceptum intelligendum, exponere, non in illa causa »haerere?" tum addit, non quaeri, moderari mentem difficile esset, an non esset, sed facilene esset, an difficile id, quod lege iuberetur, *modesta atque sedata esse quae agantur*. Huic interpretationi primum obstat, quod relativum *quod*, sive parentheseos signa ponantur, sive non, violente et contra morem ad priora retrahitur. Porro persuaderi mihi non patior hoc quaeri, de ipso legis praecepto utrum difficile an non esset: nam *modica agere* nulla difficultate aut facilitate regitur, sed consilio et animo actoris. Dein repugnat ea ipsa ratio quae redditur (*est enim ipse senator* —), quasi dicat, propterea non difficile est in senatu modica agere, quia senator per se spectari vult: — prorsus non intelligo, quid id ad rem pertineat. Sed Madvigius, quem hae difficultates latuisse videntur, suae interpretationis confirmandae causa, »rem conficit, inquit, § 42. ubi est: *deinceps* »*sunt cum populo actiones*. Distribuit igitur rem in »duas partes: prior fuit de agendi ratione in senatu, ut »moderata esset: ad hanc igitur omnia referenda sunt." In quo falli puto virum praestantissimum. Nulla distributio legis est in duas partes: praecipitur universe quo modo agendum sit cum populo et in patribus: tum transit ad senatoris officia describenda: quibus nova praeceptio subiicitur, *vis in populo abesto*, quae nihil commune

habet eum illa *agendi* ratione. Quid igitur faciemus? Non satis est tollere negationem ante *difficile est*, quam, praeter Ursini Cod. Lagom. 10. quoque omittit. (Quo tamen loco nollem viros doctos, ut Niebuhrium et Madvigium, tragoedias excitare, quasi divina humanaque iura violaret is, qui negationem usquam vel tollerent, vel insererent: non difficile est indicare, quam saepe ipsi hoc emendandi modo felicissime, omnium intelligentium indicio, usi sint.) Sed manet molestum illud *quod*, non tam quia repudiandum est illud vinculum cum proxime antecedd.: (nam id, quod ab actore postulat, ut *moderetur et fingat*, cet., recte nunc dicitur quale sit in senatu:) sed quoniam ita hoc enunciatur, quasi primaria haec esset quaestio de agendo in senatu. Et quoniam plures iique optimi libri afferunt *quod si*, corrigendum esse puto *etsi in senatu hoc diff. est:* qua ratione per exceptionem hoc de senatu adiicitur, ut dicatur, *moderari* illud et *fingere mentem* difficile esse in senatu, eiusque rei ratio idonea reddatur. — Mox, ex deterioribus libris correctio suscipienda est, *difficile est: est enim* —. Tum, servavi *ipse*, quod pronomen explicari potest quasi ex oppositione indicandus esset is, apud quem alter ageret.

ad auctorem referatur animus) *Actorem* recentissima videtur esse coniectura, sed merito spreta a plerisque. Sententiae in senatu non *actor*, sed *auctor* quaeritur: et *auctor* universe appellatur, qui quoquo modo sententiam dicit. Prov. Cons. 1, 1: *habeo auctorem P. Servilium, qui ante me sententiam dixit.* Brut. 34, 129, *bonus auctor in senatu.* Sext. 28, 61, de Catone sententiam dicente in causa Catilinaria, *dux, auctor, actor rerum illarum fuit.* Balb. 2, 4, tamen perperam Orellius praetulit *auctorem: qui* (Pompeius) *sui facti, sui iudicii, sui beneficii voluit me esse — et praedicatorum et actorem*, ut Erf. habet, de quo nemo admonitus dubitabit, nec probabit id, quod Beiero placuit, ad Offic. III, 33, 116.

p. 406, ut *auctor* dicatur is, qui periculum iudicii praestat. *Auditorem* qui substitui voluerunt, eodem sunt in errore atque Davisius, quem notavit Ruhnken. ad Vell. Pat. I, 13, 3.

ut loco dicat) Praeter rem Moserus excitat Invent. I, 21, 30, ubi quid sit *non loco dicere*, in longe diversa causa, satis Cicero ipse explicat: tum Tusc. II, 11, 26. Uterque locus, nec tamen loco, adhibitus est a Goerenzio ad Fin. IV, 1, 2, ubi, pace Madvigii dicam, sana omnia mihi esse videntur, neque indigere eo supplemento quod excogitavit. Sed indicari poterat ad Att. IV, 2, 4, *loco sententiam rogatus*. Livius XXVIII, 40, 5, *senatorem, qui, de quo consulitur, suo loco dicit sententiam*. Plura annotaverunt Inttpp. ad Plin. Epp. IX, 13, 9.

nam brevitas — laus est in sententia) Explosam esse opinor Davisii rationem, qui corrigebat *est*, *mea sententia*. Schutzius verum vidit: satis perspicue hoc dicitur, brevitatem in sententia dicenda in senatu non tantum laudandam esse propter senatorii muneris dignitatem, sed etiam ex oratoriis praeceptis. Alii non intellexerunt, sententiam senatoriam ipsam quoque comprehendi dicendi arte et laude: conf. Orat. II, 82, 333: unde *brevitatem* laudat *in aliqua parte dicendi*, Brut. 13, 50. Iam intelligitur perperam a Goerenzio artificium quaeri in hac verborum in fine collocatione, ad Fin. I, 3, 8.

nisi ut peccante — utile est) Non satisfaciunt Virorum doctorum interpretationes in diversa abeuntes. Molestissimum omnium est, verba *quod fit ambitione saepissime*, necessario referri ad *peccante senatu;* quod tamen neque *saepissime* fieri dici nunc opus erat, nec quomodo *ambitione* peccet senatus facile intelligi potest: requiro enim exempla, quibus probetur vere interpretari Goerenzium, *peccare senatum ambitione* (aut *in ambitione*, ut dicit) quum gratiam alicuius aut auctoritatem sequatur: nam de singulis hoc dici, rectum est. Verisimilius est Cice-

ronem castigare id, quod saepe fieret, nempe longa oratione ut uterentur senatores, idque fieri dici *ambitione*, i. e. abusu quodam immodestiae, sicut ponitur ad Div. XIII, 5, 1. cf. ibid. 69, 1. Itaque levi transpositione adiuvandus locus erit, *nec est umquam longa oratione utendum*, *quod fit ambitione saepissime*, *nisi aut* (sicut recte in deterioribus libris corrigitur) *peccante senatu*, *nullo magistr.* cet.: sic propius etiam iunguntur *senatum peccare*, et *nullum magistratum adiuvare* i. e. impedire: adiuvare autem poterat vel consul, vel tribunus pl. intercedendo.

quorum generum in utroque) Melius Goerenzius et Orellius haec media tantum distinctione a praecedd. separaverunt: referuntur enim ad *hortandi* et ad *docendi* officium. Ceterum, *generum* videri poterit interpolatum esse: certe tum in E alio loco ponitur, tum abest a *δ*. — De Catone, praeter ea quae Wyttenbachius indicavit, conf. Plutarch. Caton. Min. p. 771. fin. Salust. Catil. LII, 7, ibique Cortius. Caesar B. Civ. I, 32, 3, ibique Davis. Gellius N. A. IV, 10, ubi alia de more Senatorio tum Ciceronis auctoritate traduntur, tum Ateii Capitonis liber citatur: Garatonius Exc. I. ad Plancianam p. 243. Ed. Lips.

§ 41. *causas populi teneto*) Interpretatur ipse verbis, *nosse rem publicam*. Sic *conditiones civitatum atque causas* appellat Balb. 19, 45. Sed in earumdem rerum enumeratione Orat. I, 34, 159, quod subiicitur *causa imperii*, similiaque quo modo intelligenda sint, dixi supra p. 414. *Nosse rem publicam* dicitur quoque Orat. II, 82, 337. Ea scientia laudatur in P. Cethego, Brut. 48, 178, ignorantia notatur in L. Pisone, Pison. 13, 30. — *Conditio* h. l. ponitur ut Offic. I, 7, 21. — Ad *consuetudinem decernendi* pertinebat liber Commentarius Varronis ad Pompeium scriptus, de quo Gellius N. A. XIV, 7. Ignorantiam in eo genere obiicit Cicero Q. Fugio Caleno, Philipp. X, 2, 6: taliaque Plinius Epp. VIII, 14, init. appellat *senatorium ius*, et *senatorium morem*.

genus hoc omne scientiae, diligentiae, memoriae esse) Bene Wyttenbachii interpretationem repudiat Moserus. Quod in senatore modo requisiverat, tribus his facultatibus contineri dicit, *scientia, diligentia, memoria.* Genitivi defenduntur exemplis: Brut. 74, 258, *non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis.* Orat. I, 14, 61, *physica ista ipsa — scientiae sunt.* ad Div. X, 1, 2, *ut perducatur autem, magnae quum diligentiae est, tum etiam fortunae.* Porro Phillipp. II, 45, 116, *fuit in illo ingenium, ratio, memoria —, diligentia.* Brut. 34, 129, *diligentia tamen bonus auctor in senatu.*

§ 42. *nihil minus civile est et humanum*) Turbatur nonnihil in uno alteroque libro: sed perperam receperat Orellius *et civile;* quippe non disiunguntur ista, sed tamquam ex formula copulantur.

CAPUT XIX.

actoris iubeo esse fraudem, id totum dici) Recentissimorum librorum correctio est *dixi*, pro *dici.* Sed non solet in hac disputatione suam personam legis auctoritati substituere Cicero. Itaque eo potius inclino, ut veram putem veterem correctionem in exemplo Ven. ed. quo utor, *actoris iubet esse fraudem, id totum dicitur.*

ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia) Perperam Turnebus et Wyttenbachius haec ad L. Crassum oratorem, et ad A. U. 661. referunt: multo melius Goerenzius, praeeunte Wagnero, revocavit ad A. U. 623. Neque enim otiosa adiectio est ad Crassi nomen, *sapientissimi hominis;* sed intelligendus P. Crassus Mucianus Dives, quem ornavit Cicero Brut. 26, 98, Tusc. I, 33, 81, qui consulatum cum L. Flacco gessit A. U. 623. Igitur, auctoritate etiam duorum Ambr., praenomen P. restituendum arbitror: tum in Codd. optimorum corruptelis (*consule dign. Carbonis*) quaeque porro inde interpolata sunt)

manifesto latere videtur praenomen *Cn. Carbonis.* Nihil attingit hunc locum Perizonius Anim. Histor. p. 92. sqq.

quem est senatus secutus) Perperam Goerenzius ex libris exiguae auctoritatis receperat *consecutus*, eumque secutus est Moserus: altero quoque loco, Catil. III, 6, 13, eorum Codd. praeferenda erat lectio, qui *secutus* habent. Sed ex *cum secutus*, quod Gud. 2 apud Goer. habet, fortasse haud inepte efficiatur *tum secutus*. — Proprietatem structurae, per quam *quem est senatus secutus*, *quum decrevisset*, pro *decernentem* dicitur, (refertur enim ad Crassum) exemplis firmat Madvigius in Disput. de Prov. Cons. et pro Balbo I. p. 8.

invito eo — non posse fieri) In eamdem sententiam Sext. 36, 77, *oriri saepe seditionem culpa atque improbitate latoris.* Secutus tale consilium tardius est C. Cornelius, ut in Argumento Cornelianae narrat Asconius p. 58. Orell.

quod, qui permovet — amittit hac lege) *Permanet*, quod Manutius ex vett. libris, ut ait, edidit, nunc est in Lagom. 10: in multis aliis sollemnes varietates sunt; sed optimi quique servant *permovet.* Pighius Annal. T. III, p. 16, coniecit *permoratur.* Sed *permovet* tuentes viri docti *quod* relativum esse contendunt: quamquam difficile est explicare *concilium permovere* ut sit pro, omni ratione movere ut consilio tuo potiaris, quae Goerenzii interpretatio est. Rursus, si, quod mihi necessarium videtur, *quod* est coniunctio, sine exemplo *permovet* absolute ponitur, et inaudita significatione. Videri poterit corrigendum esse *quod qui perorat*, i. e. qui concionem, orationem institutam, ad finem perducit. — *Amitti* vitiose optimi quique, ut supra *dici*, et infra § 44. init. *tolli.*

§ 43. *meminisse*) Duo tantum de meis, Ambr. *β. γ.*, habent *meminisse se.* Perperam additum esse pronom. a Goerenzio, nunc satis constare puto: conf. Matthiae Anacoluth. in Wolf. Anal. III. p. 2. not. 3. Beierus ad

Argum. Ascon. pro Scauro p. 127. a. Zumpt. ad Verr. I, 23, 60, in primisque Madvigius Emendatt. p. 111. sqq. Omittendum est pronom., librorum auctoritate, Sext. 33, 72: contra, Offic. I, 34, 124, *est igitur proprium munus magistratus intelligere, se gerere personam civitatis*, tum propter concursum duorum Infinitivorum, tum propter emphasin, servandum est.

Iovique — se consiliarium atque administrum datum) Non recte, ut puto, Moserus commendat Wyttenbachii correctionem hanc, ut legatur *Iovique optimo maximo atque consiliario se adm. d.* Est enim *consiliarius* non is, qui consulit, ut *consultor*, sed is qui in consilium adhibetur, sicuti *rex consiliariique eius* appellantur ad Div. I, 2, 3, fin. conf. ibid. 9, 2. Verr. II, 17, 42, ibique Garaton.

coelique partes sibi definitas esse traditas) Wyttenbachius, fere ut Turnebus, explicat, sibi a Iove coeli *regiones* (non *religiones*, ut edidit Moserus) distributas et traditas esse. Si *partes coeli* dicuntur pro iis regionibus quas augures describere solerent, (quamquam diversum est, quod Cicero in Mario, Divin. I, 47, 106, *partibus intonuit coeli pater ipse sinistris:* magisque huc pertinet locus ibid. 17, 31, in quo *partes vineae* dicuntur) non tamen eas *definitas esse traditas* auguri intelligere licet, quippe quas regiones ipsi describant. Corruptum videtur *definitas* ex *divinitus:* itaque *traditae* sunt auguri *coeli partes*, i. e. coelum, quod in regiones ipse distribuat. — Tum, *e quibus*, quod meorum librorum auctoritas confirmat, i. e. ex qua arte coeli in regiones distribuendi. Quodque Manutius coniectura assecutus erat, *rei publicae ferre*, plane firmant optimi libri.

deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis) Haec capita continebat Lex Caecilia et Didia.

§ 44. *tollit*) Mei fere *tolli:* nihil tamen de suis monet Goerenzius: eodem modo mox, pro *vetat*, in duobus est *veta*.

et nondum intis seditiosis tribunis plebis negotiis quidem) Facile largior, id, quod optimi libri habent, *intis* (*nitis*), remansisse ex vera lectione *cognitis*; quemadmodum Lambinus in Cod. Memmiano correctum invenit: i. e. quum nondum experti essent seditiosos tribunos. Difficilius est de altera corruptela statuere, *negotiis quidem*. Nam, quod vulgo placere video, *ne cogitatis quidem*, absurdum propterea est, quod, qui eiusmodi legem tulerunt, certe cogitaverunt fieri posse ut ea opus esset. Equidem, propterea quod collocatione insignitur illud *seditiosis*, requiri puto aliud adiectivum, quod aliquanto minorem habeat tribunorum reprehensionem; si tamen omnino adiectivum hoc alterum requiritur. Nam in Ed. Ven., qua utor, et in qua vetus manus, fortasse ex Codice, correctiones nonnullas adscripsit, pro *negotialis*, indicatur *nobis*: in Lagom. 11 nihil remansit nisi *is quidem*. Sed aptissima, ut mihi videtur, sententia exit ex his verbis, *nondum cognitis seditiosis tribunis plebis*, *nobis quidem admirandum tantum* cet. Simile quid observat Cicero in alia re, Verr. IV, 5, 9. init. — Mox, necessario recipienda Scaligeri correctio, *privos*.

quum legis haec vis sit scitum est iussum in omnes) Nihil sani afferunt libri. Maxime offendit *iussum in omnes*. Quod Rathius suasit, *ut sit scitum*, id duo Ambr. habent. Madvigii coniecturam (*ut unum sit ius in omnes*, Programm. p. 29) difficile est probare, quoniam vix concedi potest *scitum* a correctore esse profectum. Nec tam universe *legis* definitionem cogitare nunc quidem videtur, qualem libro I° persecutus erat, quam eius, quam populus iuberet, cuius proprium est illud *scitum*. Excidisse credo ea, quibus neglectis reliqua imperite interpolata sint, lectumque fuisse *ut scitum quod sit iure teneat omnes*. Minime inauditum unam alteramque tantum de pluribus syllabam in Codd. relictam esse: sicuti mox, pro *suffragium consilii quam*, E δ habent *suffragium si inquam:*

ibidemque A *silii* pro *ausilii.* — Ceterum, tractavit hunc locum Petitus quoque LL. Att. p. 189. sq., perperam tamen in sqq. § 45 distinguens — *neque ulla: privilegii quocirca* —. Nihil enim aliud indicat Cicero, quum haec persequitur, nisi Clodii illam legem privilegii nomine appellandam esse: eodemque crimine M. Coelius Pompeii legem aggressus est, testante Asconio in Argum. Milonianae p. 37. Orell.: eiusdem generis lex C. Gracchi fuerat in Octavium, conf. Plutarch. Gracch. p. 836. De Clodii lege conqueritur Cicero Sext. 30, 65.

descriptus enim populus censu —) De lege centuriata Sext. 51, 109, *in qua* (*causa*) *omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt.* Nihil erat cur *auxilii*, quod optimi libri videntur habere, praeferrem alteri *consilii:* de prudentia et modestia enim suffragiorum cogitandum est.

§ 45. *in causa nostra*) Non ea de causa damnanda erat altera collocatio, *in nostra causa*, quae videbatur Goerenzio: sed praeponitur pronomen tum, quum emphasis requiritur, ut supra Cap. 11. init. Sull. 4, 13, *mei consulatus.*

vir magni ingenii summaque prudentia) Recte, opinor, Ernestus defendi posse putat hanc diversitatem constructionis. Brut. 67, 237, *P. Muraena mediocri ingenio — multae industriae et magni laboris fuit.* — Mox, *amicia* optimi et vetustissimi servant: *comitia* non nisi correctio est in recentioribus: et fuit sic fortasse in eo libro, unde corruptum *amicia* fluxit, in aliis rursus correctum, satis stupide, in *amicitia.* Lagom. 58 habet *omnia comitia.* Sed *comitia gerere* nullo exemplo nullaque ratione dicitur: et vix dubitem quin ed. Rom., quo accedit ed. Vet. s. a. et l., auctoritas probanda sit, in quibus *comitia* omittitur. Satis res indicatur pronom. *illa:* itaque in eiusdem Cottae sententiae mentione, Sext. 34, 73, *vim fuisse illam.* — Tum, *posse* firmatur Ambr. β. *Privilegii*,

quae vetus lectio fuit, temere correcta in *privilegia*, requiritur per ipsam syntaxin. — Quod autem dein, pro *de quibus*, Lagom. 11. 65. habent *de qua*, non tam ad *legem* referri puto hunc errorem, quam cogitandum esse *de quo*, vix tamen probandum post *nobis*. Odiosa, in sua causa, *privilegii* utitur appellatione, quum res ipsa tamen non fuisset sine exemplis, si quidem C. Gracchi quoque legibus duabus, altera Octavius, altera Popillius petebatur: conf. Plutarch. Gracch. p. 836. med.

de quo servi atque patrones scivisse aliquid dicerent) Recipienda Manutii correctio, *latrones*. Alio modo idem voc. corruptum in libris supra II, 5, 13. Eodem nomine appellat eos, qui, interfecto Caesare, hostes rei publicae habebantur: ad Div. XII, 12, 5. 14, 2. *Se*, quod vulgo inseritur post Infinitivum, omittendum erat; de quo supra dixi. *Aliquid* per contemtum dicitur, pro nescio quid: sic dicitur, *quum aliquid ageretur*, ad Div. III, 8, 2. Eamdem sententiam in hac re explicat ad Atticum scribens III, 15, 5. init.

CAPUT XX.

§ 46. *sequitur de captis — leges*) In nullo bono Cod. est *sequuntur*. Pronum est intelligere *leges* adscriptum fuisse ad sequ. *quae:* itaque delendum. Non fugit hoc Goerenzium. Ex eadem interpolatione explicandum, quod optimi libri habent *sanciendae:* atqui non leges, sed delicta sanciuntur iudiciis et verbis: conf. supra p. 478. — Quod dein dicitur, *noxiae poena par esto*, non erat conferendum cum Offic. I, 25, 89, *cavendum ne maior poena, quam culpa:* hoc enim ad magnitudinem, illud ad genus poenarum refertur. Ceterum hoc generale praeceptum est: et, quod in ipsa lege est, *quod quis earum rerum migrassit*, ad omnia superiora pertinet, non tantum ad *captas pecunias* et *ambitum*. Quod quum minus

perspiceret Victorius, propter id quod sequitur, *vis capite*, modo, ex coniectura interposuerat *de vi, de captis pecuniis*.

legum custodiam — memoriam publicam nullam habemus) Haec sic iunguntur, ut appareat *memoriam publicam* intelligendam esse *legum:* quod bene vidit Garaton. ad Milon. 27, 73. Ceterum, quod mox addit, apud maiores hoc fuisse, ut *literae* servarentur; novimus certe Scta in aedem Cereris ad aediles plebis deferri solita fuisse, de quo Livius III, 55, 13: et alia fuerunt, quae publice servarentur, alia in templo Iovis Capitolini: de legibus nihil traditur eiusmodi: — *Apparitores* publici ministri erant, de quibus vid. Creuzeri Epit. Antiqu. Rom. p. 252. Ed. 2ae. Contra, *librarii* servi fuisse videntur. De utroque genere conf. Plutarch. Caton. Min. p. 766: unde intelligitur vere dicere infra Ciceronem, § 48, *quosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Librarii* restituendi sunt in Orat. pro Balbo 6, 15, ubi sermo est de foederibus, pactionibus, conditionibus populorum: *nisi forte, quae nos libri docent in umbra et otio, ea Cn. Pompeium neque, quum requiesceret, literae, neque, quum rem gereret, res ipsae docere potuerunt:* at *literae* nihil aliud sunt nisi ipsa monumenta illarum rerum, quae cognoscere Pompeio, quum requiesceret, licebat; quales erant Commentarii Consulares, apud Varron. L. L. VI. p. 265. (qui locus cum nonnulla varietate est in Lexico MS. Bibl. Publ. Lugd. Batav. n°. 56. p. 5): *libri* vero earum rerum nulli erant, sed, qui Romae, in umbra et otio, ista scire cupiebant, petebant a librariis, quos eodem loco, paullo ante per contemtum *librariolos* appellabat. Quare legendum, *quae nos librarii docent:* Orelliana, porro, vitiose habet *Pompeio:* sed *rem gereret* mutandum puto in *res gereret;* neque assentior Madvigio Disput. de Orat. pro Balb. I. p. 19, pro *res ipsae* alteram commendanti lectionem, *regiones ipsae*, quod tum minus proprie dicitur, tum tollitur sic argutum

quid in ipsa sententia. — In extremis verbis huius loci inutilis interpolatio est, *publicam*, quod vocab. adeo in ed. Rom. post *habemus* ponitur: satis erat *publicis literis*.

apud quos nomophylaces creantur) Quamquam universe *Graecos* appellat, similemque potestatem in aliis quoque Graeciae civitatibus fuisse cognitum est, tamen haud alienum est suspicari Athenas in primis cogitavisse Ciceronem. Sed florente ea civitate nullos fuisse magistratus qui Nomophylaces appellarentur, satis nunc constat: conf. accurate disputans Meierus Lit. Att. p. 70. sqq. Igitur, quum magna admiratione Demetrii Phalerii teneretur Cicero (conf. supra II, 26), credibile est eum significare voluisse eam potestatem, quae ab illo fuisset instituta. Neque plane concedo vel Meiero l. c., vel Schoemanno, Comitt. p 119 et Antiquit. Iur. Publ. Gr. p. 299, eamdem potestatem *legum tuendarum* fuisse iam Athenis florente democratia. Primum ea, quae commemorantur apud Suidam v. οἱ νομοφύλακες, eos coëgisse reliquos magistratus legibus obtemperare, tum cum proedris sedisse in concionibus, ut eos impedirent ἐπιψηφίζειν (sic lege pro ψηφίζειν) si quid iis aut contra leges, aut noxium civitati ferri videretur, prorsus adversantur iis, quibus causa imperii popularis continebatur. Aliis vinculis tenebantur proedri, veluti mulctis, ut in lege apud Demosth. Timocr. p. 706. fin., tum παρανόμων γραφῇ, qua una contineri democratiam disputat Aeschines Contr. Ctesiph. init.; cf. Demosth. Timocr. p. 748. med. Theocrin. p. 1333, adeo ut, si talis potestas fuisset, sublatum esset illud, quod perpetuo tenebatur, τὸν δῆμον τῶν πάντων κύριον εἶναι, quod ipsum ut obtineretur, Areopago Ephialtes illam censuram ademerat: atque haec est illa ἰσχὺς τῶν νόμων, quam elegantissimo loco penes iudicum religionem esse demonstrat Demosthenes Mid. p. 586. *Literas* quidem qui servarent, illis temporibus nullos fuisse, satis intelligimus ex Nicomachi iudicio apud Lysiam. Sed

non sunt haec huius loci. In ipsis verbis Ciceronis corrigendum videtur *creabantur*, pro *creantur;* sicut mox *observabant* et *revocabant*. Loquitur de illa forma rei publicae, quae post Demetrium rursus mutata fuit.

§ 47. *quandoquidem eos — semper volumus esse*) Quod praecipitur, quoniam diu iam non fuerant. — Mox, (*exponant, quid in magistratu gesserint*) melius fortasse E habet, *quod in magistratu.*

deque iis censores praeiudicent) Goerenzius monet *censores* hic »repetite legi": idque probat Moserus, neque mutavit, ut videtur, opinionem ad Divin. I, 3, 6. p. 20. b.: sed non poterat omitti, si quidem subiectum in proxime antecedd. diversum est.

hoc in Graecia fit —) Ante haec excidisse quaedam contendit Wyttenbachius, in hanc sententiam, — *praeiudicent, ita tamen ut aliis integrum sit eos in iudicium vocare.* Sed ipsum verbum *praeiudicent* hanc satis continet sententiam. Apud Platonem Legg. XII. p. 945. B. sqq. haec tribuuntur εὐθύνοις· et in Athenarum civitate arctius etiam ea potestas circumscripta erat. Ceterum, non plane alienum fuisse hoc institutum a Romanis moribus, inde conficias, quod C. Gracchus, quum quaestor Sardiniae ante destinatum tempus Orestam, qui pro consule illam provinciam tenebat, deseruisset, Romamque venisset, causam dixit apud Censores: Plutarch. Gracch. p. 835. fin., cuius orationis particulam servavit Gellius N. A. XV, 12. Tum idem conficitur ex lege Clodia de Censoria notione, sicut exponit Asconius in Pison. p. 9. Orell.

publice constitutis accusatoribus) Hos Goerenzius, omnia miscens, ipsos Euthynos fuisse putat. Meliora docet Schoemann. Comitt. p. 108 et 210. Conf. Dinarchus Contr. Demosth. § 58. — *Publice constituti accusatores* quod dicuntur, praesidio erit, opinor, Ernesto, qui locum Verr. I, 20, 52. fin. sic distinxit, *se causam apud Chios — Samiis accusantibus publice, dixisse:* quam rationem

improbat Zumptius, eique verborum quoque obstare collocationem dicit, et *publice causam dicere* explicat »reum »esse in causa publica." Postremum hoc quum mihi insolitum videatur, vellem exemplis et rationibus probavisset vir praestantissimus. Nam, nisi fallor, *publice facere* quid non nisi is dicitur, qui vel in publico munere facit pro eius muneris officio, aut qui nomine civitatis facit: Charidemus autem pro se dixit: tum, non attinebat in hac narratione commemorari ex quo genere causarum illa actio fuisset, sed accusationem institutam fuisse publice, i. e. nomine Samiorum civitatis. — *Qui quidem* media tantum distinctione a superioribus separavi, quod refutationem aut reprehensionem sequentia continent. Tum, sustuli Coniunctivum *sint*, auctoritate optimorum librorum, et ratione suadente. Quod dein boni libri *est* omittunt post *melius*, non quidem improbandum, nec tamen necessario sequendum erat.

integram tamen legem — servari) Inepta in bonis libris nonnullis est lectio *legi:* neque indigemus Davisii coniectura, *litem*. Ipsa lex integra servabatur, i. e. illo censorum praeiudicio nihil minuebatur de ea lege, quae criminibus illis *poenam noxiae parem* esse iubebat, (§ 46. init.) ita ut posset accusator exsistere, qui privatum in iudicium vocaret.

locus ipse te non admonet) *Tamen*, quod nonnulli habent libri, interpolatum videtur, corruptis, aut omissis *te non*. Atqui requiri puto formam interrogativam, quae vindicat et illam negandi particulam, et ut initio *quid si* servetur: utrumque satis firmatur librorum auctoritate.

§ 48. *de iure populi Romani, quemadmodum instituisti*) Quid intelligat *ius populi R.*, ipse mox explicat Atticus, i. e. quo iure, et qua potestate singuli essent magistratus. Propterea, nondum a magistratibus discedi vult, ut transeatur ad *iudicia*.

quid tandem hoc loco est quod requiras) Si Marcus

p. 406, ut *auctor* dicatur is, qui periculum iudicii praestat. *Auditorem* qui substitui voluerunt, eodem sunt in errore atque Davisius, quem notavit Ruhnken. ad Vell. Pat. I, 13, 3.

ut loco dicat) Praeter rem Moserus excitat Invent. I, 21, 30, ubi quid sit *non loco dicere*, in longe diversa causa, satis Cicero ipse explicat: tum Tusc. II, 11, 26. Uterque locus, nec tamen loco, adhibitus est a Goerenzio ad Fin. IV, 1, 2, ubi, pace Madvigii dicam, sana omnia mihi esse videntur, neque indigere eo supplemento quod excogitavit. Sed indicari poterat ad Att. IV, 2, 4, *loco sententiam rogatus*. Livius XXVIII, 40, 5, *senatorem, qui, de quo consulitur, suo loco dicit sententiam*. Plura annotaverunt Inttpp. ad Plin. Epp. IX, 13, 9.

nam brevitas — laus est in sententia) Explosam esse opinor Davisii rationem, qui corrigebat *est, mea sententia*. Schutzius verum vidit: satis perspicue hoc dicitur, brevitatem in sententia dicenda in senatu non tantum laudandam esse propter senatorii muneris dignitatem, sed etiam ex oratoriis praeceptis. Alii non intellexerunt, sententiam senatoriam ipsam quoque comprehendi dicendi arte et laude: conf. Orat. II, 82, 333: unde *brevitatem* laudat *in aliqua parte dicendi*, Brut. 13, 50. Iam intelligitur perperam a Goerenzio artificium quaeri in hac verborum in fine collocatione, ad Fin. I, 3, 8.

nisi ut peccante — utile est) Non satisfaciunt Virorum doctorum interpretationes in diversa abeuntes. Molestissimum omnium est, verba *quod fit ambitione saepissime*, necessario referri ad *peccante senatu;* quod tamen neque *saepissime* fieri dici nunc opus erat, nec quomodo *ambitione* peccet senatus facile intelligi potest: requiro enim exempla, quibus probetur vere interpretari Goerenzium, *peccare senatum ambitione* (aut *in ambitione*, ut dicit) quum gratiam alicuius aut auctoritatem sequatur: nam de singulis hoc dici, rectum est. Verisimilius est Cice-

ronem castigare id, quod saepe fieret, nempe longa oratione ut uterentur senatores, idque fieri dici *ambitione*, i. e. abusu quodam immodestiae, sicut ponitur ad Div. XIII, 5, 1. cf. ibid. 69, 1. Itaque levi transpositione adiuvandus locus erit, *nec est umquam longa oratione utendum, quod fit ambitione saepissime, nisi aut* (sicut recte in deterioribus libris corrigitur) *peccante senatu, nullo magistr.* cet.: sic propius etiam iunguntur *senatum peccare*, et *nullum magistratum adiuvare* i. e. impedire: adiuvare autem poterat vel consul, vel tribunus pl. intercedendo.

quorum generum in utroque) Melius Goerenzius et Orellius haec media tantum distinctione a praecedd. separaverunt: referuntur enim ad *hortandi* et ad *docendi* officium. Ceterum, *generum* videri poterit interpolatum esse: certe tum in E alio loco ponitur, tum abest a *δ*. — De Catone, praeter ea quae Wyttenbachius indicavit, conf. Plutarch. Caton. Min. p. 771. fin. Salust. Catil. LII, 7, ibique Cortius. Caesar B. Civ. I, 32, 3, ibique Davis. Gellius N. A. IV, 10, ubi alia de more Senatorio tum Ciceronis auctoritate traduntur, tum Ateii Capitonis liber citatur: Garatonius Exc. I. ad Plancianam p. 243. Ed. Lips.

§ 41. *causas populi teneto*) Interpretatur ipse verbis, *nosse rem publicam*. Sic *conditiones civitatum atque causas* appellat Balb. 19, 45. Sed in earumdem rerum enumeratione Orat. I, 34, 159, quod subiicitur *causa imperii*, similiaque quo modo intelligenda sint, dixi supra p. 414. *Nosse rem publicam* dicitur quoque Orat. II, 82, 337. Ea scientia laudatur in P. Cethego, Brut. 48, 178, ignorantia notatur in L. Pisone, Pison. 13, 30. — *Conditio* h. l. ponitur ut Offic. I, 7, 21. — Ad *consuetudinem decernendi* pertinebat liber Commentarius Varronis ad Pompeium scriptus, de quo Gellius N. A. XIV, 7. Ignorantiam in eo genere obiicit Cicero Q. Fugio Caleno, Philipp. X, 2, 6: taliaque Plinius Epp. VIII, 14, init. appellat *senatorium ius*, et *senatorium morem*.

genus hoc omne scientiae, diligentiae, memoriae esse) Bene Wyttenbachii interpretationem repudiat Moserus. Quod in senatore modo requisiverat, tribus his facultatibus contineri dicit, *scientia*, *diligentia*, *memoria*. Genitivi defenduntur exemplis: Brut. 74, 258, *non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis*. Orat. I, 14, 61, *physica ista ipsa — scientiae sunt*. ad Div. X, 1, 2, *ut perducatur autem, magnae quum diligentiae est, tum etiam fortunae*. Porro Phillipp. II, 45, 116, *fuit in illo ingenium, ratio, memoria —, diligentia*. Brut. 34, 129, *diligentia tamen bonus auctor in senatu*.

§ 42. *nihil minus civile est et humanum*) Turbatur nonnihil in uno alteroque libro: sed perperam receperat Orellius *et civile;* quippe non disiunguntur ista, sed tamquam ex formula copulantur.

CAPUT XIX.

actoris iubeo esse fraudem, id totum dici) Recentissimorum librorum correctio est *dixi*, pro *dici*. Sed non solet in hac disputatione suam personam legis auctoritati substituere Cicero. Itaque eo potius inclino, ut veram putem veterem correctionem in exemplo Ven. ed. quo utor, *actoris iubet esse fraudem, id totum dicitur*.

ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia) Perperam Turnebus et Wyttenbachius haec ad L. Crassum oratorem, et ad A. U. 661. referunt: multo melius Goerenzius, praeeunte Wagnero, revocavit ad A. U. 623. Neque enim otiosa adiectio est ad Crassi nomen, *sapientissimi hominis;* sed intelligendus P. Crassus Mucianus Dives, quem ornavit Cicero Brut. 26, 98, Tusc. I, 33, 81, qui consulatum cum L. Flacco gessit A. U. 623. Igitur, auctoritate etiam duorum Ambr., praenomen P. restituendum arbitror: tum in Codd. optimorum corruptelis (*consule dign. Carbonis*) quaeque porro inde interpolata sunt)

manifesto latere videtur praenomen *Cn. Carbonis*. Nihil attingit hunc locum Perizonius Anim. Histor. p. 92. sqq.

quem est senatus secutus) Perperam Goerenzius ex libris exiguae auctoritatis receperat *consecutus*, eumque secutus est Moserus: altero quoque loco, Catil. III, 6, 13, eorum Codd. praeferenda erat lectio, qui *secutus* habent. Sed ex *cum secutus*, quod Gud. 2 apud Goer. habet, fortasse haud inepte efficiatur *tum secutus*. — Proprietatem structurae, per quam *quem est senatus secutus*, *quum decrevisset*, pro *decernentem* dicitur, (refertur enim ad Crassum) exemplis firmat Madvigius in Disput. de Prov. Cons. et pro Balbo I. p. 8.

invito eo — non posse fieri) In eamdem sententiam Sext. 36, 77, *oriri saepe seditionem culpa atque improbitate latoris*. Secutus tale consilium tardius est C. Cornelius, ut in Argumento Cornelianae narrat Asconius p. 58. Orell.

quod, *qui permovet — amittit hac lege*) *Permanet*, quod Manutius ex vett. libris, ut ait, edidit, nunc est in Lagom. 10: in multis aliis sollemnes varietates sunt; sed optimi quique servant *permovet*. Pighius Annal. T. III, p. 16, coniecit *permoratur*. Sed *permovet* tuentes viri docti *quod* relativum esse contendunt: quamquam difficile est explicare *concilium permovere* ut sit pro, omni ratione movere ut consilio tuo potiaris, quae Goerenzii interpretatio est. Rursus, si, quod mihi necessarium videtur, *quod* est coniunctio, sine exemplo *permovet* absolute ponitur, et inaudita significatione. Videri poterit corrigendum esse *quod qui perorat*, i. e. qui concionem, orationem institutam, ad finem perducit. — *Amitti* vitiose optimi quique, ut supra *dici*, et infra § 44. init. *tolli*.

§ 43. *meminisse*) Duo tantum de meis, Ambr. β. γ., habent *meminisse se*. Perperam additum esse pronom. a Goerenzio, nunc satis constare puto: conf. Matthiae Anacoluth. in Wolf. Anal. III. p. 2. not. 3. Beierus ad

Argum. Ascon. pro Scauro p. 127. a. Zumpt. ad Verr. I, 23, 60, in primisque Madvigius Emendatt. p. 111. sqq. Omittendum est pronom., librorum auctoritate, Sext. 33, 72: contra, Offic. I, 34, 124, *est igitur proprium munus magistratus intelligere, se gerere personam civitatis*, tum propter concursum duorum Infinitivorum, tum propter emphasin, servandum est.

Iovique — se consiliarium atque administrum datum) Non recte, ut puto, Moserus commendat Wyttenbachii correctionem hanc, ut legatur *Iovique optimo maximo atque consiliario se adm. d.* Est enim *consiliarius* non is, qui consulit, ut *consultor*, sed is qui in consilium adhibetur, sicuti *rex consiliariique eius* appellantur ad Div. I, 2, 3, fin. conf. ibid. 9, 2. Verr. II, 17, 42, ibique Garaton.

coelique partes sibi definitas esse traditas) Wyttenbachius, fere ut Turnebus, explicat, sibi a Iove coeli *regiones* (non *religiones*, ut edidit Moserus) distributas et traditas esse. Si *partes coeli* dicuntur pro iis regionibus quas augures describere solerent, (quamquam diversum est, quod Cicero in Mario, Divin. I, 47, 106, *partibus intonuit coeli pater ipse sinistris:* magisque huc pertinet locus ibid. 17, 31, in quo *partes vineae* dicuntur) non tamen eas *definitas esse traditas* auguri intelligere licet, quippe quas regiones ipsi describant. Corruptum videtur *definitas* ex *divinitus:* itaque *traditae* sunt auguri *coeli partes*, i. e. coelum, quod in regiones ipse distribuat. — Tum, *e quibus*, quod meorum librorum auctoritas confirmat, i. e. ex qua arte coeli in regiones distribuendi. Quodque Manutius coniectura assecutus erat, *rei publicae ferre*, plane firmant optimi libri.

deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis) Haec capita continebat Lex Caecilia et Didia.

§ 44. *tollit*) Mei fere *tolli:* nihil tamen de suis monet Goerenzius: eodem modo mox, pro *vetat*, in duobus est *veta*.

et nondum intis seditiosis tribunis plebis negotiis quidem) Facile largior, id, quod optimi libri habent, *intis* (*nitis*), remansisse ex vera lectione *cognitis;* quemadmodum Lambinus in Cod. Memmiano correctum invenit: i. e. quum nondum experti essent seditiosos tribunos. Difficilius est de altera corruptela statuere, *negotiis quidem*. Nam, quod vulgo placere video, *ne cogitatis quidem*, absurdum propterea est, quod, qui eiusmodi legem tulerunt, certe cogitaverunt fieri posse ut ea opus esset. Equidem, propterea quod collocatione insignitur illud *seditiosis*, requiri puto aliud adiectivum, quod aliquanto minorem habeat tribunorum reprehensionem; si tamen omnino adiectivum hoc alterum requiritur. Nam in Ed. Ven., qua utor, et in qua vetus manus, fortasse ex Codice, correctiones nonnullas adscripsit, pro *negotialis*, indicatur *nobis:* in Lagom. 11 nihil remansit nisi *is quidem*. Sed aptissima, ut mihi videtur, sententia exit ex his verbis, *nondum cognitis seditiosis tribunis plebis*, *nobis quidem admirandum tantum est*. Simile quid observat Cicero in alia re, Verr. IV, 5, 9. init. — Mox, necessario recipienda Scaligeri correctio, *privos*.

quum legis haec vis sit scitum est iussum in omnes) Nihil sani afferunt libri. Maxime offendit *iussum in omnes*. Quod Rathius suasit, *ut sit scitum*, id duo Ambr. habent. Madvigii coniecturam (*ut unum sit ius in omnes*, Programm. p. 29) difficile est probare, quoniam vix concedi potest *scitum* a correctore esse profectum. Nec tam universe *legis* definitionem cogitare nunc quidem videtur, qualem libro I° persecutus erat, quam eius, quam populus iuberet, cuius proprium est illud *scitum*. Excidisse credo ea, quibus neglectis reliqua imperite interpolata sint, lectumque fuisse *ut scitum quod sit iure teneat omnes*. Minime inauditum unam alteramque tantum de pluribus syllabam in Codd. relictam esse: sicuti mox, pro *suffragium consilii quam*, E δ habent *suffragium si inquam:*

ibidemque A *silii* pro *ausilii*. — Ceterum, tractavit hunc locum Petitus quoque LL. Att. p. 189. sq., perperam tamen in sqq. § 45 distinguens — *neque ulla: privilegii quocirca* —. Nihil enim aliud indicat Cicero, quum haec persequitur, nisi Clodii illam legem privilegii nomine appellandam esse: eodemque crimine M. Coelius Pompeii legem aggressus est, testante Asconio in Argum. Milonianae p. 37. Orell.: eiusdem generis lex C. Gracchi fuerat in Octavium, conf. Plutarch. Gracch. p. 836. De Clodii lege conqueritur Cicero Sext. 30, 65.

descriptus enim populus censu —) De lege centuriata Sext. 51, 109, *in qua* (*causa*) *omnes honestates civitatis, omnes aetates, omnes ordines una consentiunt.* Nihil erat cur *auxilii*, quod optimi libri videntur habere, praeferrem alteri *consilii:* de prudentia et modestia enim suffragiorum cogitandum est.

§ 45. *in causa nostra*) Non ea de causa damnanda erat altera collocatio, *in nostra causa*, quae videbatur Goerenzio: sed praeponitur pronomen tum, quum emphasis requiritur, ut supra Cap. 11. init. Sull. 4, 13, *mei consulatus*.

vir magni ingenii summaque prudentia) Recte, opinor, Ernestus defendi posse putat hanc diversitatem constructionis. Brut. 67, 237, *P. Muraena mediocri ingenio — multae industriae et magni laboris fuit.* — Mox, *amicis* optimi et vetustissimi servant: *comitia* non nisi correctio est in recentioribus: et fuit sic fortasse in eo libro, unde corruptum *amicia* fluxit, in aliis rursus correctum, satis stupide, in *amicitia*. Lagom. 58 habet *omnia comitia*. Sed *comitia gerere* nullo exemplo nullaque ratione dicitur: et vix dubitem quin ed. Rom., quo accedit ed. Vet. s. a. et l., auctoritas probanda sit, in quibus *comitia* omittitur. Satis res indicatur pronom. *illa:* itaque in eiusdem Cottae sententiae mentione, Sext. 34, 73, *vim fuisse illam*. — Tum, *posse* firmatur Ambr. β. *Privilegii*,

quae vetus lectio fuit, temere correcta in *privilegia*, requiritur per ipsam syntaxin. — Quod autem dein, pro *de quibus*, Lagom. 11. 65. habent *de qua*, non tam ad *legem* referri puto hunc errorem, quam cogitandum esse *de quo*, vix tamen probandum post *nobis*. Odiosa, in sua causa, *privilegii* utitur appellatione, quum res ipsa tamen non fuisset sine exemplis, si quidem C. Gracchi quoque legibus duabus, altera Octavius, altera Popillius petebatur: conf. Plutarch. Gracch. p. 836. med.

de quo servi atque patrones scivisse aliquid dicerent) Recipienda Manutii correctio, *latrones*. Alio modo idem voc. corruptum in libris supra II, 5, 13. Eodem nomine appellat eos, qui, interfecto Caesare, hostes rei publicae habebantur: ad Div. XII, 12, 5. 14, 2. *Se*, quod vulgo inseritur post Infinitivum, omittendum erat; de quo supra dixi. *Aliquid* per contemtum dicitur, pro nescio quid: sic dicitur, *quum aliquid ageretur*, ad Div. III, 8, 2. Eamdem sententiam in hac re explicat ad Atticum scribens III, 15, 5. init.

CAPUT XX.

§ 46. *sequitur de captis — leges*) In nullo bono Cod. est *sequuntur*. Pronum est intelligere *leges* adscriptum fuisse ad sequ. *quae:* itaque delendum. Non fugit hoc Goerenzium. Ex eadem interpolatione explicandum, quod optimi libri habent *sanciendae:* atqui non leges, sed delicta sanciuntur iudiciis et verbis: conf. supra p. 478. — Quod dein dicitur, *noxiae poena par esto*, non erat conferendum cum Offic. I, 25, 89, *cavendum ne maior poena, quam culpa:* hoc enim ad magnitudinem, illud ad genus poenarum refertur. Ceterum hoc generale praeceptum est: et, quod in ipsa lege est, *quod quis earum rerum migrassit*, ad omnia superiora pertinet, non tantum ad *captas pecunias* et *ambitum*. Quod quum minus

perspiceret Victorius, propter id quod sequitur, *vis capite*, modo, ex coniectura interposuerat *de vi, de captis pecuniis.*

legum custodiam — memoriam publicam nullam habemus) Haec sic iunguntur, ut appareat *memoriam publicam* intelligendam esse *legum:* quod bene vidit Garaton. ad Milon. 27, 73. Ceterum, quod mox addit, apud maiores hoc fuisse, ut *literae* servarentur; novimus certe Scta in aedem Cereris ad aediles plebis deferri solita fuisse, de quo Livius III, 55, 13: et alia fuerunt, quae publice servarentur, alia in templo Iovis Capitolini: de legibus nihil traditur eiusmodi: — *Apparitores* publici ministri erant, de quibus vid. Creuzeri Epit. Antiqu. Rom. p. 252. Ed. 2ae. Contra, *librarii* servi fuisse videntur. De utroque genere conf. Plutarch. Caton. Min. p. 766: unde intelligitur vere dicere infra Ciceronem, § 48, *quosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint. Librarii* restituendi sunt in Orat. pro Balbo 6, 15, ubi sermo est de foederibus, pactionibus, conditionibus populorum: *nisi forte, quae nos libri docent in umbra et otio, ea Cn. Pompeium neque, quum requiesceret, literae, neque, quum rem gereret, res ipsae docere potuerunt:* at *literae* nihil aliud sunt nisi ipsa monumenta illarum rerum, quae cognoscere Pompeio, quum requiesceret, licebat; quales erant Commentarii Consulares, apud Varron. L. L. VI. p. 265. (qui locus cum nonnulla varietate est in Lexico MS. Bibl. Publ. Lugd. Batav. n°. 56. p. 5): *libri* vero earum rerum nulli erant, sed, qui Romae, in umbra et otio, ista scire cupiebant, petebant a librariis, quos eodem loco, paullo ante per contemtum *librariolos* appellabat. Quare legendum, *quae nos librarii docent:* Orelliana, porro, vitiose habet *Pompeio:* sed *rem gereret* mutandum puto in *res gereret;* neque assentior Madvigio Disput. de Orat. pro Balb. I. p. 19, pro *res ipsae* alteram commendanti lectionem, *regiones ipsae*, quod tum minus proprie dicitur, tum tollitur sic argutum

quid in ipsa sententia. — In extremis verbis huius loci inutilis interpolatio est, *publicam*, quod vocab. adeo in ed. Rom. post *habemus* ponitur: satis erat *publicis literis*.

apud quos nomophylaces creantur) Quamquam universe *Graecos* appellat, similemque potestatem in aliis quoque Graeciae civitatibus fuisse cognitum est, tamen haud alienum est suspicari Athenas in primis cogitavisse Ciceronem. Sed florente ea civitate nullos fuisse magistratus qui Nomophylaces appellarentur, satis nunc constat: conf. accurate disputans Meierus Lit. Att. p. 70. sqq. Igitur, quum magna admiratione Demetrii Phalerii teneretur Cicero (conf. supra II, 26), credibile est eum significare voluisse eam potestatem, quae ab illo fuisset instituta. Neque plane concedo vel Meiero l. c., vel Schoemanno, Comitt. p. 119 et Antiquit. Iur. Publ. Gr. p. 299, eamdem potestatem *legum tuendarum* fuisse iam Athenis florente democratia. Primum ea, quae commemorantur apud Suidam v. οἱ νομοφύλακες, eos coëgisse reliquos magistratus legibus obtemperare, tum cum proedris sedisse in concionibus, ut eos impedirent ἐπιψηφίζειν (sic lege pro ψηφίζειν) si quid iis aut contra leges, aut noxium civitati ferri videretur, prorsus adversantur iis, quibus causa imperii popularis continebatur. Aliis vinculis tenebantur proedri, veluti mulctis, ut in lege apud Demosth. Timocr. p. 706. fin., tum παρανόμων γραφῇ, qua una contineri democratiam disputat Aeschines Contr. Ctesiph. init.; cf. Demosth. Timocr. p. 748. med. Theocrin. p. 1333, adeo ut, si talis potestas fuisset, sublatum esset illud, quod perpetuo tenebatur, τὸν δῆμον τῶν πάντων κύριον εἶναι, quod ipsum ut obtineretur, Areopago Ephialtes illam censuram ademerat: atque haec est illa ἰσχὺς τῶν νόμων, quam elegantissimo loco penes iudicum religionem esse demonstrat Demosthenes Mid. p. 586. *Literas* quidem qui servarent, illis temporibus nullos fuisse, satis intelligimus ex Nicomachi iudicio apud Lysiam. Sed

non sunt haec huius loci. In ipsis verbis Ciceronis corrigendum videtur *creabantur*, pro *creantur;* sicut mox *observabant* et *revocabant*. Loquitur de illa forma rei publicae, quae post Demetrium rursus mutata fuit.

§ 47. *quandoquidem eos — semper volumus esse*) Quod praecipitur, quoniam diu iam non fuerant. — Mox, (*exponant, quid in magistratu gesserint*) melius fortasse E habet, *quod in magistratu*.

deque iis censores praeiudicent) Goerenzius monet *censores* hic »repetite legi": idque probat Moserus, neque mutavit, ut videtur, opinionem ad Divin. I, 3, 6. p. 20. b.: sed non poterat omitti, si quidem subiectum in proxime antecedd. diversum est.

hoc in Graecia fit —) Ante haec excidisse quaedam contendit Wyttenbachius, in hanc sententiam, — *praeiudicent, ita tamen ut aliis integrum sit eos in iudicium vocare*. Sed ipsum verbum *praeiudicent* hanc satis continet sententiam. Apud Platonem Legg. XII. p. 945. B. sqq. haec tribuuntur εὐθύνοις· et in Athenarum civitate arctius etiam ea potestas circumscripta erat. Ceterum, non plane alienum fuisse hoc institutum a Romanis moribus, inde conficias, quod C. Gracchus, quum quaestor Sardiniae ante destinatum tempus Orestam, qui pro consule illam provinciam tenebat, deseruisset, Romamque venisset, causam dixit apud Censores: Plutarch. Gracch. p. 835. fin., cuius orationis particulam servavit Gellius N. A. XV, 12. Tum idem conficitur ex lege Clodia de Censoria notione, sicut exponit Asconius in Pison. p. 9. Orell.

publice constitutis accusatoribus) Hos Goerenzius, omnia miscens, ipsos Euthynos fuisse putat. Meliora docet Schoemann. Comitt. p. 108 et 210. Conf. Dinarchus Contr. Demosth. § 58. — *Publice constituti accusatores* quod dicuntur, praesidio erit, opinor, Ernesto, qui locum Verr. I, 20, 52. fin. sic distinxit, *se causam apud Chios — Samiis accusantibus publice, dixisse:* quam rationem

improbat Zumptius, eique verborum quoque obstare collocationem dicit, et *publice causam dicere* explicat »reum »esse in causa publica.” Postremum hoc quum mihi insolitum videatur, vellem exemplis et rationibus probavisset vir praestantissimus. Nam, nisi fallor, *publice facere* quid non nisi is dicitur, qui vel in publico munere facit pro eius muneris officio, aut qui nomine civitatis facit: Charidemus autem pro se dixit: tum, non attinebat in hac narratione commemorari ex quo genere causarum illa actio fuisset, sed accusationem institutam fuisse publice, i. e. nomine Samiorum civitatis. — *Qui quidem* media tantum distinctione a superioribus separavi, quod refutationem aut reprehensionem sequentia continent. Tum, sustuli Coniunctivum *sint*, auctoritate optimorum librorum, et ratione suadente. Quod dein boni libri *est* omittunt post *melius*, non quidem improbandum, nec tamen necessario sequendum erat.

integram tamen legem — servari) Inepta in bonis libris nonnullis est lectio *legi:* neque indigemus Davisii coniectura, *litem*. Ipsa lex integra servabatur, i. e. illo censorum praeiudicio nihil minuebatur de ea lege, quae criminibus illis *poenam noxiae parem* esse iubebat, (§ 46. init.) ita ut posset accusator exsistere, qui privatum in iudicium vocaret.

locus ipse te non admonet) *Tamen*, quod nonnulli habent libri, interpolatum videtur, corruptis, aut omissis *te non*. Atqui requiri puto formam interrogativam, quae vindicat et illam negandi particulam, et ut initio *quid si* servetur: utrumque satis firmatur librorum auctoritate.

§ 48. *de iure populi Romani, quemadmodum instituisti*) Quid intelligat *ius populi R.*, ipse mox explicat Atticus, i. e. quo iure, et qua potestate singuli essent magistratus. Propterea, nondum a magistratibus discedi vult, ut transeatur ad *iudicia*.

quid tandem hoc loco est quod requiras) Si Marcus

quaerere voluit, quid esset illud, quod Atticus requireret, scribendum erat *requiris*. Sed ignorare non potuit, quid esset *ius populi Romani*. Igitur quaerere eum aequum est, quare istud nunc requireret: et in hanc sententiam pronomen inserendum obiecti indicandi causa, corrigendumque, *Quid* (i. e. quare) *id tandem hoc loco est quod requiras?* Respondet Atticus *quod* (i. e. *quia*) *ignorari* cet.

leges a librariis lego) Corrupta sunt: neque curanda est Goerenzii defensio postremi vocabuli. *Peti*, quod Lamb. coniecit propter Marci verba § 46 (*a librariis petimus*), firmatur Lagom. 124. 126., sed quam exigua auctoritate, satis iam constat. Puto ineptum additamentum esse eius, qui meminisset supra I, 6, 19, *legem* a *legendo* appellatam dici; itaque, quod Orellio quoque placet, abiiciendum esse.

sic animadverto quosque in magistratibus) Sic edidi secundum optimum A. Nec tamen *quosque* rectum est; si quidem illud pronomen semper cum aliqua distributione singulos separatim significat (ut bene exponit Madvigius ad Fin. I, 4, 11. fin. conf. Excurs. VI); adeo ut dicendum fuisset *in magistratu*, i. e. unumquemque in eo magistratu quem gerat. Sed ipsum illud *quosque* ex correctione ortum videtur, quum corruptela esset *animadvertorosque*, aliaque similia. Puto in eo latere pronomen, quod difficile est intelligere in Infinitivo *sapere;* legendumque esse, *animadverto eos, qui in magistratu sint, ignoratione* cet. *In magistratu* aliquoties dicitur, ut Verr. I. § 119. Brut. 89, 305, *in magistratibus erant.* — Ignorationis, certe dubitationis in illo iure, exemplum est apud Ciceronem ad Div. I, 9, 25. cf. Att. IX, 9. Rubino lib. laud. p. 23.

quum de religione locum proposueras) *Quoniam*, quod alii praetulerunt, manifesto ortum ex *quom*. Sed non causalis coniunctio, verum temporalis requirebatur.

de potestate tum iure disputes) Deteriores tantum libri praepositionem iterant ante *iure*. Quod autem Madvigius Emendatt. p. 107. probat lectionem Cod. Monac., *de potestatum iure*, difficile erit probare *potestates* dici a Cicerone pro *magistratibus;* eaque etiam de causa vere mihi correxisse videor in Sext. 26, 56: (vid. Schol. Hypomn. I. p. 85) et, si diceretur, quaesitam hanc varietatem probandam esse. Sed non abiicienda fuerat praep. *de*, et potius corrigenda; tum ipsum illud *tum* (quoniam genitivus abesse nullo modo potest,) corruptus exitus est pronominis, quod fuit *eorum*: locusque hanc, opinor, veram habebit formam, *de potestate eorum et iure disputes*. *Ius et potestas* iuncte dici solent in magistratibus, sicut ad Div. XIII, 26, 2.

§ 49. *nam pluribus verbis scripsit — M. Iunius*) Difficile est probare *scripsit*, non addito *haec*, aut *de his*. Credibile est excidisse pronomen: quo loco, non definio. — M. Iunius sodalis erat Pomponii patris: (sicut Hortensius, admodum adolescens, appellatur *sodalis* Crassi, Orat. III, 61, 228.) quod, in hoc verborum ordine, non opus erat indicari pronomine, ut perperam Goerenzius putabat. Ceterum recte videntur viri docti intelligere M. Iunium cognomine Gracchanum, ex familiaritate C. Gracchi: et credibile est in Gracchi familiaribus ipsum Attici patrem fuisse, si quidem ad M. Pomponium scripsisse C. Gracchus traditur (Cic. Divin. II, 29, 62), et Plutarchus in C. Graccho p. 842. Pomponium in fidissimis eius amicis numerat. Reliqua congessit Orell. in Onomastico Tull., nisi quod omisit locum Gellii N. A. XIV, 8.

nos at de iure naturae cogitari per nos) Corruptissimum locum nemodum expedivit: et fateor facilius esse ingenio excogitare quid, quod Ciceronis consilio satisfacere videatur, quam demonstrare quo modo scripserit. Tantum affirmare audeo, perperam ab Editoribus omissum esse *nos* initio sententiae, quod optimi libri tuentur: indeque

refingendum esse *nos autem*, sicut aliis quoque locis denunciat quo modo disputaturus sit, veluti supra Cap. 2, 4. Molestissima porro est mentio *iuris naturae*, cui opponitur *ius populi Romani*. Tum, quo modo ferendum *cogitari* (*cogitare*) *per nos?* Itaque, quum nulla satis certa vestigia sint verae lectionis, probabilem fortasse hanc iudicare licebit: *nos autem, ut de iuris natura excogitare nostra et describere debemus, sic de iure populi R. quae relicta sunt et tradita*, sc. exponere, quod in Zeugmate intelligendum. Videtur autem idem discrimen indicare voluisse inter duo genera disputandi, quod attigerat supra I, 5. fin.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 39. l. 11. *noti* leg. *nostri*.
» 44. l. 3. *eosdemqne* leg. *eosdemque*.
» 52. l. 3. *mortales*. leg. *immortales*.
» 57. l. 6. a fine. *Aristophanus* leg. *Aristophanes*.
» 92. § 29. ad verba *Omitte ista*, in marg. addatur numerus Capitis XIII.
» 111. l. 2. a fin. *cum* leg. *eum*.
» 263. l. 6. a fin. *Hnadium* leg. *Handium*.
» 269. fin. Notabile exemplum discriminis est in Bruto, 15, 57, de Ennio: *praesertim quum et ipse eum audiverit, et scribat de mortuo*.
» 273. l. 12. *illis formis* leg. *illas formas*.
» 274. med. Conf. infra p. 464. *Antiqua* et *atica* permutari, vidi in varietate lectionis apud Ellendt. ad Orat. I, 43, 193.
» 283. l. 12. Brut. 47, 174, *horum aetati coniunctus L. Gellius*.
» 285. med. Osannum refutat Madvigius Opusc. p. 100.
» 286. l. 11. *Loquax* tamen, sine reprehensione pro *copiosus* poni videtur Brut. 62, 225. — Paulo inferius cautius statuere me oportebat de more orationum inserendarum historiis: nam Fannius certe in Annalibus Q. Metelli *orationem exposuerat*, Brut. 21, 81.
» 304. l. 1. Quod *iuri studere* dubitabam an recte diceretur, retinere me fortasse poterit Muraen. 13, 29, ubi *ad iuris studium devenire* dicitur. Nam Brut. 89, 306, *iuris civilis studio multum operae dabam Q. Scaevolae*, alio quodam modo dicitur.

Pag. 312. l. ult. Mutavi sententiam dé loco Fin. V, 4, 11, infra p. 489.

» 318. l. 10. a fin. *Id* tollendum videtur Republ. III, 15, 8. init. Conf. Milon. 14, 36. Legg. I, 13, 36.

» 319. med. Quae h. l. disputantur corrigenda sunt ex iis, quae annotavi p. 414.

» 354. l. 10. a fin. Falso retuli de Zumptii opinione: contra, *quemadmodum* relativum esse putat, Verr. p. 367.

» 355. l. 11. *vultu* eodem modo est ad Att. XII, 40, 3.

» 371. l. 13. Quod Heusdium offendebat, id defenditur exemplis apud Gudium ad Phaedrum p. 13. ed. Burm.

» 376. l. 12. a fin. *Alicuius causa velle* attigit Zumpt. ad Verr. p. 68.

» 387. sq. Quid in lacuna perierit quum lubricum sit divinandi genus, hoc fortasse etiam coniici poterit, ut disputatum fuerit, quis sit *iustus vir* habendus.

» 391. fin. Errore repetii hic, quae posita iam erant p. 300.

» 396. med. *Malum* pro damno et incommodo non dici absolute, putat Zumptius ad Verr. p. 382.

» 417. l. 12. Tamen ad Att. X, 14, init. *maiusque malum tam diu timere, quam est illud ipsum, quod timetur:* nisi istic quoque corrigendum est.

» 427. l. 4. Non aliter puto praepos. *cum* explicandam esse Brut. 91, 315, *post a me tota Asia peragrata est, cum summis quidem oratoribus*, i. e. ut simul summos quosque oratores audirem. Neque enim amplecti possum Bernhardyi interpretationem.

» 427. l. 5. II, 11, 26. leg. II, 7, 18.

» 431. l. 14. a fin. *Madvigius* leg. *Madvigium*.

Pag. 446. l. 11. a fin. II, 17, 42. nempe ad verba *circumspicite — animo.*

» 447. l. 7. Hysterologiam agnoscit etiam Zumptius, ad Verr. p. 9. Et sane pro Sex. Rosc. Amer. 48, 139, *obtinere*, ut *retinere*, ponitur ordine post *recuperare*. Sed altero modo *obtinere* intelligitur ad Div. I, 5, 3. fin.

» 452. l. 9. a fin. *postremnm* leg. *postremum.*

» 459. l. 2. *potissimum* sic dicitur ad Att. IX, 19. init.

» 464. l. 13. a fin. Quod dubitabam, *artes* ne sic dici possent, Graeci tamen videntur ita uti, sicut Strabo XIV, 1, 14, *κεκόσμηται δ' ἀναθήμασι τῶν ἀρχαίων τεχνῶν.* ibid. paulo post: *ναΐσκοι τινες πλήρεις τῶν ἀρχαίων τεχνῶν.* Conf. Schaefer. ad Longum p. 362.

» 466. l. 12. a fin. Non requiritur copula Brut. 83, 287, cuius loci diversa compositio est.

» 473. l. 9. *Cruezerus* leg. *Creuzerus.*

» 486. med. De *cuicuimodi* igitur, in nullis libris liquido exstare, temere affirmat Ellendtius ad Orat. III, 24, 94: et conferendus Zumptius ad Verr. p. 921.

» 502. med. Tractat hunc locum Rubino libr. laud. p. 51. not. 1., qui tum *posta*, pro *postea*, probat, tum *sacerdotes* accusativum esse demonstrat, ut sacerdotes ab auguribus *augurari* i. e. inaugurari dicantur.

» 512. fin. Quod a Cicerone dicitur, animi labes *non amnibus ullis elui potest*, transiisse videtur ad Lactantium Inst. Div. V, 20. fin. *tamquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.*

» 517. l. 12. a fin. Correxi meam opinionem in Prolegom. p. xxxiii.

Pag. 523. l. 10. a fin. De Appii libro Augurali melius conieci in Prolegom. p. xxi.

» 535. l. 9. *Theatra* isto modo ponit ipse Cicero Tusc. I, 44, 105. tum Republ. apud Augustin. Civ. D. II, 9.

» 578. Ad verba *deinceps dicit eadem illa*, hoc quoque animadverti potest, ipsa illa indicium continere compendii, per quod ipsa scriptoris sententia enunciatur; sicut *dicit deinde alia* apud Augustinum C. D. II, 9, med.

» 590. Quod in lege dicitur *auspicia patrum sunto*, nulla alia nisi *privata auspicia* intelligenda esse luculenter demonstrat Rubino l. l. p. 87. not. 1.

» 592. l. 3. *Creare tribunos* tribui *populo*, non adversatur iis, quae de *creandi* potestate docte persequitur Rubino l. l. p. 15—17.

» 593. med. De Aedilium iure cum populo agendi temere fortasse videar affirmasse, propter ea quae docet Schubert. de Roman. Aedil. p. 542, sq., ita ut tantum ius concionum habendarum iis concessum fuerit. Ipsae tamen locutiones quibus utitur Cicero in Verrinis (*cum populo*, et *apud populum agendi*) contra suadent.

» 602. l. 8. Non dubitare oportebat, opinor, Zumptium, quin necessario *cuiquam* legendum esset Verr. I, 10, 29.

» 606. l. 5. a fin. Late patet in Codd. abusus Superlativi. *Magnus* certe prae *maximus*, recte praetulit Zumptius Verr. V, 28, 72. Alia notavi in Indice v. *terminationes confusae*.

» 624. med. Perperam igitur huius loci auctoritate usus sum in Schol. Hypomn. I. p. 195 ad Philipp. I, 9, 22, in quo *rei qublicae pestem* requiri confirmat etiam ad Div. IV, 3, 1.

» 649. l. 6. *tollerent*—*insererent* leg. *tolleret*—*insereret*.

INDEX.

D.

E.